






Omerici Peczeli.

No A. S. 776.

~~C. Arch. 147 [illegible]~~

Constat. grossos 3 w.

Dono accepi a Patre Carissimo, Josephus Peczeli die 30a Octobris 1800.

~~Duplicat~~

839. H

Antnii Mossi 1813



CONRADI IKENII
ANTIQUITATES HEBRAICAE

Albert Schumacher delin: Uhlich sc: Lipsiæ

ANTIQVITATES HEBRAICAE

SECVNDVM

TRIPLICEM IVDAEORVM STATVM

ECCLESIASTICVM

POLITICVM ET

OECONOMICVM

BREVITER

DELINEATAE

A

CONRADO IKENIO

S. S. TH. D. ET PROF. P. O. ILLVSTR. LYCEI

BREMENS. CVM MAXIME RECTORE, ET AD. AED.


ST. STEPH. PAST. PRIMAR.

EDITIO QVARTA.

BREMAE

SVMTIBVS GERHARDI WILHELMI RVMPII.

MDCCLXIV.


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

BENEVOLO LECTORI
S.



Nihil minus sperare ausus fuissem, cum An. MDCCXXXII. hanc Antiquitatum Judaicum delineationem, in usum potissimum Scholæ privatæ, publici primum juris facerem, quam, tam brevi temporis spatio, eam plus semel iterandam fore. Vicit tamen exspectationem meam, Summorum non solum in Republica literaria Virorum benevolentia, qui sibi hos qualescunque labores non displicere, tam verbis quam scripto testati sunt, sed et inter illos, Celeberrimorum imprimis Professorum, præcipuas non Belgii minus, quam Germaniæ Academias aut Illustres Scholas, et quidem utriusque partis Ecclesiæ Protestantis, ornantium studium, qui eorum ductum, in Collegiis sequi non sunt dedignati. Huic enim maxime, non ipsius opusculi meritis, deberi gratus profiteor, quod mox omnia exemplaria direpta fuerunt, ita ut

 anno



anno jam MDCCXXXV. Bibliopola illud ſub prelum revocare cogeretur. Et licet tunc exemplaria dimidio plura typis deſcri-curaret, eædem tamen cauſæ effecerunt, ut et illa hoc iterum anno deſiderari inciperent. Unde cum de tertia editione quamtocyus adornanda admoneret, non potui non, quæ mearum in ea partium eſſent, lubens ſuſcipere. Quæ ne te lateant, B. L. ſcias, me quidem non huic magis, quam priori quicquam magnopere addidiſſe, cum ab eorum more plane alienus ſim, qui turpis lucri cauſa, novis editionibus priores plane inutiles reddere, emptoresque argento emungere conſueverunt: ſed in id potius, fœtum ſecundis tertiisque curis lambendo, tum vero, quæ forte remanſerant ſphalmata typographica penitus tollendo, incubuiſſe ſedulo, ut editio quam emendatiſſima prodiret. Hanc igitur, ut non minori, quam priores affectu excipere non graveris, qua poſſum, quaque par eſt, abs te humanitate contendo, Vale.

Dabam Bremæ XI. Kalendas
Januarius MDCCXLI.

PRÆ-



PRÆFATIO

PRIMÆ EDITIONI PRÆMISSA.

LECTORI BENEVOLO

S. D. P.

CONRADUS IKEN.

Cum ante novem hos, et quod excurrit annos, MAGNIFICI atque AMPLISSIMI REIPUBLICÆ PATRIÆ PROCERES, Professionem Theologicam, eadem cum Celeberrimo Viro, Collegaque, dum fata finerent, conjunctissimo, THEODORO HASÆO, hora mihi benevole decernerent, flagitarunt simul a nobis, ut cum sublimiori hoc studio *Hi-*

ſtoriam Eccleſiaſticam et *Antiquitates Sacras* docendas ſuſciperemus. Quorum deſiderio pro virili reſpondere, uti officii noſtri eſſe conſebamus, ita ad me quod attinet, ſtatim Cel. Relandi Antiquitates Sacras explicare Auditoribus cœpi. Verum quod dudum Viri Docti conqueſti ſunt, neminem hactenus nobis plenum, omnesque ſtudii hujus partes exhauriens ſyſtema, imo ne compendium quidem dediſſe, idem et in hoc ceteroquin diligentiſſime elaborato, et multifaria eruditione referto ſcripto, cujus laudi nihil detractum volo, mihi præcipue moleſtum accidit. Licet enim illud in iis quæ tractat, omnia alia, quæ in hoc genere hactenus, exſtant, ſcripta, longiſſimo poſt ſe intervallo relinquat, multaque uberius explicet, quam in compendio exſpectares, non magis tamen quam reliqua, per integram hanc doctrinam ſe diffundit, ſed ut ipſa inſcriptio arguit, in Antiquitatibus Sacris unice ſubſiſtit, omiſſis plane, ſi unum atque alterum argumentum, de Regibus et Synedriis excipias, illis, quæ ad *Politiam*, ut et *Rem Domeſticam* Judæo-

Judæorum spectant, imo ex sacris illam tantum partem explicat, quæ cultum ipsum concernit, Doctrinam vero, et quæ eo relationem habent, non nisi in paucissimis capitibus, et quasi aliud agendo tangit, cum tamen *Antiquitates Hebraicæ*, non solum ambitu suo, omnia hæc complectantur, sed et horum cognitio, non minus quam rituum Sacrorum, Theologo atque Philologo maxime necessaria sit, et sine illa, scriptura sacra, ubi hæc tradit, vel eo alludit, intelligi plane nequeat.

Quare cum post absolutos priores in Cel. Relandi compendium labores, secunda vice ab Auditoribus meis collegium Antiquitatum desideraretur, in animum induxi ipsemet earum pleniorem, quantum fieri posset, delineationem adornare, quam in privatis scholis sequerer, uberiorique commentario illustrarem.

Atque hinc natum est hoc, quod vides B. L. opusculum: in quo id mihi potissimum negotii datum esse credidi, ut

 omnia

omnia Antiquitatum Judaicarum capita succinctim proponerem, nec quicquam facile illorum, quæ huc pertinent, plane intactum relinquerem.

Redegi eum in finem omnia ad TRINUM illum, qui in omni bene ordinato populo distingui potest STATUM ECCLESIASTICUM, POLITICUM et OECONOMICUM.

In STATU autem ECCLESIASTICO, cum singula vel ad *Doctrinam*, vel ad *Cultum* referri queant, illa præmissa, hunc ita excussi, ut primum *Loca*, tum *Personas*, porro *Tempora sacra* et denique *Cultum ipsum*, subiuncta simul utriusque *depratione*, tam Doctrinæ per varias *Sectas* et *Errores*, quam Cultus per *Idololatriam* et *Hypocrisin*, exponerem.

In STATU POLITICO cum omnia eo redeant, ut Respublica prudenter gubernetur, & contra hostiles insultus sarta tecta conservetur, prius *Rem Judæorum Civilem*, tum vero *Militarem* examinavi.

In

In statu oeconomico denique, inde ab eius constitutione per *Matrimonium* incipiens, lustrata familia *Liberis* atque *Servis*, tum his quæ ad œconomiam necessaria sunt, *Tecto*, *Amictu*, *Victu*, ut & *Vita privata mutuisque* in ea observandis *Officiis*, itemque variis occupationibus, *Studiis*, *Mercatura*, *Opificiis*, *Agricultura* & *Re pecuaria*, nec non *Ludis* & *Exercitiis*, in *Morte* tandem & *Sepultura* desii.

In his omnibus ita versari annisus sum, ut nec nimia prolixitate molestus essem, aut justas compendii leges excederem, nec in concinna brevitate obscurus evaderem, aut magna utilitatis parte opusculum privarem. Talium enim compendiolorum, quæ nil fere nisi rerum pertractandarum titulos complectuntur, vix alius quam in collegiis usus est, cum contra ubi res ipsæ succinctim exhibentur, hic ad quoscunque etiam alios Lectores fructus redeat, ut sibi præcipuarum re-

 rum

nes permittent, ipſo actu præſtare, quam promiſſis dives videri.

Errata pauciſſima exſtantiora ad calcem indicata ſunt, reliqua minoris momenti, pro tua æquanimitate, B. L. facile corriges. Ita vale noſtrisque conatibus fave.

Dabam Bremæ VI. Id. Mart. MDCCXXXII.

SERIES



SERIES PRÆCIPUORUM ARGUMENTORUM.

PARTIS I.

DE STATU ECCLESIASTICO.

PARTIS



PARTIS SECUNDÆ.

DE STATU POLITICO.

PARTIS TERTIÆ.

DE STATU OECONOMICO.

PRO-



PROLEGOMENA.



I.

Antiquitatum Judaicarum nomen latiori ſenſu Gentis hujus originem, incrementum, fata & conſuetudines; ſtrictiori, in ſpecie priſcum ejus ſtatum, conditionem, inſtituta, mores ritusqne tam ſacros quam profanos complectitur.

Antiquitatum Judaicarum definitio.

II. Studium hoc commendat, præter inſignem *jucunditatem* &

Studii hujus commendatio.

præstantiam, maxima ejus *utilitas* summaque *necessitas*.

1. a jucunditate.

III. Quid enim *jucundius*, quam populi toto quandam orbe celeberrimi, bello & pace florentissimi innumerisque prærogativis præ omnibus reliquis populis inclyti, institutis & moribus; augustissimorum Sacrorum incredibili pompa; rerumque in his ubique occurrentium, ex ultima antiquitate repetitarum maximeque memorabilium, grata varietate, mentem oculosque pascere?

2. a præstantia.

IV. Quid *præstantius* omnique attentione *dignius*, quam examen illorum rituum & cerimoniarum, quæ vel immediate a Deo ipso præscripta, vel a piis majoribus accepta, ab eodem tamen confirmata ubique cum admirabili sapientia insignem sanctitatem spirant, & per quæ Deus tot seculorum tractu pie coli voluit? Quam dignitatem non parum lædunt Viri ceteroquin eruditissimi,

Mars-

Marshamus & *Spencerus*, dum præeunte Maimonide, eorum originem ab idololatris repetunt, eaque à Deo non tam approbata quam tolerata, nimis frivole contendunt.

V. Quid studio hoc *utilius?* cum ejus fructus se quam latissime per omnes scientias, inter Judæos quondam summa cura excultas, extendat, pleniorque illius cognitio, his non exiguam lucem fœnerentur. Nam uti *Historicus* hinc innumera ad rerum in orbe & Ecclesia gestarum illustrationem haurire, ita *Philosophus* inde quam plurima ad rerum naturalium aut motus & φάσεων Cœlestium siderum clariorem intellectum, aut ad vitam honeste transigendam, aut familiam, vel rem publicam rite constituendam atque gubernandam, secundum optimæ & a Deo ipso traditæ *Ethices*, *Oeconomices*, *Politicesque* præcepta, facientia, discere; *Medicus* morborum alias vix cognitorum naturam perspicere; quin & *3. ab utilitate* *א in aliis scientiis.*

 Ju-

Jure Consultus æquissimarum legum exemplar petere potest.

3. in *Theologia.* VI. Imprimis autem *Theologo* prodest, cum & phrasibus innumeris Sacri Cod. Utriusque Instrumenti, & integris sententiis, aut obscurioribus Prophetarum vaticiniis, aut eorum æque ac aliorum Scriptorum Sacrorum perpetuis allusionibus, aut institutis, dictis factisque Christi & Apostolorum, ad morem populi sui ubique compositis, maximam lucem affundat, & ipsius doctrinæ Evangelicæ veritatem mirum in modum confirmet.

4. *a necessitate.* VII. Denique quid illo magis *necessarium?* cum sine eo quam plurima scripturæ loca recte intelligi, verus universi cultus V. T. conceptus formari, aut ejus θεοπρέπεια & πνευματικὴ δήλωσις ostendit, & Judæi solide refutari atque convinci plane nequeant.

VIII.

VIII. Ad fontes quod attinet, ex quibus uberior ejus cognitio hauriri debet, inter illos primus præcipuusque locus debetur ipsi *Codici Sacro* Utriusque Instrumenti, una cum *versionibus*, maxime antiquioribus, textum ipsum sæpe illustrantibus. *Fontes studii hujus 1. Sacer Codex.*

IX. Libris Canonicis addendi *Apocryphi*, qui stante adhuc Rep. compositi, multa Antiquitatis capita luculenter explicant. His jungenda scripta *Josephi*, *Philonis* & *Rabbinorum*, qui vel in Sacram Scripturam commentati sunt, vel ex professo Gentis suæ ritus tradiderunt, aut eosdem aliud agendo attigerunt, quibus ut cœca fides adhibenda non est, ita in rebus domesticis tamen nec temere & sine ratione eadem deneganda. *2. Libri Apocryphi. 3. Josephus, Philo, Rabbini.*

X. Præter hæc in subsidium vocari possunt quæ *Scriptores* exteri *Græci* & *Latini* de rebus Judaicis tradiderunt. Licet enim illa male narrando sæpius depravata sint, ut *Adminicula. 1. Scriptores Græci & Latini.*

tuto iis ſtari non poſſit, in multis tamen huic argumento elucidando inſerviunt, & quæ a Scriptoribus ſacris aut Judæis relata ſunt, egregie ſtabiliunt.

2. Commentatores biblici & Antiquitatum Judaicarum ſcriptores.

XI. Huc quoque referendi Virorum Doctorum inter Chriſtianos labores, qui libris Sacris notas adſperſerunt, aut integra antiquitatum ſyſtemata concinnarunt, aut hanc vel illam earum partem ſeorſim explicuerunt. Nec negligendi qui hiſtoriam præcipue Eccleſiaſticam vel Judaicam ex profeſſo pertractarunt, eaque occaſione multa ac hanc rem facientia admiſcuerunt.


3. Qui mores hodiernos Judæorum aut ritus Pop. Orient referunt.

XII. Denique cum Judæi multos avitos ritus etiamnum ſervarint, & non pauci mores Orientalibus populis communes fuerint, aut a Judæis ad reliquos manaverint, juvat Judæorum libros rituales, aut quæ vel ipſi vel Chriſtiani de hodierno eorum ſtatu aut cerimoniis

niis tradunt, aut antiquiores ſcriptores, vel recentiores Pieriegetæ, de conſuetudinibus aliorum Orientis populorum narrant, ſedulo conferre.

XIII. Omnia autem Antiquitatis Judaicæ capita vel Judæorum religionem, vel vitam publicam vel privatam ſpectant; unde in tres partes commode diſpeſci poſſunt, quarum I. de ſtatu eorum Eccleſiaſtico II. de Politico III. de Oeconomico agit. *Totius Operis partitio.*





PARS PRIMA
DE
STATU ECCLESIASTICO.

CAP. I.
De Ecclesia Judaica & fœdere cum illa erecto.



I.

Ecclesia Israelitica.

Ecclesia Israelitica עדת ישראל & קהל עדת ישראל Exod. XII. 3, 6. appellatur Cœtus Posterorum Abrahami ex Jacobo, ad propiorem cum Deo communionem & arctiorem inter se societatem colendam, ex reliquis gentibus evocatorum & congregatorum.

Fœdus cum illa erectum.

II. Quem in finem Deus non solum Populum hunc ex dura servitute Ægyptiaca potenti brachio in libertatem asse-

asseruit, sed & in monte Sinai semet sub visibili illustrique præsentiæ symbolo manifestans, cum illo secundum promissionem CCCCXXX. annis ante, Abrahamo factam, Gal. III. 17. singulare *fœdus* solemni ritu pepigit. Exod. XIX. XX. & XXIV. 7. 8.

III. Per novam hanc transactionem non abolitum fuit fœdus gratiæ, mox post lapsum cum Patribus erectum; nec promissiones irritæ factæ, sed lex superinducta est. Gal. l. c. & Rom. V. 20. ***Non abolevit fœdus & promissiones gratiæ.***

IV. Conditiones fœderis erant, ut populus Jehovam solum pro Deo suo agnosceret, eumque pie coleret, secundum præscriptum Legis, cujus præcipuam summam Deus ipse promulgavit, geminisque tabulis lapideis inscripsit, additis quibusdam non admodum molestis ritibus & cerimoniis. Exod. XX - XXIII. ***Ejus conditiones in initio.***

V. Cum vero populus in ipsa illa transactione Deum per gravissimum μοσχοποιΐας crimen ad iram provocasset, ingens mox præceptorum carnalium choragium introductum est, quo duro & δυςβαςάκτῳ jugo humeris imposito, Deus Israelem negligentius habere cepit. Jer. XXXI. 32. Heb. VIII. 9. ***Post μοσχοποιΐαν.***

Legis distinctio. VI. Hinc duplex Præceptorum nascitur ordo, dum alia necessariæ obligationis & ad veram felicitatem Israëlis & vitam facientia, alia vero in se bona non erant. Ezech. XX. 11. 25.

Promissiones. VII. Promissiones eædem erant quæ jam antea datæ, sed nunc propius huic populo applicatæ, brevi illa formula, qua Deus pollicebatur, se Israëli fore in Deum, continebantur. Exod. XX. 2. Deut. XXVI. 17. 18. His aliæ junctæ de hæreditaria possessione terræ Canaan, vitæque longævæ & felicis in eadem concessione: opposito simul maledictionis gravissimorumque suppliciorum, fœderis transgressoribus infligendorum, diro carmine. Deut. V. 33. XXVII. XXVIII.

Duplex fœderis ratio. VIII. Gemina inde fœderis hujus erat ratio, dum externa bona ad omnes externe legis præcepta adimplentes, spiritualia vero ad solos in fide eadem observantes spectabant, quibus illa insuper horum suavissima symbola, certissimaque pignora erant.

Duplex Ecclesia. IX. Unde & duplicem ipsius Ecclesiæ exsurgere faciem manifestum est: *Externam* ad quam omnes sine discrimine Israëlitæ, & *Internam* ad quam soli fideles pertinebant.

X. Sic

X. *Sic* Eccleſia Iſraëlitica velut intergerino pariete a reliquis gentibus ſegregata eſt Epheſ. II. 14. accedente præterea ſpeciali interdicto de communione cum iisdem ſedulo vitanda. Exod. XXIII. 32. XXXIV. 12. Deut. VII. 1. ſeqq. *Quæ a gentibus ſeparata.*

XI. In eam licet Deus ſummum jus ſibi reſervaret, præfecit tamen illi cum ampliſſima poteſtate homines ſui quaſi vicem cum nomine gerentes, qui *Legis* obſervationi invigilarent, & *in* transgreſſores ſevere animadverterent. Pſ. LXXXII. 6. Gal. IV. 1, 2. Hebr. XII. 9. *Eccleſiæ* *πρεστάται.*

XII. Membra Eccleſiæ hujus duplicis erant generis אזרחים וגרים *Indigenæ* & *peregrini*. Num. IX. 14. Joſ. VIII. 33. Ἰουδαῖοι καὶ προσήλυτοι. Act. II. 10. & XIII. 43. Priores gente hebræi, Poſteriores ex gentibus oriundi, facta ſacrorum mutatione ad illorum communionem admiſſi erant. Qui vero Patre Proſelyto & Matre Hebræa editus, vel contra, בן גר aut בן גרה *filius proſelyti* aut *Proſelytæ*, qui ambobus parentibus Proſelytis natus בגבג *bagbag*, ut nonnulli volunt, appellabatur. *Membra.*

XIII. Proſelyti diſtinguebantur in גרי שער *proſelytos portæ*, qui & גרי תושב *Proſelyti.*

ſeu

seu תושבים *πάροικοι* & *παρεπίδημοι* dicebantur, & גרי צדק *Proselytos justitiæ* seu גרי ברית aut גרי בני ברית *Proselytos fœderatos*. Illi repudiata Idololatria tantum VII. Præcepta Noachidarum 1. de cultu peregrino, 2. de Benedictione Nominis divini, 3. de Homicidio, 4. de Stupro, 5. de Rapina, 6. de Judiciis, 7. de non edendo membro animalis vivi, observabant, nec ad Ecclesiam Israëliticam pertinebant, sed in Republica tantum tolerabantur: Hi integram Legem recipiebant, eamque ob causam in ipsam Ecclesiæ communionem transeuntes, eodem cum reliquis ejus membris jure fruebantur, nisi quod ex mente Rabbinorum ad regnum & præfecturas non admitterentur. Quibus ritibus Religioni Judaicæ initati sint, infra l. XXII. 14. seqq. videbimus, postquam prius de Religione ipsa actum erit.

Divisio. XIV. Cum autem omnis Religio, partim credendis, partim faciendis constet, ita de illa agemus, ut primo *Doctrinam*, dein *cultum* ipsum perlustremus.

CAP.



CAP. II.

De Doctoribus Judæorum

Θεοπνεύστοις *Mose & Prophetis.*

I.

Doctrina Auctor Deus.

Doctrina ab ipso Deo profecta est Psſ. CXLVII. 19. qui eam, interveniente variorum hominum ministerio, cum populo communicavit.

Ministri, Moses.

II. *Horum* præcipuus fuit *Moses*, Vir ex tribu Levi, Patre *Amramo* Matre *Jochebed* oriundus, eruditus omni sapientia Ægyptiorum, potens dictis & factis, Act. VII. 22. familiariori cum Deo commercio & miraculorum dono, præ omnibus aliis Ecclesiæ administris, clarus Num. XII. 8. Deut. XVIII. 15, 18. fidus servus Dei in universa domo ejus Heb. III. 2. fœderis Deum inter & Israëlem erecti μεσίτης Gal. III. 19. novæque œconomiæ introductor.

Prophetæ.

III. Mosen secuti sunt *Prophetæ*, vulgo נביאים antiquitus רואים nonnunquam & חוזים dicti 1 Sam. IX. 9. 2 Reg. XVII. 13. 1 Chron. XXIX. 29.

Eorum numerus.

Hi in universum inde a primis mundi incunabulis usque ad conditum templum

plum II. numerantur a Judæis XLVIII mares & VII. fœminæ: quorum pars ante, pars poſt latam legem vixerit, usque ad Malachiam, poſt cujus tempus donum Prophetiæ ceſſaſſe, communis Judæorum eſt ſententia.

Diviſio. IV. Erant autem vel *Ordinarii* vel *Extraordinarii.* Ordinarii poſtquam ſemel vocati per omnem vitam muneri huic manebant deſtinati, cum Extraordinarii tantum ad certum idque ſæpe perbreve tempus, a Spiritu Dei correpti, illud obirent. Alias Judæi illos diſtinguunt in נביאי ישראל & נביאי האומות *Prophetas Iſraëlis & Gentium.* Horum VII recenſent, Bileamum ejusque Patrem, vel ut alii malunt filium, Jobum & 4 amicos ejus. Nonnunquam eos diſpeſcunt in נביאי אמת & נביאי שקר *Prophetas veros & falſos.* Hic loci de prioribus agemus, de poſterioribus infra.

Revelatio Prophetis facta. V. Prophetis Deus voluntatem ſuam variis modis, immediate vel mediate, vigilantibus aut dormientibus, per internam illuminationem, ecſtaſin, viſiones, ἐνύπνια aut externam vocem revelabat Num. XII. 6. Hebr. I. 1. Maimon. More Nevoch. Part. II. c. XLV. undecim Prophetiæ gradus recenſet.

VI.

VI. Munus eorum erat revelationes sibi factas ad populum referre, aberrantes increpare & ad meliorem frugem revocare, imminentia Dei judicia intonare, mœstos erigere, aut futura Ecclesiæ vel aliorum populorum fata annunciare. Ordinarii insuper in dubiis consulti responsa dabant, vel alios instituebant. Ut autem illorum verbis eo major fides conciliaretur, miraculis eadem sæpius confirmabant, quod tamen nec perpetuum, nec certum Veri Prophetæ κριτήριον erat. *Munus.*

VII. Inaugurabantur huic muneri, vel per solum immediatum Dei afflatum, vel per legitimam vocationem, accedentibus nonnunquam certis ritibus externis 1. Reg. XIX. 20. quo tamen minus recte quidam unctionem referunt, licet ob legitimam constitutionem & donorum Spiritus S. collationem משיחים *Uncti* appellentur. Psal. CV. 15. 1 Chron. XVI. 22. coll. 1 Reg. XIX. 16. *Inauguratio.*

VIII. Vitam ducebant plurimi duriorem, præcipue sub Oeconomia Legis, victu utentes viliori Matth. III. 4. & amictu asperiori; tecti plerumque, & maxime temporibus tristioribus, veste pilosa, in formam sacci parata, adducta *Vita & Vestes.*

balteo

balteo coriaceo, cui & pallium villoſum ſuperinjectum 2 Reg. I. 8. Jeſ. XX. 2. coll. Apoc. XI. 3. & Matth. I. c. nonnunquam veſtes hæ ex ipſis quoque pellibus paratæ videntur Hebr. XI. 37. Eundem habitum Pſeudo Prophetæ, ut eo facilius incautos deciperent, imitabantur. Zach. XIII. 4. coll. Matth. VII. 15.

CAP. III.

De Scriptis Sacris.

I.

Libri Sacri.

A Moſe & Prophetis Eccleſia Judaica, Scripta, pro divinis merito ſemper agnita, & Veteris inſtrumenti libris comprehenſa, accepit. Unde Servator ea omnia ad *Moſen* & *Prophetas* redigit. Luc. XVI. 29. Judæi tamen illa vulgo in tres partes תורה נביאים וכתובים *Legem*, *Prophetas* & *Hagiographa* diſtinguunt, quo & Servatorem nonnulli reſpicere volunt, Luc. XXIV. 44.

Liber Legis.

II. *Legis* volumine continentur Annales rerum geſtarum ab Orbe Condito usque ad Mortem Moſis, cum oraculis, quæ a prima mundi ætate paſſim a Deo Patriarchis & per hos

Eccle-

Ecclesiæ tradita, ac in familia sancta studiose asservata erant, & lege ipsa in monte Sinai data. Hæc omnia Moses, exceptis ultimis Deuteronomii, *uni* volumini inscripta Ecclesiæ tradidit, Deut. XXXI. 26. quod a præcipua ejus parte ספר תורה *Liber Legis*, & a Scriptore תרת מושה *Lex Mosis* audit.

III. Integrum Lex hæc complectitur Religionis Judaicæ systema, unde ut fundamentum omnium, quæ deinceps revelata sunt, considerari, omniaque ad hunc veluti Lydium lapidem explorari, & quæ inde discrepabant, ut falsa rejici debebant. Malach. IV. 4. Hebr. III. 4. *Est totius Theologiæ Judaicæ systema.*

IV. Alter Librorum Sacrorum Ordo titulo נביאים *Prophetarum*, nomine Auctorum pro scriptis ipsis posito, insignitur. Dispescuntur hi in נביאים ראשונים & אחרונים *prophetas priores & posteriores*. Ad illos pertinent libri historici *Josuæ*, *Judicum*, *Samuelis*, *Regum*, Auctoribus non satis certo cognitis scripti; ad hos quindecim alii, argumenti Prophetici, quorum tres priores *Jesaiæ*, *Jeremiæ*, *Ezechielis*, a majori mole גדולים *Majores*, reliqui XII a minori קטנים *Minores*, vel a numero שנים עשר Chald. תרי עסר & contracte תריסר Gr. τὸ δωδεκαπρόφητον audiunt. *Prophetæ: qui dividuntur in Priores & Posteriores.*

Hagiographa. V. Ultimo loco occurrunt כתובים *Hagiographa*, quo ſpectant tres libri Poëtici, *Jobus*, *Proverbia* & *Pſalmi* Judæis אמת dicti, חמש מגלות *quinque Volumina parva*, unus Propheticus *Danielis* & reliqui *hiſtorici*. Rationem denominationis reddunt Rabbini שהם כתובים ברוח הקדש *quod ſcripti per Spiritum Sanctum*: quem modum revelationis cum a נבואה ſeu *Prophetia* proprie dicta diſtinguant, illumque Danieli tribuant, idcirco ejus librum non Propheticis ſed Hagiographis annumerant.

Numerus librorum ſacrorum. VI. Omnia hæc ſcripta ſecundum Judæorum computum ſunt *numero* XXIV. unde ab illis עשרים וארבעה *viginti quatuor* appellantur: quamvis alio numerandi modo, a quibusdam Veterum ad XXII. pro numero literarum Alphabeti, redigantur.

Canon. VII. Horum quotquot illo tempore jam exſtabant, Eſras cum Collegis ſtudioſe recognovit, a ſpuriis & ἀποκρύφοις diſtinxit, additisque propriis & reliquis ea ætate demum editis, illorum Canonem, ut non ſine ratione creditur, conſtituit, quem Malachias Prophetia ſua obſignavit.

Ordo. VIII. Non ſemper autem eodem ordine Libri Sacri fuere diſpoſiti, ſed uti

uti is, *qui* inter Christianos observatur, *ab* ill*o* quem Judæi sequuntur, differt, ita *et in*ter ipsos, Judæos, variis temporibus varius fuit.

IX. Antiquitus teste Elia Levita & *Divisio.*
aliis לפי דעת בעלי הקבלה כל תורה היא כפסוק אחד וי״א כתיבה אחת *Secundum sententiam Cabbalistarum tota Lex scripta fuit ut unus versiculus, imo sunt qui dicant, ut unica vox.* Cum maxime autem distinguitur Liber Legis *in quinque quintas partes*, unde חמשה חומשי תורה Græce πεντάτευχος vocatur. Singulæ hæ partes dispescuntur iterum in sectiones פרשיות dictas, quæ vel *majores*, numero LIV, a vocibus initialibus, aut illas sequentibus denominatæ, tribus literis majusculis פפפ aut ססס, vel *minores*, unica litera minuscula פ vel ס indicantur. Libri Prophetici divisi sunt in הפטרות *Haphtarot*, Paraschis Legis respondentes. Utraque divisio ad prælectionem in Synagogis accommodata videtur, unde Paraschæ majores non solum distributæ in VII חלקים seu partes, pro totidem Lectorum numero, sed & Haphtarot Prophetarum, primum loco Parascharum Legalium, dein una cum illis lectæ

 sunt,

funt, vid. infr. cap. XX. §. XXXIV. Uti Lex Mofaica, ita Pfalterium quoque πεντάτευχον, feu in V libros fubdivifum eft. Integer præterea Sacer Codex diftinguitur in סדרים *Sedarim* & פסקים *Pefukim:* Horum illi capitibus noftris, quorum recentius inter Chriftianos inventum eft, quodammodo fimiles funt, licet iis non exacte conveniant, hi autem verfuum rationem habent. Omnes hæ diftinctiones uti jam multis retro feculis obtinuerunt, ita vera earum ætas & origo apodictice fatis demonftrari nequit.

Character Lingua, Puncta vocalia, Accentus.

X. Scriptus eft Sacer Codex jam inde ab antiquiffimis temporibus in volumine membranaceo, charactere quadrato, vulgo Affyriaco dicto, lingua primæva omniumque reliquarum Matre Hebræa, exceptis fex fere capp. Danielis, tribus non tamen integris Efræ, & unico verficulo 11. cap. X. Jeremiæ, quæ fermone Chaldaico exarata. Puncta vocalia & accentuum figna, licet vix probabile fit a fcriptoribus ipfis effe addita, priora nihilominus indubiæ funt auctoritatis, nec pofteriora ufu fuo carent.

XI.

XI. Autographa scriptorum diu in Ecclesia Judaica superfuerunt. Liber Legis, ipsius Mosis manu scriptus & juxta arcam in perpetuum testimonium asservatus Deut. XXXI. 26. usque ad Josiæ regnum adhuc perdurasse ex 2 Reg. XXII. 8. coll. 2 Chron. XXXIV. 14. non sine ratione creditur. Quorsum autem pervenerit, ut & quæ reliquorum fuerint fata, ignoratur: neque enim vel horum quicquam, vel *αὐτόγραφον* Esræ, ut nonnulli jactant, hodie amplius superest. *Αὐτόγραφα.*

XII. Quibus tamen omnibus haud difficulter caremus, cum Codex Sacer, Divina Providentia, & Judæorum erga illum fere superstitiosa reverentia, per fida satis apographa, sine ulla vel alicujus partis, vel minimæ etiam literulæ jactura, corruptione, aut mutatione, integer ad nos pervenerit. *Integritas.*

VIII. Eandem reverentiam etiamnum tam in ejus descriptione, quam usu & absconsione, ubi vitium contraxit, aut usu attritus est, observant. *Descriptio, usus & absconsio.*

XIV. Licet autem singulari Dei beneficio, variæ ejus in alias linguas versiones exstent, quarum celebriores antiquioresque sunt Samaritana Penta- *Versiones.*

 teuchi,

teuchi, Alexandrina Græca, & Paraphrases Chaldaicæ, earum tamen nulla ipsi textui comparari, sed ad illum omnes examinari debent.

CAP. IV.

De Doctrina ejusque præcipuis capitibus.

I.

Doctrina. Doctrina Religionis Judæi חכמת האלהות *Sapientiam Divinitatis*, & חכמה האלהית *Sapientiam divinam*, ut & תורה האלהית *Doctrinam divinam* aut ידיעה התוריית *Scientiam Legalem* aut תלמוד תורה *Doctrinam Legis* appellant: in qua uti supponunt, quæ natura nota sunt, & nomine תורה מבעית ipsis veniunt, ita proprie ad illam, quæ a Deo supernaturaliter revelata sunt, referunt.

Duplex. II. Hanc varii quidem varie, sed plerique tamen vulgo in מעשה בראשית *opus creationis* & מעשה מרכבה *opus currus*, dispescunt: quorum illud pro objecto habet עולם הזה *mundum hunc* & res potissimum naturales tractat, hujus objectum est עולם הבא *mundus futurus*,

rus, & circa Deum, & res divinas, ſpirituales atque æternas, occupatur.

III. Natura cognitorum *principium*, Judæis ipſis fatentibus ratio, revelatorum autem Scriptura Sacra eſt, ita dubitari nequit, multa ad horum illuſtrationem facientia, oretenus tradita & conſervata eſſe; quæ Scriptura continentur, תורה שבכתב *Legem ſcriptam*, quæ oretenus propagata, תורה שבעל פה *Legem oralem*, aut קבלה *Kabbalam* appellant, unde ſanior eorum *Theologia Kabbaliſtica* nata eſt. *Ejus Principium.*

IV. Univerſæ Doctrinæ Revelatæ *ſumma* & *ſcopus* eſt, oſtendere quo modo Deus velit in promiſſo, & ex Abrahami ſemine oriundo Meſſia, cum peccatore in gratiam redire, eumque ad ſui communionem perducere: unde ipſe, quemadmodum, ut per paſſiones conſummandus, æternæque ſalutis cauſa, ab initio annunciatus & a Patriarchis exſpectatus eſt, Gen. III. 15. XXII. 18. XLIX. 18. ita quoque totius Legis & Prophetarum finis fuit. In quibus omnibus Antiquiorum Judæorum dogmata, hodiernis Chriſtianorum, non excluſis ipſis fidei myſteriis, exacte reſpondent. *Summa & ſcopus, Meſſias & ſalus in ipſo.*

V. Medium ſalutis in ipſo conſequendæ fides eſt. Gen. XV. 6. & Habac. *Ejus medium fides*

bac. II. 4. ad quam ſolam omnia præcepta Habakukum redegiſſe, Magiſtri ipſi agnoſcunt in Maccoth. f. 24. a.

Fidei objectum. VI. Ejus objectum univerſum Dei teſtimonium eſt. Recentiores in ſpecie XI fidei articulos numerant, quos tamen non omnes eodem loco habent, nonnulli quoque pauciores, alii plures ſtatuunt.

Fides excludit meritum operum. VII. Fides hæc excludit omne meritum operum. Pſ. CXXX. 2. CXLIII. 2. quod tantum abeſt, ut cum hodiernis juſtitiariis, Veteres Judæi jactaverint, ut nonnulli eorum, ne quidem mercedem in operibus intendere, veris virtutis cultoribus permittere voluerint.

Bonorum operum neceſſitas & forma. VIII. Nihilominus tamen bona opera neceſſaria fidemque in illis vivam demonſtrandam eſſe agnoverunt, cujus bonitatis forma in eo conſiſtit, ut ſint præceptis Dei conformia.

Præcepta Dei. IX. Hæc pro objectorum varietate recte Servator, ipſis Judæis idem confirmantibus, ad amorem Dei & proximi refert. Alias quoad numerum omnia ad DCXIII pro numero literarum Decalogi, redigunt, quorum alia ſunt *affirmantia* מצות עשה עשין aut alia *negantia* לאוין aut מצות לא תעשה & illorum quidem CCXLVIII, ſecundum numerum membro-

brorum corporis humani, horum autem CCCLXV, pro numero venarum ejus, aut dierum anni solaris. Communissima & nec ipsis magistris inusitata divisio, Scriptura praeeunte est in מצות חקים ומשפטים:

X. Per מצות commodissime intelliguntur Praecepta *Legis Moralis*, que ex natura Dei & hominis, & relatione, quae inter utrumque intercedit, profluunt. *Moralia.*

XI. Per חקים Praecepta *Legis Cerimonialis*, quae promissum Messiam totumque salutis per ipsum adducendae negotium in typis & umbris repraesentabant, pioque fidei oculo contemplanda subjiciebant. *Cerimonialia.*

XII. Per משפטים Praecepta *Legis Forensis*, quae nonnunquam etiam *πνευματικὴν δήλωσιν* habebant, sed praecipue ad Remp. Israeliticam rite constituendam, prudenterque conservandam & gubernandam erant ordinata. *Forensia.*

XIII. Hi uti Praeceptorum Cerimonialium & Forensium fines erant primarii, ita negari nequit, illis nonnunquam fines secundarios physicos aliosque subordinatos fuisse. *Eorum varii fines.*

Doctrinæ bujus cognitio & praxis.

XIV. Cognitio Doctrinæ uti ad salutem necessaria, nec sine illa pietas esse potest, secundum illud אין בור ירא חטא ולא עם הארץ חסיד ita eadem vana est, nisi in praxin deducatur לא מדרש הוא העיקר אלא המעשה:

Varia ratio eam tractandi.

XV. Eam autem excolendi tractandique non una omnium ratio est, dum alii ipsis verbis literisque Sacri Codicis, alii eorundem sensui investigando explanandoque, alii primariis veritatibus in compendio tradendis, aliis iis in usum convertendis, aut ad praxin applicandis, alii sublimioribus mysteriis indagandis, alii ritibus contexendis, alii eorum æque ac traditionum historiæ deducendæ, alii dogmatibus contra adversarios defendendis, operam insumserunt, unde variæ Theologiæ Judaicæ partes oriuntur.

Modus eam tradendi.

XVI. Modus Doctrinam tradendi per locutiones figuratas & allegoricas, aut Parabolas & Ænigmata, uti omnibus Orientis populis familiaris, & in ipso sacro Codice obvius est, ita & Judæis omni tempore in usu fuit.

CAP.



CAP. V.

De Doctrinæ hujus propagatione in Scholis, Academiis &c.

I.

Propagandæ huic Doctrinæ destinatæ erant Scholæ בתי מדרשות dictæ, quarum originem nonnulli ab Adamo, alii ab Abrahamo, alii a temporibus Judicum repetunt. *Scholarum Antiquitas*

II. Celebriores in populo Judaico erant *Scholæ Prophetarum*, in quibus non solum ordinario eorum discipuli instituebantur, sed quas Sabbathis, noviluniis aut aliis diebus festis etiam alii, doctrina sacra imbui desiderantes, frequentabant. 2 Reg. IV. 23. Ezech. XXXIII. 31. *Scholæ Prophetarum.*

III. Cum autem munus docendi imprimis quoque tribui Levi demandatum esset Deut. XXXIII. 10. 2 Chron. XVII. 8. 9. Mal. II. 6. dubitari nequit, Sacerdotes etiam & Levitas, ut illo rectius defungi possent, Scholas aperuisse. *Levitarum.*

IV. Distinguunt Judæi inter *scholam publicam*, totius gentis aut civitatis aucto- *Scholarum discrimen.*

auctoritate erectam: בית מדרש של רבים & *privatam* בם של יחיד qualem vel unus aliquis in privatis ædibus, vel plures simul junctis operis atque impensis institui curabant. Scholæ publicæ, sanctæ habebantur, privatæ vero non. Alii scholas dividunt in *triviales* & *illustres*, quarum illæ בתי רבן hæ בתי רבנן vel הוועד aut ישיבה dictæ sint. Alii in *triviales*, *Gymnasia* & *Academias*.

Privilegia. V. Eximiis Scholæ ornatæ erant privilegiis, ita ut docentes æque ac discentes, ab operibus & oneribus publicis, essent liberi. Utrisque aliquando etiam stipendia dabantur, quamvis & honestum duceretur, suo sibi labore victum parare.

Loca. VI. Privatæ plerumque habebantur in superiori domus parte seu cœnaculo. Publicæ vel in Prophetarum ædibus aut aliis ædificiis publicis, plerumque in locis editioribus, sive in urbibus sive in desertis, aliquando etiam ad ripas fluviorum structis, nonnunquam & Synagogis maxime propinquis.

Doctores. VII. Doctores antiquitus אבות aut מלמדים dicti 2 Reg. II. 12. Ps. CXIX. 99. Mox post excessum Prophetarum nudis nominibus appellabantur: in triviali-

vialibus מלמדי תינוקות audiebant, in majoribus, tractu temporis, תנאים חכמים· רבנים· גאונים· סבוראים· אמוראים· &c. sibi assumserunt titulos. Eorum vel unus erat in unaquaque schola vel plures, iique nonnunquam dignitatis gradibus distincti, cujus distinctionis vestigia nonnulla jam Jes. XXXIII. 18. coll. 1 Cor. I. 20. inveniri existimant. Omnes autem apud discipulos in maxima veneratione erant.

VIII. *Discipuli*, præcipue Prophetarum, priscis temporibus, eorum *filii* בני נביאים audiebant 2 Reg. II. 3. 5. 7. deinde תלמידים *discipuli* & תלמידי חכמים *discipuli sapientum* aut בני תורה *filii legis* vocabantur. *Discipuli.*

IX. Institutio hoc ritu fiebat, ut Doctor sederet supremo loco, sive in solo, sive בכסא aut קתדרה in *solio* aut *cathedra* conf. Matth. XXIII. 2. & discipuli eum corona cingerent, quo omnes docentem intueri & audire possent. Antiquioribus temporibus, ex sententia Magistrorum, discipuli discebant stantes, sed a morte Gamalielis sedentes. *Ritus docentium & discentium.*

X. Docendi munus vel ipse Doctor oretenus peragebat, vel Interpres stans inter ipsum & Auditores, cui Doctor men- *Institutio ipsa.*

mentem suam declarabat, quique eam explicabat auditoribus, a quibus si moverentur dubia, idem ea Doctori proponebat, & ab hoc acceptam responsionem ad illos referebat. In Academiis solemnes quoque instituebantur disputationes.

Promotio. XI. Ad acuenda discipulorum ingenia non solum certamina pro sedibus permittebantur, sed & qui res suas strenue egerant, postquam ad justam ætatem pervenissent, instituto prius, tam vitæ quam doctrinæ examine, ad Doctoratus honores promovebantur.

Ritus in ea usitati. XII. Antiquitus unusquisque Doctor discipulos suos promovebat, sed sequentibus temporibus, non nisi venia ad id a Principe הנשיא impetrata. Fiebat autem promotio, stricto jure, tantum in terra Canaan, idque certis cerimoniis במעמד על הספסל *collocatione in cathedra*, בנתינת מפתח ופנקס *traditione clavis & pugillarium* בסמיכה χειροθεσία & בקריאת רבי solemni *renunciatione*, imposito titulo *Rabbi* additisque his vel similibus verbis אני סומך אותך תהיה סמוך *Ego promoveo te; esto promotus*. Qui tamen ritus non omnes semper observabantur, præter ultimum.

XIII.

XIII. Promoti variis exornabantur titulis, ut רב רבי רבן מר מורינו חכמים סופרים &c. quos tamen, viventibus Magistris & Promotoribus suis, non solebant assumere, sed sola appellatione חבר addito nonnunquam Magistri sui nomine, contenti esse, quemadmodum nec Scholam tamdiu, nisi illis permittentibus, erigebant. *Promotorum tituli.*

XIV. Inter titulos illos ultimus סופרים seu γραμματέων *scribarum*, maxime memorabilis est, quod eorum frequens in N.T. fit mentio. Hos autem minus recte nonnulli Judæorum sectis annumerant, aut cum Karræis confundunt, cum nomen hoc dignitatis potius & muneris sit, & in specie tales doctores videatur denotare, quæ circa scribendum occupabantur, & vel describendis libris sacris, aut descriptis corrigendis, aut variis exemplaribus conferendis, aut literis & vocibus numerandis &c. operam impendebant, quales γραμματεῖς τοῦ νόμου audiunt Interpr. Alexandr. Esdr. VII. 12. vel populo in conscribendis contractibus, libellis divortii &c. inserviebant, qui γραμματεῖς τοῦ λαοῦ Matth. II. 4. & לבלרין *Libellarii* Sanhedr. f. 17. 2. appellantur. *Scribæ.*

XV.

Νομικοὶ & Νομοδιδάσκαλοι.

XV. Scribis jungunt scriptores Novi Fœderis sæpissime νομικοὺς, & νομοδιδασκάλους, quos ipsos quoque sunt, qui non sat recte pro singulari secta habent, & eosdem cum Karræis, alii vero cum modo nominatis Scribis, faciunt: cum tamen & hi honoris potius & officiorum tituli censendi sint, & priores præcipue Jure consulti, qui in dubiis ex lege deciderent, fuisse, posteriores vero alios in Lege instituisse, videantur. Unde nil obstat, quo minus quis simul γραμματεὺς & νομοδιδάσκαλος Luc. V. 17. coll. Matth. IX. 3. & Marc. II. 6. aut γραμματεὺς & νομικὸς esse potuerit. Marc. XII. 28. coll. Matth. XXII. 35.

Schola & Academiæ celebriores

XVI. Illustriores scholæ inter antiquiores Propheticas fuerunt Elisæ & Ezechielis, inter reliquas, sequentibus temporibus in ipsa terra Canaan, *Hierosolymitana*, *Bitterensis*, *Jafnensis*, *Lyddensis*, *Tiberiensis*, *Zipporensis*, extra illam, *Nisibensis* in Syria, in Babylonia atque Mesopotamia *Sorana*, *Nahardeensis* & *Pumbedithana*, in Egypto *Alexandrina*, præter alias minoris momenti.

Synagoga Magna.

XVII. Omnium autem Collegiorum Doctrinæ causa institutorum

Cele-

Celeberrimum fuit, quod in scriptis Judæorum, nomine כנסת הגדולה *Synagogæ Magnæ* venire solet, & CXX. viris eruditione claris constitit, quorum Præses *Esra* fuisse dicitur, inter illos autem Prophetarum ultimi *Haggæus, Zacharias* & *Malachias*, numerantur.

XVIII. Huic Collegio Hierosolymis post restitutionem ex captivitate Babylonica congregato, præter Manuscriptorum Sacri Codicis diligentem recognitionem, collationem, Canonisque constitutionem, de quo Cap. III. tribuitur a nonnullis *Punctorum vocalium & Accentuum* inventio, *versuum* biblicorum distinctio, *Masora*, seu commatum & vocum *numeratio*, *keri & ketib*, פסקא *Piska*, עטיר סופרים *ablatio scribarum*, & תקון סופרים *correctio scribarum:* quamvis alii hæc magistris Tiberiensibus adscribant. *Ejus opera.*

CAP. VI.

De Doctrinæ corruptione.

I.

Hæc ab ipso Deo per Mosen & Prophetas tradita, studioseque propagata doctrina, non diu illibata mansit. *Doctrinam hanc pedetentim corruperunt.*

Pseudo-Prophetæ. II. Primum eam corrumpere cœperunt Falsi Prophetæ, quo nomine non intelliguntur in genere, vita & moribus impii, tales enim & Veri Prophetæ esse poterant, sed qui se Dei nuncios simulantes, mendacia sua pro divinis oraculis venditabant, & nonnunquam fallacibus signis confirmabant.

Homines profani. III. Non parum de ejusdem puritate delibarunt homines profani, qui præcipua Theologiæ capita, de existentia Dei, Providentia, æternitate &c. convellere annisi sunt, Ps. X. 4. XIV. 1. LXXIII. 11. 12. XCIV. 4 Mal. III. 13. 14. 15. contra tales Esras jam decrevisse dicitur, ut precibus Judæorum adderetur מן העולם עד עולם *a seculo in seculum.*

Sectæ variæ. IV. Maximum autem illi damnum intulerunt ortæ sub templo II. creberrimæ sectæ, quarum præcipue tres numerat Joseph. Ant. Jud. Lib. XIII. c. 9. Idem Lib. XVIII. cap. 2. eas τρεῖς φιλοσοφίας *triplicem Philosophiam* appellat, & hoc ordine recenset *Essenorum*, *Sadducæorum* & *Pharisæorum*, quæ cum tribus in Græcia inclutis, Pythagoræorum, Epicureorum & Stoicorum, non male conferuntur.

V.

V. *Essæos* vel *Essenos* Ἐσσαίους vel Ἐσσηνούς, eosdem cum חסידים Ἀσιδαίοις 1 Maccab. II. 42. & VII. 12. aut ab illis ortos volunt. חסידים autem dicebantur, qui non tantum *pietate* in Deum, sed & *benignitate* & munificentia erga alios præstabant, in oppositione, non solum τῶν רשעים *Impiorum* sed & τῶν צדיקים *Justorum*, id est, qui non agebant, nisi ad quæ stricto jure tenebantur. Cum his uti in multis conveniebant *Essæi*, ita forsan in ipso nomine, si id. ab أسي *Benefecit, benignum se alteri præbuit*, derivetur. Hi omnia a Dei Providentia pendere, Deumque non tam sacrificiis quam casta mente colendum esse credebant, a jurejurando, mercatura & servitio alieni, bona omnia inter se communia habebant, & superioribus obedientes, inque adversis constantissimi, in pietatis charitatisque exercitio, extra commercium cum aliter sentientibus, vitam a voluptatibus vacuam, nonnulli quidem μόναχοι, alii κοινόβιοι, quidam ἄγαμοι, alii ἔγγαμοι, transigebant. In Ægypto illos θεραπευτὰς appellatos contendunt. *Essæi.* *Hasidæi.*

VI. Ab his immane quantum distabant *Sadducæi* צדוקים, a צדוק *Zadoko*, degenere Antigoni Sochæi disci- *Sadducæi.*

pulo, sectæ hujus auctore, denominati. Hi pestilentissimos fovebant errores, negantes resurrectionem mortuorum, præmiumque & pœnam post hanc vitam, cum existentia Angelorum & Spirituum Act. XXIII. 8. nec non ut Josephus addit B. J. Lib. II. c. XII. providentiam divinam: hinc ne impietatis frena nimis laxare viderentur, in puniendis reis erant rigidiores. Recipiebant quidem universam scripturam sacram, non solum Pentateuchum (ut nonnulli volunt) sed repudiabant traditiones, unde a traditionariis, tam in explicatione quorundam locorum scripturæ, quam ritibus externis differebant, quod capitalis inter illos & Pharisæos odii, causa fuit. Huc pertinent quoque

Baithosæi. ביתוסים *Baithosæi* a בותוס *Baithos* condiscipulo Zadoki nomen adepti, qui minus recte vel cum Essæis permiscentur, vel pro peculiari secta habentur, cum potius cum Sadducæis convenerint, aut saltem non nisi in rebus levioris momenti ab illis dissenserint, ut adeo non tam diversam sectam, quam distinctam ejusdem sectæ familiam, constituisse videantur.

Karræi. VII. Sadducæis nonnulli cum Judæis Rabbanitis annumerant, vel pro eorum saltem

ſaltem propagine habent *Karræos*, ſed male, cum a capitalibus eorum erroribus immunes fuerint. Rejiciebant autem æque ac illi traditiones, & ſoli ſcripturæ literali ſenſui inhærebant, unde nomen קראים aut בני מקרא quaſi *Scripturariorum* acceperunt, idemque cum illis traditionariorum odium experti ſunt. Diverſum inſuper ſentiebant ab his in figenda Neomenia, tempore mactandi agni Paſchalis & comburendarum reliquiarum ejus, ut & perſonis ad illius oblationem obligatis, tempore feſti Pentecoſtis & diei Expiationis, adolitione ſuffitus, ritibus quibusdam in feſto tabernaculorum inter Rabbanitas uſitatis, & operibus Sabbatho licitis aut illicitis. Ceterum ipſi in multis ſanius ſentiebant Traditionariis, unde & Servator cum diſcipulis, eorum potiſſimum inſtituta approbaſſe ſecutusque fuiſſe videtur.

VIII. Phariſæi פרושים q. *ἀφωρισμένοι*, unde & Monachus Arab. فريس audit, ita appellantur, quod majori ſanctitatis gradu aut prætextu, ab aliis ſemet ſepararent. Hos quoque ab Haſidæis ortos quidam exiſtimant. Agnoſcebant quidem Providentiam, ſed liberum ho- *Phariſæi.*

 mi-

minis arbitrium illi ſubtrahebant Berach. f. 35. b. Traditiones maximo opere urgebant, quæ סיג לתורה *ſepem Legi* facerent, ἐντάλματα ἀνθρώπων loco præceptorum divinorum obtrudebant, nova φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα humeris imponebant, quæ ipſi non tangebant Matth. XXIII. 4. Veræ autem & ſalutaris doctrinæ cognitionem ſtudioſe celabant, in externis & minutiis rigidiſſimi Act. XXVI. 5. τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου negligebant Matth. XXIII. 23. omnia autem eorum inſtituta & facta ad fucum & hypocriſin erant compoſita. Tribuitur iisdem, ſed ſine idoneo fundamento, quod animarum μετεμψύχωσιν crediderint. Ceterum non omnes idem ſentiebant, ut diſſenſus & infenſiſſimum odium inter Hillelem & Schammai & utriusque diſcipulos, unde hæc quoque ſecta in duas partes ſciſſa eſt, teſtatur. Alias Judæi ſeptem Phariſæorum genera numerant.

Corruptio ipſa, per nimium ſtudium traditionum.

IX. Huic ſectæ maxime accepta ferri debet, miſerrima illa Doctrinæ Avitæ, inter Judæos, *corruptio*, qua a fide Patrum plane defecerunt, ipſumque fundamentum amiſerunt, cujus mali præcipua lerna fuit, quod traditiones

tiones, & illas quidem magna ex parte vanas & in hominum cerebro natas, & placita majorum, verbo scripto, non solum æquarunt, sed & prætulerunt; quibus tandem, opera R. Jehudæ Sancti studiose collectis, משניות seu *Opus Mischnicum* confectum est, quod deinde Doctores tam in terra Israelis, quam in Babylonia, variis quæstionibus & disputationibus magis obscurarunt, quam illustrarunt, unde duplex *Gemara*, & ex ejus cum Mischna conjunctione, geminum *Talmud*, *Hierosolymitanum* & *Babylonicum*, natum est.

X. Sic misso fonte, ad turbidos conversi rivulos, adhibitis minus recte subductis ratiunculis, carnisque consiliis, quin & Philosophorum ethnicorum consultis scriptis, quosvis facillime imbiberunt errores unde multifaria *præcipuorum Doctrinæ capitum*, nata est *depravatio*. Non enim solum tremenda fidei mysteria ejurarunt, sed & ipsam ejus naturam, & universum salutis negotium inverterunt, dum propriæ justitiæ fastu turgidi, suis eam operibus semet mereri, & quæ admisissent crimina, externis Legis ceremonialis placitis & ipsa demum morte expiare posse, stulte sibi persuaserunt.

In præcipuis fidei capitibus.

In Doctrina de Messia.

XI. Hinc quoque veram adventus *Messiæ* rationem abnegantes, ab eo tantum temporalem liberationem, mundanum regnum & carnalia beneficia exſpectarunt, cumque manifeſtatum juſto tempore Meſſiam huic exſpectationi non ſatisfacere viderent, illum repudiarunt, imo quia ſententiam ſuam verbis Prophetarum non ſatis convenire perſpicerent, pro uno ſibi jam duplicem Meſſiam finxerunt, et cum tempus adventus ejus præteriiſſe intelligerent, vel eum jam veniſſe hic aut illic latitantem, vel adventum ejus ultra promiſſum tempus retardari commenti ſunt, vel denique quaſi deſperabundi in tempus hoc inquiri vetarunt. Unde mirum non eſt eos tantopere fluctuantes a quibuscunque *Impoſtoribus* & *Pſeudo-Meſſiis* ſæpiſſime fœdum in modum deceptos eſſe. Similis corruptio & ad alios fidei articulos penetravit.

Vana Theologia.

XII. Ad hanc doctrinæ depravationem, acceſſit vaniſſimum ſtudium cui ſe tradiderunt, dum vel inutilibus quæſtionibus vel inanibus nonnunquam & impiis argutiis, atque myſteriis, ſapientiæ laudem quæſiverunt. Prioris generis quam plurima ipſum

Talmud

Talmud complectitur, posterioribus autem, magna ex parte, corrupta eorum *Theologia Kabbalistica*, tam *Theoretica* quam *Practica*, constat.

XIII. Dum sic prudentiores amisso nucleo corticem lambere cœperunt, reliqua turba ab omni plane veritatis cognitione magis magisque abalienata est, unde accedente imprimis gravissimo illo excœcationis judicio Jes. VI. 9. effusoque רוח תרדמה *spiritu soporis* Jes. XXXIX. 10. subsecutæ sunt densissimæ *ignorantiæ* tenebræ, quibus fere universa gens, per tot seculorum tractum immersa jacet.

Summa ignorantia.

XIV. Hæc passa est Doctrina Sacra a Judæis ipsis, eandem nonnihil mutilarunt *Samaritani*. Uti enim recte humanas traditiones, ita pessime maximam sacri Codicis partem rejecerunt, solo recepto Mosis Pentateucho: Angelos dari negarunt: Messiam quidem exspectarunt, Joh. IV. 25. sed & in persona ejus plurimi errarunt, Act. VIII. 10. Alia iisdem, sed falso tribuuntur, ut, quod resurrectionem mortuorum inficiati sint. Ex hoc autem eorum dissensu in doctrina, & discrepantia in cultu (de quo infra) odium illud plus quam Vatinianum inter ipsos

Corruptio Doctrinæ a Samaritanis.

& Judæos ortum est. Joh. IV. 9. Celebris inter illos imprimis est דוסתאי *Dositheus*, unde quidam *Dositheorum* sectam faciunt.

CAP. VII.

De locis cultus Sacri, Celsis, Lucis, Tabernaculo.

I.

Cultus sacer. Doctrinam sequitur *cultus* עבודה & עבודת אל *cultus Dei* dictus, in quo distinguenda, I. *Loca*, illi destinata. II. *Personæ*, illum observantes. III. *Tempora*, eidem sacrata. IV. *Cultus* ipse.

Ædium sacrarum antiquitas. II. Ante Mosen ædes sacras aut temple fuisse non constat. Imo inter priscas gentes nonnullæ ea exstruere nefas duxerunt, quod ἀδύνατον & Majestate infiniti Numinis indignum reputaretur, eam parietibus includere velle.

Celsa & Luci. III. Antiquissimis temporibus potissimum ad cultum Dei *montes* aut *colles* במות, vel patentes campi eligebantur Gen. VIII. 20. XXII. 2. XXIV. 63. nonnunquam etiam אשרות *luci* seu loco arborum densitate & frondibus opaca. Gen. XXI. 33.

IV. *His* autem cum deinceps ad Idololatriam gentes abuterentur, & Deus *simul* novam sacrorum rationem introduceret, quæ non satis commode, nisi in æde quadam observari posset, illa prohibuit Deut. XII. 2. seqq. ita tamen ut in certis circumstantiis nonnunquam adhuc in excelsis sacrificare quibusdam non solum permiserit, sed & diserte jusserit. *Quæ deinceps abrogata.*

V. Ceterum postquam certum cultui locum designasset, ædemque eum in finem sibi strui curasset, non nisi illic cultum peragi voluit. *Cum substituta ædes sacra.*

VI. Ædes hæc primum fuit portatilis, ναὸς μεταφερόμενος *tabernaculum* scilicet מִשְׁכָּן aut אֹהֶל vel אוֹהֶל מוֹעֵד *tentorium conventus* aut מִשְׁכַּן הָעֵדוּת *habitaculum testimonii* vel אֹהֶל יְהוָה *tabernaculum Jehovæ* dictum, quod ex diserto Dei mandato, & typo in monte exhibito, Mosis cura, a peritissimis artificibus, ex donariis populi, cum omni suo apparatu in deserto ad montem Sinai, primo exitus ex Ægypto anno structum, constabat atrio & æde ipsa. *Tabernaculum.*

VII. *Atrium* erat spatium sub dio apertum, 100 cubitos longum & 50 latum, cinctum undique velo columnis appenso. *Atrium.*

VIII.

Columnæ. VIII. *Columnæ* ligneæ erant, 5 cubitos altæ, cincturis uncisque argenteis, & capitellis argento obductis instructæ, insistentes singulæ singulis basibus æneis. Harum 20 ad austrum, totidem ad boream, 10 vero ad occidentem & 10 ad orientem, æquali inter se spatio distantes, constitutæ erant, ita ut ab axe unius ad axem alterius 5 cubiti essent, nisi quod ad orientem quatuor per quas introitus dabatur, longius a se invicem disjunctas fuisse multi statuant. Exod. XXVII. 10. seqq. XXXVIII. 10. seqq. Hæ mediantibus *funibus* & *paxillis æneis* firmatæ videntur. Exod. XXXV. 18.

Vela. IX. Ex columnis suspendebantur *vela* קלעים, parata ex שש משזר *bysso* seu *lino tenuissimo* retorto, quæ universam longitudinem & latitudinem atrii circumdabant, nisi quod ad orientem tantum 15 cubitorum spatium tribus columnis distinctum ab utraque introitus parte occuparent, Exod. XXVII. 9. seqq. & XXXVIII. 9. seqq. Quatuor autem columnis intermediis, introitum constituentibus, appensum erat velum pretiosius מסך ejusdem cum velo Sancti materiæ, ex lana hyacinthina, purpurea, cocco dibapho & lino retorto,

torto, longum 20. cubitos & latum 5. quod secundum latitudinem dependens, aditum claudebat. Exod. XXVII. 16. & XXXVIII. 18.

X. Interna atrii partitio, in sacro Codice non traditur, ex proportione autem in templo observata recte colligitur, integrum atrium in duas quasi partes fuisse divisum, ita ut per introitum ingredienti semet statim spatium subdiale quadratum 50 cubitorum offerret, hinc porro inciperet ipsa ædes; 30 cubitos proximos longitudinis & 10 latitudinis occupans, reliqui vero 20 cubiti ab utroque latere & a posteriori ædis parte, demta tantum asserum crassitie, manerent vacui. Utrum autem spatium anterius tabernaculi jam in atrium Sacerdotum & Israëlitarum distinctum fuerit, non satis constat, probabile tamen est, quod uti nulli Israëlitarum ad altare, multo minus ad ædem ipsam accedere licebat, ita & loca altari ædique proxima solis sanctuarii ministris patuerint, Israelitæ autem in illis quæ introitui propinquiora erant, substituerint. *Divisio atrii.*

XI. Primum vasorum sacrorum, quod in medio circiter latitudinis atrii, non procul ab ipsa æde, inveniebatur, erat *Altare.*

erat מזבח altare, quod in oppositione altaris interioris החיצון exterius, & a fine cui præcipue inserviebat מזבח העולה altare holocausti appellatur. Paratum illud erat ex ligno Schittim, ære obductum Exod. XXVII. 1. 2. laminis ex thuribulis æneis eidem affixis Num. XVII. 3. intus cavum, ut eo facilius de loco in locum portari posset, quæ cavitas terra ingesta repleri solebat, unde & terreum audit, Exod. XX. 21. cum autem in Schilunto fixum locum nactum esset, loco terræ lapidibus repletum Judæi volunt.

Forma altaris. XII. Longum erat 5 cubitos & totidem latum, altum tres, ab inferiori parte usque ad medium, מעשה רשת opere reticulato, seu instar *cribri* aut *cratis* perforato מכבר, instructum, cujus præcipuus usus fuisse videtur ut circuitum in quo Sacerdotes altare circumibant, sustineret, Exod. XXVII. 4. 5. addunt Judæi, ut inter sanguinem superiorem & inferiorem distingueret. Ad quatuor angulos operis hujus reticulati, erant totidem ex ære fusi *annuli*, quibus duo eum in finem ex ligno Schittim parati, æreque obducti *vectes* immittebantur, ut altare commode humeris portari posset. Exod. XXVII. 4. 6. 7. In summitate altaris ex quatuor

tuor angulis surgebant quatuor turriculæ quadratæ ligneæ, ære obductæ, קרנות *cornua* dictæ, Exod. XXVII. 2. XXXIII. 2. Cum autem altare ejus esset altitudinis, ut in terra stantes non possent commode ad omnes superficiei partes pertingere, & diserte descensus ex illo mentio fiat Lev. IX. 22. dubitari nequit, mediante clivo seu ponticulo acclivi, (sed sine gradibus, Exod. XX. 23.) eo adscensum fuisse.

XIII. In superficie altaris vulgo Judæi *tres focos* faciunt, unum *ignis perpetui*, qui scriptura ipsa teste, a Deo primum cœlitus demissus, summa deinde cura perpetuo nutrimento, ne exstingueretur, ali debuit. Lev. VI. 5. 6. quemque ad structum templum primum usque, non sine miraculo perdurasse volunt: Alterum ex quo prunæ ad suffitum adolendum petendæ, & tertium comburendis victimis destinatum, qui duo posteriores ubi exstincti, ex priori suscitandi iterum fuerint. *Ignis.*

XIV. *Instrumenta* altaris usui inservientia enumerantur quinque: סירות *ollæ* deportandis ab altari cineribus & יעים *palæ* iisdem congerendis colligendisque destinatæ: מזרקות *pelves* ad excipiendum spargendumque sanguinem *Instrumenta altaris.*

nem, quas in superiori parte latiores, in inferiori acuminatas faciunt, ne deponi possent: מזלגות *furcæ* ad invertendas partes victimarum in igne, & מחתות *vascula ad recipiendas prunas*: quæ omnia ex ære parata erant. v. Exod. XXVII 3. & XXXVIII. 3.

Labrum aeneum &c. XV. Inter altare & ædem ipsam Exod. XXX. 18. versus austrum (ut ex comparatione templi patet) stabat *Labrum æneum* כיור נחשת ad abluendas sacerdotum manus & pedes. Erat illud figuræ rotundæ, scapo insistens æneo ex מראות הצבאות fusum Exod. XXX. 18. & XXXVIII. 8. &, ut Judæi volunt, duobus epistomiis, per quæ aqua effluеret, instructum.

Præter hoc labrum, *alia* quædam *vasa* fuisse abluendis partibus victimarum, & res ipsa & collatio Exod. XXIV. 6. cum Heb. IX. 19. probabile facit, quamvis ea de re sacer Codex sileat.

Ædes ipsa, asseres, bases &c. XVI. Atrium emensi ipsam ingredimur ædem, quæ *asseribus* quadratis קרשים στύλοις, ex ligno Schittim auro obductis, X cubitos longis, unum cum dimidio latis, & ex mente Josephi 4 digitos, secundum Rabbinos autem, cubitum crassis constabat. Hi numero XLVIII. ita jungebantur ut in longitu-

gitudine ad meridiem XX, totidem ad ſeptentrionem, & VIII ad occidentem ſe mutuo tangerent, ſicque univerſa ædes interne menſurata, eſſet XXX cubitos longa & X lata. Quo autem aſſeres hi eo firmius conſiſterent, non ſolum ſinguli in inferiori parte duas ידות protenſas eminentias habebant, per quas duabus *baſibus* אדנים argenteis, ad cubiti altitudinem, immittebantur, ſed & quinque inſuper *tranſtillorum ligneorum*, auroque obductorum *ordinibus* corroborabantur, quorum quatuor extrinſecus per annulos aureos ipſis aſſeribus infixos miſſa, tria latera ambiebant, quintum in medio ipſam aſſerum craſſitiem, ad id perforatam, pertranſibat. Exod. XXVI. 15. ſeqq. XXXVI. 20. ſeqq. Memorantur quoque in uſum ædis hujus, *paxilli* ænei יתדות, Exod. XXXVIII. 20, 31.

XVII. Tecti loco conſtrata erat ædes hæc, quatuor diverſi generis velis. Infimum quod intrinſece tantum in ipſo tabernaculo conſpiciebatur, pretioſiſſimum erat, utpote ex שש משור תכלת ארגמן ותולעת שני *lino retorto, & lana hyacinthina purpurea & coccinea* artificioſe paratum, duabus conſtabat partibus, quarum unaquæque ex 5 cortinis

Velum interius pretioſiſſimum.

tinis minoribus, XXVIII cubitos longis & IV latis, atque ſecundum longitudinem conſutis, componebatur. Hæ duæ partes, quarum ſingulæ jam XXVIII cubitos longæ & XX latæ, in uno margine ſecundum longitudinem habebant 50 ללאות ſeu *laqueolos* ex lana hyacinthina, per quos, mediantibus קרסים ſeu *anſulis* aureis, connectebantur, ſicque unum velum XXVIII cubitos longum & XL latum conſtituebant. Hoc ita inſternebatur ædi, ut longitudine veli ſecundum latitudinem tabernaculi diſpoſita, anſulæ incumberent ſpatio, Sanctum a S. S. dividenti, ſicque una veli parte longitudo Sancti contegeretur, altera ſuper S. S. protenſa, ad occidentem extrinſecus ſupra aſſeres usque ad baſes per ſpatium IX ad latera autem VIII cubitorum dependeret. Exod. XXVI. 1. ſeqq. & XXXVI. 8. ſeqq.

Velum Secundum. XVIII. Alterum velum ex pilis caprinis textum, undecim cortinis, XXX cubitos longis & IV latis, conſtabat. Harum 6 ſeorſim conſuebantur, & reliquæ quinque ſeorſim, dein duæ hæ partes æque ac prioris veli, per fibulas & anſulas æneas connectebantur, ſicque integrum velum XXX cub. longum

gum & XLIV latum, superinjiciebatur *priori*, ita ut ad orientem, per spatium duorum cubitorum, complicaretur, ad occidentem autem per duos cubitos profundius, quam prius velum descenderet, quorum cubitorum unus humo incumbebat, ad meridiem denique & septentrionem unius cubiti spatio ulterius quam interius propendens, uno cubito à terra distaret, v. Exod. XXVI. 7-13. & XXXVI. 14-18.

Velum tertium & quartum.

XIX. Tertium velum ex pellibus arietum, rubro colore tinctis, עורות אילם מאדמים quartum ex pellibus תחשים seu animalis *Tachajch* erat, Exod. XXVI. 14. & XXXVI. 19. Horum duorum mensura non traditur, probabile tamen est, quod uti secundum primo majus fuit, ita & hæc, duo reliqua magnitudine superaverint, quo illa undique tegere, omnemque aëris injuriam ab iis commode arcere possent.

Sanctum.

XX. Divisum erat hoc tabernaculum in duo conclavia, quorum anterius XX cubitos longum & X latum קדש *Sanctum* τὸ ἅγιον & σκηνὴ πρώτη Heb. IV. 2. appellabatur. In eius introitu ad orientem stabant 5 columnæ ligneæ auro obductæ, insistentes quinque basibus æneis, quibus *velum* מסך ex lino

D 2 &

& lana hyácinthina, purpurea & coccinea, operis רקם appenſum erat Exod. XXVI. 36. Hoc velo claudebatur aditus Sancti, in quod ſub pœna præſentiſſimæ mortis, nemini ingredi licebat, niſi ſolis Sacerdotibus.

Vaſa ejus. XXI. Vaſa Sancti erant Altare ſuffitus, Lychnuchus & Menſa panum propoſitionis, ea ratione, ut Judæi tradunt, omnia diſpoſita, ut velo Sancti Sanctorum propiora eſſent, quam ipſius Sancti.

Altare ſuffitus. XXII. Horum maxime orientale, & reſpectu latitudinis atrii in medio conſtitutum, erat *Altare ſuffitus* מזבח קטרת, alias מזבח הפנימי *altare interius* aut מזבח הזהב *altare aureum* dictum, factum ex ligno Schittim, auro obductum, cubitum unum longum & latum, duos autem altum: in ſummitate ex quatuor angulis, quatuor *cornua* auro obducta prodibant: ſuperficiem cingebat זר *limbus* ex auro ſolido, ſub quo ad duo latera gemini erant annuli, ex eodem metallo, quibus *vectes* lignei, auroque obducti, ad portandum altare, immittebantur. Ipſa *ſuperficies* גג ſolida erat, ut prunæ ex vaſculo ad adolendum ſuffitum in illam effundi poſſent. Exod. XXX. 1. ſeqq.

XXIII.

Mensa panum propositionis.

XXXIII. Inter hoc altare & velum S. S. ad latus boreale, atque adeo Sanctum ingredienti ad dextram, stabat *Mensa panum propositionis* שלחן & שלחן פנים facta ex ligno Schittim auroque obducta, longa cubitos duos, lata unum, & alta unum cum dimidio. Tabula, cujus crassities non traditur, cincta זר limbo aut corona aurea, insistebat quatuor pedibus, in superiori parte quadratis, in inferiori pedes animalium (secundum Josephum & arcum *Titi* Vespasiani) referentibus, quas in medio ambiebat מסגרת *cingulum* palmare aureum, limbo quoque aureo ornatum, juxta quod, singulis pedibus affixi erant singuli annuli aurei, ut immissis per eos vectibus ligneis auro obductis, mensa portari posset. Exod. XXV. 23. seqq.

Vasa ad mensam pertinentia.

XXIV. Mensæ hujus usui destinata erant 4 vasa aurea קערות כפות קשות & מנקיות Exod. XXV. 29. & Num. IV. 7. קערות Judæis sunt *scutellæ* in quibus panes, ne frangerentur, in mensa collocati: כפות *acerræ* thuris, quales duæ fuerunt, singulis panum ordinibus impositæ: קשות Interpretes Alex. reddunt σπονδεῖα, quorum & Josephus & Philo meminerunt, מנקיות autem

κυάθους: ſed Judæorum nonnulli per קשות intelligunt *calamos dimidiatos*, intus cavos, qui inter panes poſiti fuerint, quo ventus per eos tranſire poſſet, ne mucorem contraherent, per מנקיות autem *furcas* aut *perticas*, quarum ab utroque menſæ latere duæ ſteterint, & fiſſuris ſuis, impoſitos cum panibus dimidiatos calamos, ſuſtinuerint; alii vero contra calamos מנקיות, & furcas קשות appellant.

Lychnuchus.

XXV. E regione menſæ ad latus auſtrale ſtabat *Lychnuchus* מנורה ſeu מנורת המאור, totus aureus, operis מקשה. Conſtabat is ירך *baſi* & ſtipite ſeu ſcapo medio, emittente ex utroque latere tres ramos. Sex hi rami cum ſtipite medio, ſeptem lychnos conſtituentes, exornati erant crateribus, malis & floribus, inſtructique in ſuperiori parte ellychniis, quorum medium nonnulli ad S.S. reliqua autem ab utroque latere ad hunc medium converſa, alii contra omnia antrorſum directa volunt. De ſitu quoque non conveniunt, dum nonnulli eum ſecun dum latitudinem ædis ab auſtro boream verſus, alii contra ſecundum longitudinem, ab oriente occidentem verſus, collocatum cenſent. Ad lychnuchum per-

pertinebant מלקחים *forcipes*, מחתת quibus cinis & ſordes lychnuchi recipiebantur & efferebantur, & כלי שמנה *vaſa olei*. Omnia hæc æque ac lychnuchus ex auro puro facta erant, integrumque talentum iis inſumtum eſt. Exod. XXV. 31. ſeqq. Num. IV. 9.

XXVI. Præter hæc vaſa Sancti, in eodem collocant קרן השמן *cornu olei Sacri*, quia illud Zadokum ad Salomonem ſolemni unctione inaugurandum, ex Tabernaculo petiiſſe, narratur, 1 Reg. I. 39. Ibidem exiſtimant *codicem*, in quo Samuel jus Regni ſcripſit, aſſervatum eſſe, cum illum לפני ײ *coràm Jehova* depoſuiſſe legatur. 1 Reg. X. 25. Alii tamen id de ſancto ſanctorum intelligunt. *Alia quæ in Sancto fuerunt.*

XXVII. Poſt ſpatium XX. cubitorum ab introitu Sancti, erant IV columnæ ligneæ, auro obductæ, inſertæ baſibus IV argenteis, ex quibus ſub anſulis, interius tabernaculi tegumentum connectentibus, dependebat, mediantibus uncis aureis ſuſpenſum, τὸ δεύτερον καταπέτασμα. Heb. IX. 3. velum ſcilicet פרכת dictum, ex eadem cum illo ſancti materia, ſed majoris artificii מעשה חשב, Cherubinis diſtinctum, Sanctum a Sancto Sanctorum dividens, *Columnæ & velum inter S. & S. S.*

 hujus-

hujusque aditum claudens, Exod. XXVI. 31. seqq.

Sanctum Sanctorum. XXVIII. *Sanctum Sanctorum* קדש קדשים ἅγια ἁγίων, & absolute τὰ ἅγια aut σκηνὴ δευτέρα Hebr. IX. 3; 7. vel דביר conf. 1 Reg. VI. 5. seqq. interius tabernaculi conclave appellabatur, longum X cubitos, totidemque latum & altum. In hoc, metu certissimæ mortis, nulli mortalium præter Mosen, & Pontificem Maximum, & huic quidem, non nisi semel in anno, die expiationis, intrare licuit, præterquam in casu extraordinario, ubi vel tabernaculum dissolvendum, aut aliquid ibidem reparandum esset, tum enim & Sacerdotes eodem admittebantur.

Arca fœderis. XXIX. In hoc conclavi custodiebatur omnium vasorum totius ministerii Sanctissimum, *arca fœderis* ארון הברית vel ארון העדות ἡ κιβωτὸς τοῦ μαρτυρίου Hebr. IX. 4. Hæc unica tantum fuit parata ex ligno Schittim & auro purissimo interius & exterius obducta, longa cubitos duos cum dimidio, unumque cum dimidio lata atque alta. In superiori parte aureo limbo exornata, & ad angulos duorum laterum latitudinis, IV annulis aureis instructa erat, quibus duo lignei auroque obducti, & nun-

nunquam dimovendi vectes, ad arcam portandam, inserebantur. Exod. XXV. 10. seqq.

XXX. Superne tecta erat operculo כפרת ex solido auro, ejusdem cum arca ipsa longitudinis & latitudinis, sic ut intra limbum arcæ immissum, eam exacte clauderet, crassities autem ejus ignoratur, quam inepte Judæi palmarem faciunt, nisi forte existiment, illud in medio ad tantam altitudinem elevatum fuisse. Ex hoc operculo, ad duas ejus extremitates, opere מקשה efformati erant duo Cherubini, faciebus sibi mutuo obversis & ad operculum inclinatis, alis autem sursum expansis Exod. XXV. 16. 20. de quarum figura adeo nihil certi constat, ut Josephus ipse Antiq. III. c. 6. scribat fuisse animalia alata, nova specie, nec unquam homini visa. **Operculum ejus.**

XXXI. Arca hæc in medio S. S. & quidem longitudine sua secundum latitudinem ædis collocata erat, productis, quando quiescebat, antrorsum vectibus ejus, ita ut ipsum velum tangerent, & nonnihil protuberare facerent, conf. 1 Reg. VIII. 7, 8. & 2 Chron. V. 9, 8. **Situs.**

Res in arca aſſervatæ. XXXII. Intra illam Moſes, Dei juſſu, repoſuit in perpetuam memoriam fidamque cuſtodiam *duas tabulas fœderis*, Deut. X. 5. & quidem, ſi Judæis fides eſt, ea ratione juxta ſe invicem, ut longitudinis arcæ XII, latitudinis IV palmos occuparent. His jungit Paulus, Heb. IX. 4. *Amphoram Mannæ* & *Virgam Aharonis*. *Amphora Mannæ* צנצנת Græc. ϛάμνος dicta, vaſculum erat aureum, utrinque anſatum, cui ex Dei mandato עמר Omer Mannæ inditum, ad perennem cœleſtis hujus cibi, Iſraelitis divinitus in deſerto conceſſi, memoriam conſervandam. Exod. XVI. 33. Virga Aharonis מקלו של אהרן ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαϛήσασα, erat ex Amygdalo, quæ cum ſingulari miraculo ad ſacerdotium Aharoni ejusque poſteris aſſerendum, una nocte viruiſſet, floresque & fructus produxiſſet in tanti prodigii ſignum, Deo ſic præcipiente, in S.S. poſtmodum, ſive amiſſa iterum, ſive ut alii volunt incolumi, usque ad abſconditam arcam, viriditate aſſervata fuit. Num. XVII. 21 - 26. Hæc duo κειμήλια cum Paulus in arca collocet, id de temporibus quibus arcæ de loco in locum migrandum fuit, intelligendum videtur, cum poſtea illa iterum

rum exempta esse probabile sit, unde 1 Reg. VIII. 9. & 2 Chron. V. 10. nihil in arca præter tabulas fœderis fuisse dicitur.

Liber Legis & donaria Philistæorum in S.S. sed non in arca.

XXXIII. Minus recte autem in ipsa arca a nonnullis ponuntur *Liber Legis* Mosis manu scriptus, (l. III. 11.) & *ἀναθήματα Philistæorum* ad placandam Numinis iram, una cum arca remissa; priorem enim diserte jubet Deus, ad latus arcæ deponere Deut. XXXI. 26, posteriora vero ad ejusdem quoque latus, in peculiari cista בארגז מצדו collocata dicuntur. 1 Sam. VI. 8.

Columna nubis & ignis.

XXXIV. Operculo arcæ velut regio throno inter alas Cherubiorum insidebat שכינה *columna nubis & ignis*, augustissimum illud præsentiæ divinæ signum. Lev. XVI. 2. Quod continuatum, quamdiu arca permansit, ea vero sub templo II. deficiente, illud quoque cessavit, ut infra (l. VIII. 4.) videbimus.

Thuribulum aureum.

XXXV. Præter arcam ejusque contenta vel adjuncta, nihil in hoc penetrali fuit, licet annuatim illi inferretur a Pontifice M. *θυμιατήριον χρυσοῦν thuribulum aureum (suffitus)* quod idcirco Paulum Sancto Sanctorum tribuere volunt Hebr. IX. 4. etsi ceteroquin

finito

finito miniſterio inde iterum efferebatur.

Erectio & inauguratio tabernaculi. XXXVI. Quod hactenus deſcripſimus tabernaculum, poſtquam cum omni apparatu ſuo rite adornatum, tandem primo die menſis primi ſ. Niſan, anni ab exitu ex Ægypto ſecundi, erectum, & unctione ſanguinisque adſperſione inauguratum fuit. Exod. XL. 1. ſeqq. coll. Heb. IX. 21. quo peracto Deus illud, ut domicilium ſuum, in quo poſthac in medio Iſraelis habitare vellet, glorioſo præſentiæ ſuæ ſymbolo replevit. Exod. XL. 34. ſeqq.

Locus ejus in caſtris. XXXVII. Occupabat autem ædes hæc, cum quieſceret, medium in caſtris Iſraelitarum locum, cincta quaſi gemino exercitu, altero propinquiori Levitarum, altero remotiori Iſraelitarum. Poſt tabernaculum enim ad occidentem caſtra metabantur *Gerſonitæ*, ad latus auſtrale *Kehathitæ*, ad latus ſeptentrionale *Meraritæ*, ante illud autem ad orientem *Moſes* & *Aharon* cum *familia* ſua. Num. III. 18. ſeqq. Hæc Levitarum caſtra cingebant tribus Iſraelitarum, in *quatuor vexilla* דגלים diviſæ, *primum* ad Orientem erat vexillum *Judæ*, quo pertinebat *Iſaſchar* & *Zebulon*, *alterum* ad meridiem *Rubenis*, quo

quo referebatur *Simeon* & *Gad*, *tertium* ad occidentem *Ephraimi*, cui ſubordinabantur *Manaſſe* & *Benjamin*, & *quartum* ad ſeptentrionem *Danis* cum *Aſchere* & *Naphtali*. Numer. II. Singula vexilla Judæi animalis alicujus figura inſignita volunt, Judæ ſcilicet Leonis, Rubenis figura hominis, Ephraimi Bovis, Danis vero Aquilæ. Alias tribus his caſtris, tria hæc loca templi II analoga ſtatuunt, caſtris Dei i. e. tabernaculo cum atrio, templum ipſum & Atrium Magnum, Levitarum vero, Atrium mulierum cum antemurali & monte templi, Iſraelitarum denique, Urbem Hieroſolymam.

XXXVIII. Cum locus mutandus eſſet, Deus ipſe per columnam de tabernaculo ſurſum ſemet elevantem, ejus non ſolum ſignum dedit, ſed & in eadem exercitum Iſraelis antegreſſus, per invias Arabiæ ſolitudines viam monſtravit, illa vero immota ſtante, quando & ubi ſedes figenda indicavit. Exod. XL. 38. & Num. IX. 15. &c. Columna hæc, de die ut nubes, de nocte ut coruſcans ignis conſpicua, amicis contra Solis ardores tegmen, in tenebris gratiſſimam lucem aliaque commoda præbebat, hoſtibus autem ruti-

Profectionis & quietis ſignum Columna.

rutilanti in densa caligine flamma terrorem perniciemque afferebat, ut merito eam Philo Lib. I. de Vit. Mos. τεράστιον μεγαλούργημα τῆς φύσεως *ingens naturæ miraculum* vocet, dubiumque adeo sit, utrum maleferiatorum illorum hominum, & opprobriorum Christiani nominis, magis miranda impudentia & stupiditas, an detestanda impietas, qui ut tremendum hoc prodigium eludant, omnem lapidem movent.

Profectio ipsa. XXXIX. Castris se moventibus, portabatur ordinario quidem a Levitis, rarius a Sacerdotibus, arca fœderis, non alia ab hac distincta (ut quidam volunt) ante universum exercitum Israëlis Num. X. 33. & Jos. III. 3. 6. sequentibus tribubus, eo ordine quo metatæ erant, tabernaculum autem, postquam cum vasis suis compositum erat, in medio inter duo priora & duo posteriora vexilla, seorsim ab arca transferebatur, donec castris subsistentibus Deoque ad tabernaculum redeunte, illa in pristinum locum restitueretur. Num. X. 21. 35.

Varia tabernaculi & arcæ loca & fata. XL. Sic per varias stationes, pro variis locis ubi Israëlitæ castra posuerunt, migrans arca cum tabernaculo, semper ad illud ut ordinariam sedem

suam

ſuam rediit. Idem dein populo Jordanem transgreſſo, & æde in Gilgal erecta factum eſt, poſtquam circa muros Hierichuntis circumlata Joſ. VI. 12. &c. & ad montes Garizim & Ebal deducta eſſet Joſ. VIII. 33. Hinc cum tabernaculo Schiluntem tranſiit Joſ. XVII. 1. 1 Sam. III. 3. ubi tabernaculum parietibus lapidibus & ædificiis cinctum, atque idcirco בית appellatum Judæi volunt. conf. 1 Sam. I. 24. & III. 3. 15. inde autem plus ſemel eruta, & tandem in aciem contra Philiſtæos educta. 1 Sam. IV. 4. nunquam eo reverſa eſt. Capta enim ab hoſtibus, ipſis cum Deaſtro ſuo male mulctatis, cum donariis quidem remiſſa eſt, ſed divino Numine in agro Bethſemitico ſubſtitit 1 Sam. VI 14. cumque Bethſemitis etiam fatalis eſſet, kiriathjearim translata eſt. 1 Sam. VII. 1. Unde Davide primum eam fruſtra Hieroſolymam transvehere conante, ob cædem Uzæ, in domo Levitæ Obed Edom ab breve tempus depoſita, mox autem iterato conamine Zionem delata inque tentorio a Davide illic erecto collocata eſt. 2 Sam. VI. 1. 11. 17. Unde breviſſimo tantum ſpatio á Zadoko aſportata, ſtatimque reſtituta eſt.

XLI.

Arca a tabernaculo avulsa & templo illata.

XLI. Tentorium hoc minime confundi debet cum tabernaculo, id enim ex quo, arca inde avulsa, Schilunte Nobam, & hac urbe Saulis crudelitate deleta, Gibeonem translatum erat, eo tempore ibidem adhuc inveniebatur. 1 Sam. XXI. XXII. 1 Chron. XVI. 39. & XXI. 29. Tandem arca templo a Salomone structo illata, ibidem usque ad illius excidium constanter mansit, tabernaculum autem cum omni apparatu eodem quidem deductum, 1 Reg. VIII. 4. sed paucis tantum vasis exceptis, quæ usum priorem retinuerunt, ἐν ὑπερῴοις templi, ut quidam Judæorum volunt, vel ut alii תחת מחלות של היכל *sub antris templi* repositum fuit. Hæc præcipua portatilis ædis arcæque fata per 486. annos, inde a structo tabernaculo, usque ad ædificatum absolutumque templum primum, fuerunt. 1 Reg. VI. 1. & 37. 38.

CAP. VIII.

De Templo Hierosolymitano.

I.

Templum Hieroso-

Tabernaculo igitur tandem successit *Templum*, quod idcirco multa cum

cum illo nomina communia habet: quamvis nonnulla ut בית אל היכם בית ביתי בית זבול " בית עולמים מעון מקדש' היכל· ναός, οἶκος, ἱερὸν templo κατ' ἐξοχὴν & in omni emphasi tribuantur. *Synonymum.*

II. Fuit autem *templum duplex*, alterum regno Judæorum sub Salomone jam plane confirmato pacatoque, alterum post restitutionem ex captivitate Babylonica structum בית ראשון & בית שני seu הבית האחרון Hag. II. 9. Licet enim Herodes posterius illud egregie auxerit, non tamen id pro alio, sed innovato habendum. Nec aliud posthac amplius exspectandum est, cum & Novi Testamenti œconomia id non permittat, & quæ eo facere videntur, tam clare spirituale templum respiciant, ut & prudentiores inter Judæos id agnoscant. *Duplex fuit.*

III. Prius condere sibi David jam in animum induxerat, sed divino oraculo admonitus, ob cruenta quæ gesserat bella, gloriam hanc filio thronique hæredi *Salomoni*, relinquere coactus fuit, 2 Sam. VII. 1. &c. 1 Chron. XXII. 1. &c. a quo tandem secundum delineationem a Patre acceptam, opus hoc quarto Regni anno, strenue inchoatum, *Utriusque Conditores.*

tum, & undecimo feliciter abſolutum fuit. 1. Reg. VI. 1. 37. 38.

Secundum, permiſſu *Cyri* auſpiciisque *Zorobabelis*, a reducibus ex captivitate Babylonica cœptum, poſt nonnulla impedimenta, hortantibus Prophetis *Haggæo & Zacharia*, confirmataque per *Darium* priori conceſſione, tandem ſexto regni ejus anno conſummatum eſt. Eſdr. I-VI.

Templi I & II comparatio.

IV. Templum Salomoneum non ſolum externo ſplendore, ſed & 5 rebus præcipuam illi gloriam conciliantibus, *Arca fœderis*, *Igne cœleſti*, *Urim & Thummim*, *Schechina*, *& Oleo Sacro*, Zorobabelicum, quod Judæis ipſis fatentibus, iis caruit, longo poſt ſe intervallo reliquit; nihilominus huic majorem præ illo gloriam Haggæus tribuit cap. II. 9. quæ fruſtra in vaſorum ſacrorum pretio aut numero, vel ædis ipſius ornatu, altitudine aut duratione, vel donariorum multitudiue, quæritur, cum Haggæo ipſo Interprete, in promiſſi Meſſiæ, *Deſiderii illius gentium*, adventu, pacisque per illum adductione, collocari debeat. ibid. comm. 7. 8.

Rerum tractan-

V. Interim cum, quod ad rem ipſam attinet, poſterius ad formam prioris exſtru-

exſtructum ſit, in quam plurimis eadem *utriusque* eſt ratio, licet & in nonnullis diſcrepent, unde ne ſemel dicta repetere cogamur, utrumque ſimul per partes luſtrabimus, ut qua in re convenerint aut diſconvenerint, eo clarius pateſcat. Ubi tamen probe obſervandum, quod cum Templum Salomoneum ab hiſtoricis Sacris brevius deſcribatur, nec alia illorum temporum monimenta exſtent, multa procul dubio *in illo* jam locum habere potuerint, quæ nos tantum templo II adſcribimus. Brevior autem illa templi I delineatio, in multis ex templo Ezechieli in viſione oſtenſo, utcunque etiam illud accipiatur, egregie illuſtrari poteſt. *darum Ordo.*

VI. Locus utrique communis & a Deo ipſo in hunc uſum electus 2 Chron. VII. 12. 16. fuit unus ex montibus urbis Hieroſolymæ מוריה *Moriah* dictus, pars Zionis הר יהוה Pſalm XXIV. 3. & הר בית יהוה Jeſ. II. 2. Erat hic mons petroſus, arduo vertice, ſenſim verſus latus urbis Orientale, cui adjacebat, reſupinus, una cum colle, cui dein arx Antonia ſuperſtructa, VI ſtadiorum ambitum complectens. Inferiora ejus fornicibus erant inſtructa מפני קבר *Locus templi, mons Moriah.*

 התהום

התהום *ob cadavera* ut Judæi volunt, *illic forte latentia*, & nisi aër interesset, omnes supra stantes, polluentia. Cum autem mons valde inæqualis esset, quo complanari posset, Salomo immenso labore, lapidibus candidis & ad miraculum usque magnis, altissimum murum ex ima valle duxit, qui latera montis aggestamque in locis depressioribus terram sustineret.

Superficies montis. VII. Orta hinc in vertice montis area quadrata, stadium longa atque lata, non per omnia tamen ejusdem altitudinis, sed a latere orientali occidentem versus gradatim diversis planitiebus ascendens, ita ut loca sanctiora semper altiora minus sanctis, ipsaque ædes omnium altissima esset. Hinc inter decem Sanctitatis gradus, quos in universum Judæi numerant, septem in specie ad templum, pro varia altitudine, relationem habent.

Varia spatia templi I & II. VIII. In spatiis extra ædem Sacram non exiguum inter templum I & II discrimen fuit. Sub illo enim duo solum atria memorantur, *interius* seu *Sacerdotum* & *Atrium Magnum*, 1 Reg. VI. 36. VII. 12. & 2 Reg. XXI. 5. XXIII. 12. coll. 2 Chron. IV. 9. His nonnulli serioribus temporibus tertium additum

tum volunt *Atrium novum* dictum, 2 Chron. XX. 5. quod tamen alii tantum pro *renovato* habent.

IX. Nos ex scripturæ, Josephi & aliorum Judæorum verbis potius colligimus, Salomonem primum ad imitationem tabernaculi, atrium ædem cingens struxisse, & muro, loco velorum, circumdedisse, Sacerdotibus proprie dicatum, licet ut in tabernaculo, Israelitæ, ubi cultus ratio id exigebat, in partem ejus anteriorem intrare possent, huic autem in commoditatem populi aliud ad orientem adjecisse: prius a potiori parte *Atrium Sacerdotum*, & a situ *interius* aut *superius* dictum, posterius autem, quia majus spatium vacuum habebat, *Magnum*, (minus recte enim appellatio *atrii magni* a nonnullis interiori datur) cumque hoc sequentibus temporibus ulterius perficeretur aut novis etiam operibus exornaretur, *Novi* nomen illi inditum: atque hoc idem est, quod sub templo secundo *Mulierum* vocatum, quemadmodum prius tum quoque distinctas denominationes Atrii *Sacerdotum* & *Israelitarum* accepit. Cui sententiæ quoque nomen *portæ superioris* & *novæ* favet. 2 Reg. XV. 35. & 2 Chron. XXVII. 3. coll. Jer. XXVI. 10, &

Nostra de illis sententia.

& XXXVI. 10. In templo II autem 5. distincta spatia numerantur, *Mons templi*, *Antemurali* & *tria Atria*, *Mulierum*, *Israelitarum* & *Sacerdotum*.

Mons templi. X. *Mons templi* 2 Chron. XXXIII. 15. dicebatur spatium extimum, totam superficiem montis Moriæ occupans, in cujus medio ædes ipsa cum atriis sita, ita tamen ut ejus maximum spatium ad Austrum, huic proximum ad Orientem, minus ad Aquilonem, minimum vero ad Occidentem esset. Hoc quantum constat, in templo I pertingebat usque ad atria, in templo II autem tantum ad antemurale. In illud ducebant ex sententia Talmudistarum V portæ excubiis Levitarum celebres, una ad Orientem, *porta Susan*, nonnullis ὡραία Act. III. 2. duæ *portæ Chuldæ* ad Austrum, quarta *Kiponus* ad occidentem, & quinta *Teri* ad septentrionem; Josephus tamen plures memorat.

Porticus, tabernæ &c. in monte templi. XI. Cinctum erat hoc spatium porticibus superbissimis, universam montis superficiem ambientibus, triplicibus quidem ad austrum, ubi τὸ πτερύγιον τȣ̃ ἱερȣ̃ Matth. IV. 5. fuisse videtur: ad reliqua latera geminis, quarum quæ ad orientem a Salomone jam structa

ejus

ejus nomen servavit, Joh. X. 23. & Act. III. 11. In hoc monte templi quoque *scamna* aut sedilia fuisse dicuntur, ubi considere possent. In eodem ad latus orientale, circa portam Susan erant חניות *Tabernæ*, ubi pecudes ad sacrificia vendebantur & nummulariorum mensæ stabant, eodemque Synedrium Magnum XL annis ante excidium, ex conclavi Gazith concessit. Supra portam autem hanc Synedrium minus seu XXIII erat. Denique in hoc monte conclavia Levitis ad cibum vel somnum capiendum, destinata, ut & prope atrium Synagoga celebrior inveniebatur.

XII. Patebat autem in illum aditus pollutis a mortuo, & gentibus, unde nonnullis *Atrium gentium* audit, non tamen illuc intrare cum baculo, calceis, marsupio, pedibus pulverulentis, aut ad compendium viæ faciendum, vel ibidem exspuere licebat. In eo quoque ad latus occidentale coram arce Antonia פסולי קדשים קלים comburi solebant. **Sanctitas ejus.**

XIII. *Antemurale* חיל appellatur spatium X cubitos longum, omnia atria undique ambiens, a monte templi divisum per סורג *septum cancellatum* X **Antemurale.**

 pal-

palmorum altitudinis, feu, ut Jofephus ait, *murum* trium cubitorum, Paulo τὸ μεσότοιχον τȣ̃ φραγμȣ̃ Ephef. II. 14. dictum, ultra quod gentibus progredi non licebat, unde ejus columnis Græce & Latine infcriptum μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τȣ̃ ἁγίȣ παριέναι. In hoc antemurale non ulterius, venire τοῖς טבולי יום licebat. Collocatur in eodem a nonnullis *Auditorium* מדרש הגדול quod & in Sabbathis & diebus feftis Judices, loco conclavis Gazith, occupaffe dicuntur, alii tamen id ad montem templi referunt: variæ quoque portæ conclavium atrii in illud ducebant. Aliis præterea ufibus inferviebat, infra paffim indicandis.

Atrium Mulierum. XIV. Poft antemurale in templo II fequitur עזרת נשים *Atrium Mulierum*, ita dictum, quod conftitueret ταῖς γυναιξὶν ἴδιον πρὸς θρησκείαν χῶρον, ἐσωτέρω δὲ κακείνȣ γυναιξὶν ἄβατον ἦν τὸ ἱερόν. Erat hoc fpatium quadratum, CXXXV cubitos longum, & totidem latum, ad orientem Atrii Ifraelitarum fitum, muro undique circumdatum, ad cujus IV angulos totidem ftructa erant *conclavia* לשכות, *Lignorum*, *Lepr*[o]*forum*, *Vini oleique libaminis*, & *Nazirœorum*; cumque Atrium Ifraelitarum hoc multo

multo altius esset, sub illo duo adhuc erant conclavia asservandis instrumentis *Musicis* Levitarum destinata, in quæ introitus dabatur ex Atrio Mulierum.

XV. In hoc atrio primum Viri fœminis permixti erant, sed serioribus temporibus, ad tria latera, orientale, australe & aquilonare, *podium* עזרה (sic) structum, ubi mulieres seorsim sederent, & unde prospicerent. In eodem hoc atrio fuit γαζοφυλάκιον לשכה seu ærarium publicum, in quo collati annuatim Sicli asservabantur in tribus cistis majoribus, unde pecunia, illatis totidem aliis cistis, tribus prioribus Alphabeti literis insignitis, XV diebus ante tria festa majora, depromebatur, ad emenda jugia aliaque sacrificia publica cum fertis & libaminibus, similiaque comparanda quæ relationem ad totum cœtum habebant, aut mercedem his, qui talium curam gerebant, persolvendam. Pecunia post tres *cistas* ex Gazophylacio depromtas illic reliqua, שירי הלשכה *reliquiæ gazophylacii*, quæ vero hac ad suos usus erogata, residua manebat מותר שירי הלשכה *residuum reliquiarum Gazophylacii*, & quæ post elapsum integrum annum, novumque primo die mensis Nisan

Podium & Gazophylacium.

ſan inceptum, in Gazophylacio reſtabat, מותר התרומה *reſiduum ablationis*, dicitur: atque omnes hæ *diverſæ ærarii reliquiæ*, peculiaribus uſibus publicis, pro univerſo cœtu Iſraelis, erant deſtinatæ.

Vaſa XIII recipiendis nummis deſtinata.

XVI. *Collectioni horum Semiſiclorum* æque, ac aliorum donorum in uſum publicum templi oblatorum, inſerviebant XIII. *vaſa*, a figura *tubarum* quam referebant שופרות dicta, itidem in hoc atrio, ut videtur, cum *tredecim menſis* collocata, hisque inſcriptionibus ad pecuniæ illis injectæ uſum indicandum, diſtincta, 1. תקלין חדתין *Sicli novi*: 2. תקלין עתיקין *Sicli veteres*: 3. קנים *Nidi*: 4. גוזלי עולה *Pulli ad holocauſta*: 5. עצים *Ligna*: 6. לבונה *Thus*: 7. זהב לכפרת *aurum ad expiationem*: reliqua ſex לנדבה *pro oblatione ſpontanea* erant.

Conclave ſilentum & vaſorum.

XVII. Hic quoque rectiſſime quæritur לשכת חשאים *Conclave ſilentum*; cui immittebant Viri pii clam eleemoſynas, unde ingenui pauperes clam alebantur, & לשכת הכלים *Conclave Vaſorum*, ubi vaſa ad cultum ſacrum ſponte oblata deponebantur, cum altero ejusdem nominis, de quo infr. §. XXXIV minime confundendum. Ibidem primo anno Heptaeridos Rex ligneo ſuggeſto, in hunc uſum ſtructo, inſidens,

legem

legem prælegebat, quod tamen a Regibus domus Davidicæ, in atrio interiori factum volunt. In hoc atrio uti plerumque Viri, quo tempore ipsis nihil in atrio Israelitarum peragendum erat, versabantur, ita gaudium nocturnum festi tabernaculorum ibidem præcipue celebrabatur (v. infr. l. XXI. 26.)

XVIII. Integrum spatium quod atrium mulierum sequebatur, Judæis κατ' ἐξοχὴν עזרה *Atrium* audit, longum CLXXXVII cubitos, latum CXXXV. Cum autem illud atrio Mulierum esset altius, gradibus eo adscendebatur, quorum sub templo II. quindecim numerantur formæ semilunaris, singulique dimidium cubitum alti, in quibus XV psalmi, ab hoc usu שירי המעלות *psalmi graduum* dicti, a Levitis in festo Tabernaculorum decantari solebant. Spatium hoc muro undique cinctum fuit, unde & Judæis *intra murum*, & nonnunquam phrasi a tabernaculo desumta, *intra vela* dicitur. *Atrium interius.*

XIX. Per Murum ad Orientem quo atrium hoc a novo, dein Mulierum appellato, separabatur, aditus pandebatur mediante *porta*, quæ sub templo II *Nicanoris* appellatur, quamvis & plura alia nomina gerat. Reliquæ *Porta ejus.*

quæ portæ hujus atrii in templo I non satis cognitæ sunt, in II a nonnullis in universum V, ab aliis VIII, ab aliis XIII numerantur: Ex plurimorum autem consensu rectissime non nisi VII statuuntur: tres ad aquilonem 1 Porta *Nizoz* 2 *oblationis* 3 *Beth Mokad*: ad austrum totidem, sc. 4 *Porta ardoris* 5 *oblationis* vel *Primogenitorum* & 6 *aquarum*: ad orientem 7 una, sc. *Porta Nicanoris*. Hæc illa esse creditur, cujus fores singulari prodigio sponte aliquot annis ante templi posterioris excidium apertæ sunt, eademque omnium celeberrima erat, utpote non tantum ex ære Corinthiaco pretiosissime parata, sed & sola Mesusâ instructa, tum quoque mundatio Leprosi & Puerperæ & exploratio Sotæ in illa instituebatur, imo in vel ante illam peragebantur omnia quæ לפני יהוה *coram Jehova* fieri debebant. Altitudo hujus æque ac omnium reliquarum portarum majorum, statuitur XX, latitudo X cubitorum.

Conclavia hujus atrii. XX. *Conclavia* hic memorantur plurima: In templo I eo a nonnullis referuntur מהפכת seu *domus compedis*, ubi Jeremias in custodiam conjectus Jer. XX. 2. לשכת בני חנן *Conclave filiorum Chananis* לשכת השרים *Conclave Principum*

cipum לשכת מעשיה בן שלם Conclave *Maaseja filii Schallum* Jer. XXXV. 3. לשכת גמריה בן שפן *Conclave Gemarjæ filii Schaphan* ibid. XXXVI. 20. לשכת נתן מלך הסריס *Conclave Nesan Melech Eunuchi* 2 Reg. XXIII. 11. & alia, quorum verus situs tamen ignoratur. In templo II a Judæis collocantur, a latere orientali ad dextram portæ Nicanoris, לשכת פנחס המלביש *Conclave Pinchas vestiarii*, ubi plura cubicula induendis reponendisque vestibus Sacerdotalibus destinata, ad sinistram לשכת עושה חביתין *Conclave conficientis crustula Pontificis M.* ad angulum Euro-Aquilonarem לשכת בית אבן *Conclave domus lapidis*, ubi sacerdos vaccam rufam combusturus detinebatur, ad latus australe לשכת העץ *Conclave Ligni*, super quo לשכת פרהדרין *Conclave Parhedrin*, quod & aliquando Conclave Pontif. M. & βουλευτῶν dicitur: לשכת בור הגולה *Conclave putei*: לשכת גזית *Conclave cæsi lapidis*, structum partim in Atrio, partim in Antemurali, ubi ordinaria Synedrii M. sedes erat, & denique *Conclave Abtines* super porta aquarum. Ad Aquilonem vero לשכת המלח *Conclave salis* לשכת בית הפרוה *Conclave domus Parvæ*: *Conclave Lavan-*

tium

tium & *conclave Nizots* supra portam ejus nominis.

Domus foci. XXI. Præcipue vero in hoc latero celebris est בית מוקד *Domus foci*, structa ex parte in loco sancto, ex parte in profano, ubi perpetuus ignis calefaciendis Sacerdotibus alebatur, Seniores familiæ Sacerdotalis nocte diem ministerium ipsorum præcedente somnum captabant, & claves atrii asservabantur. In ejus 4 angulis, totidem minora collocantur conclavia 1 *Panum propositionis* 2 *Lapidum altaris* a Syris contaminati, quod forsan idem cum לשכת בית אבן *Conclavi domus lapidis*, 3. *Conclave quo in balneum* descenditur 4 *Agnorum sacrificii jugis*: quædam horum aliis nonnunquam nominibus veniunt. Plura alia quoque in Talmude passim memorantur conclavia, quorum situs non satis cognitus est. Præter enumerata nonnulli ad hoc atrium interius quoque referunt παςοφόρια, ubi Sacerdotes sedentes ק״ק Sanctissima comederint, ceteroquin autem tanta loci hujus erat sanctitas, ut nemini illic præter Reges ex stirpe Davidis, & Sacerdotes tempore comestionis Sacrorum sedere liceret. Hic quoque fuisse videtur

videtur *tectum Sabbathi*, cujus mentio fit. 2 Reg. XVI. 18.

XXII. Atrii hujus pars anterior XI cubitos ab ortu in occasum longa, & CXXXV lata, appellatur עזרת ישראל *Atrium Israëlitarum*, non quod illic semper versarentur Israëlitæ, sed quod eo usque, non ulterius, illis & quidem non nisi mundis progredi liceret. Appellatio autem hæc licet sub templo I nondum legatur, res ipsa tamen procul dubio ibidem jam locum habuit, cum semper loca altari proxima, Sacerdotibus propria fuerint. Intrabant Israëlitæ in hoc atrium quando cultus divini ratio id flagitabat, ut cum veniebant Sabbathis & noviluniis ad incurvandum se coram Domino, & sacrificia sua Deo offerebant, unde & ibidem אנשי מעמד *Viri stationarii*, sacrificio jugi matutino & vespertino, nomine totius populi mactato, adstabant. In atrio Israëlitarum non longe a porta Nicanoris collocatur *Regius thronus* æneus cum columna marmorea, ubi Reges ex familia Davidica considere soliti, 2 Reg. XI. 13. 2 Chron. VI. 13. *Atrium Israëlitarum.*

XXIII. Ab atrio Israëlitarum distinctum erat *atrium Sacerdotum* non muro quidem sed altitudine, qua superficies *Atrium Sacerdotum.*

hujus

hujus supra planitiem illius, saltem sub templo II, eminebat *duobus gradibus cum dimidio.* Hæc altitudo ita divisa erat, ut primo gradus esset unum cubitum altus, & in loco adscensus (ut videtur) in duos semicubit les divisus, qui adhuc atrio Israelitarum annumerabatur: reliquus sesquicubitus in tres gradus semicubitales distinctus, דוכן לוים *suggestum Levitarum* constituebat, in quo Levitæ stantes canere atque instrumenta musica tractare solebant. Præter altitudinem discrimen quoque hic faciebant ראשי פספסין *capita trabium.* Appellatur autem *atrium Sacerdotum*; reliquum atrii interioris spatium, ab atrio Israelitarum usque ad murum occidentalem, qui XI cubitis a postica parte ædis aberat, protensum, in quo solis sanctuarii ministris versari licebat. Longum erat cubitos CLXXXVI latum CXXXV, quamvis κατ' ἐξοχὴν nonnullis spatium XI cubitorum, quod inter atrium Israelitarum & altare interjacebat, hoc nomine veniat.

Altare exterius Templi I. XXIV. Primum quod hic offendimus *altare exterius* est. Hoc Salomon ad imaginem ejus, quod in tabernaculo fuit, æneum, id est ære obductum

ductum fecit 1 Reg. VIII. 64. 2 Chron. IV. 1. VII. 7. non tamen ſolidum, ſed intus cavum, quam cavitatem Judæi lapidibus repletam aſſerunt. Magnitudine ſuperat illud tabernaculi, utpote longum XX cubitos totidemque latum, altum X, vid. 2 Chron. IV. 1. Removit hoc Rex Achas ſubſtituto alio, ad formam Damaſceni 2 Reg. XVI. 14. 15. & licet probabile ſit Hiskiam ejus loco novum iterum feciſſe 2 Reg. XVIII. 22. quin & Manaſſe legatur ſtruxiſſe altare 2 Chron. XXXIII. 16. vix tamen veroſimile eſt, id quod ad excidium templi manſit, æneum fuiſſe, cum inter vaſa ænea per Babylonios ablata non memoretur. 2 Reg. XXV. 13. ſeqq. Jer. LII. 17. ſqq. Unde multi colligunt, jam tum æneo lapideum ſubſtitutum eſſe.

XXV. Quicquid autem ea de re ſit, ſub templo II altare quidem reſtitutum Eſdr. III. 2. 3. non tamen æneum, ſed ex *lapidibus impolitis*, ſecundum Exod. XX. 25. & Deut. XXVII. 5. ſingulis annis *dealbari ſolitis* paratum. 1 Macc. IV. 44. ſeqq. Altare hoc *templi II priori multo majus erat*, longitudo enim illi tribuitur XXXII cubitorum, eademque latitudo, altitudo autem non niſi *Altare exterius templi II.*

X, cujus unum cubitum occupabat fundamentum, inde usque ad circuitum, unum cubitum latum, erant cubiti V, supra circuitum autem ad superficiem usque, III cubiti, ubi in quatuor angulis totidem eminebant cornua, cubitum alta, longa & lata.

Clivus ejus. XXVI. Quod si in tabernaculo, uti supra visum, ad altare jam mediante clivo adscendebatur, multo magis id in templo, ubi altitudo ejus major, fieri debuit. In templo II Judæi, *clivi XVI* cub. *lati, longi XXX* in solo, in adscensu autem (qui & hic acclivis fuit gradibusque caruit) XXXII, meminerunt. Hic, ex sententia Judæorum *sale conspergi solitus*, *cumuloque salis* in usum sacrificiorum ad orientem instructus, & *cavitate* רבובה ad occidentem, *recipiendis sacrificiis* piacularibus pollutis ex avibus, destinata, ad superficiem altaris ducebat, & ab altari ipso *exiguo spatio* distabat; ad utrumque latus *clivus minor* seu *ponticulus* erat ad circuitum tendens; per *orientalem* ad circuitum adscendebatur, per *occidentalem* contra ex eodem descendebatur.

Superficies altaris. XXVII. *Superficies altaris* erat XXVIII cubitorum, unde tamen demendus cubitus unus pro crassitie cornuum,

nuum, & alter, in quo Sacerdotes ipsam altaris planitiem circumibant, quod restabat quadratum XXIV cubitos longum, & totidem latum, proprie ipsam *altaris aream* constituebat, ubi tres foci, de quibus supra cap. VII. §. XIII. collocantur, in medio huius superficiei congerebatur cinis, cujus cumulum תפוח *pomum Cineris* appellant.

XXVIII. Ad cornu noto-zephyrinum duo stabant ספלים *simpula argentea*, calce infixa duobus foraminibus, quorum orientaliori vinum libaminis, occidentali aqua in festo tabernaculorum infundebatur: descendebant autem libamina hic effusa per angulum, hoc in loco cavum relictum, לשיתין in *cavitatem subterraneam*, cujus loco in templo Salomoneo prope altare *ad angulum* Noto-Zephyrinum foveam fuisse volunt, a qua delapsa ex altari in pavimentum libamina absorberentur. Probe duo hæc foramina distingui debent, a duobus aliis, ad basin ejusdem Anguli Noto-Zephyrini, quæ sanguinem illic effusum per canalem subterraneum ad torrentem Kidron deferebant, olitoribus ad stercorandos agros vendendum. Medium altitudinis altaris, uno cubito sub circuitu,

Duo simpula, duo foramina, & linea rubra.

 cuitu,

cuitu, circumdabat *linea rubra* חוט של סיקרא diſtinguens inter ſanguinem ſuperiorem & inferiorem.

Situs altaris, foramen & locus cineris. XXIX. Altare hac ratione paratum ſtabat coram porta ædis ipſius, nonnihil tamen in auſtrum protractum, ubi & clivus erat, in tribu Benjamin, quare ne qua ejus pars tribum Judæ contingeret, in angulo Euro-auſtrali fundamento ad ſpatium cubiti caruiſſe volunt. Ad latus occidentale inter altare & clivum *foramen* fuit, in quod ſemel ſeptuaginta annis juniores Sacerdotum deſcendebant, ut vinum in altari libatum & in cavitate ſubterranea concretum, inde repeterent, in loco ſancto comburendum. Ad latus vero orientale clivi erat בית חרשן *locus cineris*, ubi cinis hujus altaris æque ac interioris, cum ſordibus lychnuchi, & ingluvie ſordibusque ex holocauſtis avium conjiciebantur, cui nonnulli alium ejusdem nominis locum, ad ortum altaris addunt, in quo פסולין קק ואמורי ק קלים combuſta ſint.

Ciſta pro reparatione ædis, Locus mactationis. XXX. Ad dextram altaris, a Jojada Pont. M. colligendis nummis, ad reparationem ædis, *ciſta* conſtituta eſt 2Reg. XII. 10. quæ deinde ſub templo II con-

conclavi ruinæ ædis לשכת ברק הבית occasionem dedisse videtur. Ad idem latus aquilonare erat בית מטבחיא *locus mactationis* victimarum sanctiorum, quem in finem illic, VIII cubitis ab altari, incipiebant sex ordines *uncorum semicircularium*, quorum singuli ordines, quatuor habebant, una extremitate solo infixos, altera libera manente, quæ postquam colla victimarum uncis submissa essent, prope terram firmari posset, quo victimæ immotæ starent. Inde ab ultimo uncorum ordine, post spatium IV cubitorum, stabant VIII *mensæ marmoreæ*, & post illas totidem *columnæ humiliores* ננסין quibus רביעין *trabes quadratæ* cedrinæ, triplici uncorum ordine, instructæ, innitebantur. Ex his victimæ suspendebantur & super mensas propendentes excoriabantur, in quibus deinde intestina cum partibus victimarum, in conclavi lavantium a crassioribus sordibus prius purgata, diligentius abluebantur.

XXXI. Spatium ad occasum atrii hujus appellatur בין האולם ולמזבח *inter pronaon & altare*. Summa hujus loci erat sanctitas, unde illic in supplicationibus solemnibus Sacerdotes se prosternere solebant Joel. II.17. contra

Spatium inter Pronaon & Altare.

inde Sacerdotes vitiati, aut capite retecto excludebantur, quo ipso patet, quam fœdum in modum cæde Zachariæ contaminatus fuerit. 2 Chron. XXIV. 20. coll. Matth. XXIII. 35.

Mare Æneum. XXXII. In hoc spatio, non tamen exacte in medio, sed nonnihil adhuc ipso altari australius, constituit Salomo הים מוצק *mare æneum*, fusum ex ære solido, ad palmi integri crassitiem, altum V cubitos, rotundum quidem, sed in superiori parte sex incisuris repandis, lilii hexagonalis formam repræsentans, unde & peripheria illi tribuitur XXX, diameter autem X cubitorum, atque hinc commode solvitur difficultas, quando in uno loco M M in altero M M M bathos cepisse dicitur. Exornatum hoc mare circumcirca erat gemina serie tuberculorum & formarum bovinarum; portabatur autem a XII bobus itidem æneis, ita dispositis, ut tres eorum, singulis mundi plagis obversi essent. v. 1 Reg. VII. 23. seqq. & 2 Chron. IV. 2. seqq. Denique lapis marmoreus cubitum crassus a nonnullis ponitur, cui mare hoc inniteretur. Usus hujus vasis erat, ut Sacerdotes ex illo manus & pedes lavarent, quem in finem, sunt qui aquam ex

ex fonte Etham per cavos boum pedes eo delatam, per capita boum mare cingentium iterum effluxisse contendunt.

XXXIII. Præter mare hoc Salomo construi curavit X *Labra ænea* 1 Reg. VII. 27. sqq. 2 Chron. IV. 6. sqq. ollis aut ahenis similia, quæ capiebant singula XL bathos, insistebantque basibus æneis III cubit. altis, IV longis & latis, exornatis figuris leonum, boum, & Cherubinorum, rotisque instructis. Præbebant illa aquam lavandis carnibus sacrificiorum, quam inde æque ac ex mari æneo profluentem, in piscinam Bethesdam delapsam esse, nonnulli existimant. Labra hæc a fulcris suis, & mare æneum a bobus removit, hocque pavimento lapideo imposuit Rex Achas 2 Reg. XVI. 17. Tandem omnia a Chaldæis in Babyloniam sunt asportata. Jer. LII. 17. Nec labra hæc aut mare æneum, dein sub templo II restituta fuerunt, sed potius unum כיור seu *Labrum*, quod cum primum duo tantum haberet epistomia, Ben Catin illi XII fecit, pro numero Sacerdotum circa membra holocausti, & reliqua eo spectantia, occupatorum, idem *machinam ligneam* parasse *Labra.*

 dici-

dicitur, quo aqua vesperi, ex hoc labro demitti, & mane eo reduci posset.

Mensa adipum & vasorum cum duabus columnis.

XXXIV. In hac regione, propius tamen clivo altaris, stabant adhuc *duæ tabulæ*, una *marmorea*, dicta *adipum*, altera *argentea*, quarum priori membra & adeps sacrificiorum, antequam ad altare deferrentur, posteriori vasa ministerii, ex *conclavi vasorum* (quod nonnulli לשכת כלי שרת *conclave vasorum ministerii* appellant, & ab altero conclavi vasorum, de quo supra §. XVII actum est, distinctum, in atrio interiori fuisse volunt,) petita, imponi solebant. Denique illic quoque *duæ columnæ* collocantur, quibus duo Sacerdotes tubis argenteis clangentes, tempore oblationis sacrificii jugis & libationis aquæ, insisterent.

Ædes ipsa, duæ columnæ Jachin & Boaz.

XXXV. Sic tandem lustratis atriis ad ipsam pergimus *ædem*. Hæc lapidibus candidissimis non minori elegantia quam artificio structa, ita ut extrinsecus unus lapis videretur, intrinsecus autem ligno cedrino undique obducta & auro tecta, in tres partes distincta fuit, *Pronaon*, *Sanctum* & *Sanctum Sanctorum*. Ante Pronaon Salomo poni curavit, *duas columnas*, ordinis,

nis, ut videtur, Corinthiaci, ex ære fuso IV digitos crasso, intus cavas, quarum quæ ad dextram stabat יכין *Jachin*, quæ ad sinistram בעז *Boaz* appellabatur. Altitudo uniuscujusque erat XVIII cubitorum, cui impositum coronamentum כתרת quinque cubitos altum, peripheria legitur fuisse XII cubitorum. Hæ columnæ quoque fractæ sunt earumque æs in Babyloniam deportatum, vid. 1 Reg. VII. 15. seqq. 2 Reg. XXV. 16. seqq. 2 Chron. III. 15. seqq. Jer. LII. 20. seqq.

XXXVI. Adscendebatur ad Pronaon *gradibus*, quorum in templo II numerantur XII dimidium cubitum alti, atque ita dispositi, ut post tertium semper gradum intervallum aliquod seu areola relinqueretur. *Pronaon* ipsum אולם dictum, longum erat X latum XX altum CXX cubitos 2 Chron. III. 4. in quod ducebat porta, geminis valvis דלתות האולם 2 Chr. XXIX. 7. instructa. In templo II a quibusdam statuitur longitudo XI cubitorum, latitudo autem cum conclavibus erat C cub. altitudo primum nonnisi LX Esr. VI. 13. quibus tamen Herodes LX alios addidit, ut ita pristinam altitudinem templi Salomonei æquaret. *Gradus & Dimensio pronai.*

Porta & vasa Pronai.

XXXVII. Portæ, Herodis ætate altitudo XL, latitudo XX cubitorum tribuitur, loco valvarum autem illic dicitur fuisse velum pretiosissimum ejusdem cum porta magnitudinis, crassitiei palmi, a quo mediante alio velo minoris pretii, illi oppanso, cœli injuriæ arcebantur. Super porta hac alligata fertur *lingua coccinea*, in die expiationis, albescens; ibidem cernebantur V מלתראות μέλαθρα, seu *transversæ trabes* diversæ longitudinis, totidem ordinibus lapidum distinctæ, variisque imaginibus exornatæ. Vasa Pronai hujus præcipua sunt *duæ mensæ*, ad duo latera portæ templi positæ, una *marmorea*, in qua panes propositionis novi in Sanctum inferendi, altera *aurea* in qua veteres elati, deponebantur.

Ἀναθήματα in pronao asservata.

XXXVIII. In eodem suspensus quoque creditur Davidis clypeus 2 Reg. XI. 10. & alia ἀναθήματα, inter quæ in templo II præcipue numerantur, quæ a variis Regibus ad ornandum templum missa 2 Maccab. III. 2. *Lychnus aureus* super porta Sancti ab Helena Adiabenorum Regina (una cum *tabula aurea* פרשת סוטא inscriptam gerente) templo dicatus, & ut nonnulli volunt, *mensa aurea* a Rege Ptolomeo Phi-

Philadelpho cum aliis donis data; & θάλλοι νομιζόμενοι τȣ̃ ἱερȣ̃ 2 Maccab. XIV. 4. Inprimis huc pertinet גפן של זהב *vitis* ex auro puro mille talentorum, tradibus (כלונסות) cedrinis, parietibus Pronai & Sancti infixis ne panderentur, incumbens, ex privatorum oblationibus tractu temporis nata. Ibidem dicuntur suspensæ *coronæ* in signum dignitatis Regiæ & Pontificalis Josuæ impositæ Zach. VI. 11. seqq. quas cum Antiochus in Syriam abstulisset, earum loco Chasmonei alias reposuisse videntur. 1 Maccab. I. 23. IV. 57. Denique hic collocantur שרשרות של זהב *catenæ aureæ*, quibus juniores Sacerdotes ascenderent, ut coronas has contemplarentur.

XXXIX. A Pronao separabatur Sanctum *muro*, in quo *porta* Judæis *Magna* dicta XX cub. alta & X lata, geminà & ab utraque parte duabus valvis ligneis, sed auro obductis, postibusque oleagineis affixis, instructa, ita ut duæ valvæ versus pronaon, duæ versus Sanctum aperirentur 1 Reg. VI. 34. velo in templo II. adhuc oppanso. Ad utrumque latus ejus, *ostiolum* parvum פשפש Judæi collocant, australe quod semper clausum, & aquilonare per *Sanctum.*

quod

quod Sacerdos Portam magnam reclusurus intrabat. Dimensio Sancti in relatione ad tabernaculum dupla erat, longitudo scilicet XL latitudo XX cubitorum, altitudo parietum eadem, quibus tamen insuper impositum laquear convexum ex lignis cedrinis, X cubitorum, ita ut tota altitudo interna Sancti, ducta a laqueari in medio ubi altissimum, in pavimentum linea recta, esset XXX cubitorum 1 Reg. VI. 2, 9, 15, 20. In templo II altitudo dicitur fuisse XL cubitorum.

Vasa Sancti. XL. Vasa Sancti in templo cum illis quæ in tabernaculo fuerunt conveniebant, discrepabant tamen numero. *Lychnuchos* enim Salomon, loco unius, *decem* fecit, & *totidem mensas*, harum æque ac illarum, pars dimidia ad dextram, dimidia vero ad sinistram constituta fuit, 2 Chron. IV. 7, 8, 19, 20. Non videtur tamen hinc numerus usque ad excidium templi prioris mansisse. *Altare suffitus* unicum quoque Salomo parari curavit, ligno cedrino contabulatum auroque tectum 1 Reg. VI. 20, 22. In templo II vasa hæc iterum ut in tabernaculo singula tantum fuerunt, quæ cum ab Antiocho ablata essent, Chasmonæi nova fabricarunt. Primum

mum autem Judæi dicunt illos lychnuchum ligneum parasse, pro quo deinde, rebus in melius mutatis, argenteus, & tandem aureus substitutus sit. Mensa & Lychnuchus a Romanis in triumpho ostensa sunt, & etiamnum in arcu Titi Vespasiani sculpta Romæ visuntur.

XLI. Sanctum a *Sancto Sanctorum* separabat *paries ligneus*, auro ut reliqui muri obductus, quem crassum I cubitum, altum XX, & super illo *opus reticulatum* ex catenulis aureis faciunt. In illo erat *ostium pentagonale* valvis quidem ex ligno שמן auro tectis, sed semper patentibus instructum, clausum autem *velo pretiosissimo* פרכת quod tangentes vectes arcæ fœderis, nonnihil versus Sanctum protuberare faciebant, 1 Reg. VI. 31. seqq. VIII. 8. & 2Chron. III. 14. in templum II nullus hic paries nullum ostium fuit, sed duo vela, vel (ut videtur) unum utrinque dependens, interstitio unius cubiti Judæis טרקסין dicto, per quod Pont. M. ad austrum ingressus, inter duo vela aquilonem versus pergebat, sicque ad latus aquilonare tandem in S. S. intrabat. Hoc illud velum seu καταπέτασμα est, quod Servatore in cruce exspiran- *Sanctum Sanctorum.*

spirante εἰς δύο ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω scissum est, Matth. XXVII, 51.

Dimensio S. S. Lapis arcæ & Cherubini. XLII. Erat autem *SanctumSanctorum* longum XX, latum totidem, & altum circa parietes XX, in medio vero usque ad convexum laqueat XXX cubitos. 1 Reg. VI. 2. 20. Eo Salomon arcam fœderis, quæ in penetrali Tabernaculi fuit, intulit, & lapidi marmoreo tres digitos alto אבן שתיה (ut Judæi asserunt) imposuit, appositis ab utroque latere australi & aquilonari, duobus magnis Cherubinis ex ligno שמן auro obductis, altis X cubitos, qui expansis alis V cubitorum, in medio se mutuo, ad latera autem utrumque murum S. S. tangebant. Hi uti in templi Primi excidio cum arca perierunt, ita in penetrali Secundi, nihil fuit præter modo memoratum lapidem, de quo Judæi mira quam plurima tradunt.

Fenestræ templi. XLIII. Non levis inter Viros Doctos quæstio est, utrum ædes hæc *fenestras* habuerit nec ne? Nos affirmativam amplectimur, quia & ædificii ratio atque decus, & unanime Judæorum testimonium, & ipsa Sacri Scriptoris verba 1 Reg. VI. 4. id flagitant. Nonnulli illas introrsum augustiores, extrorsum

trorſum patentiores, alii contra in æde ipſa latiores, extrinſecus arctiores faciunt. Scriptura eas appellat שקופים אטמים *proſpectuum clauſorum*, id eſt non in totum occluſorum, tum enim nec feneſtræ, nec ulli inde proſpectus fuiſſent, ſed vel materia quadam lumen transmittente, vel clathris unde LXX θύρας δεδικτυωμένας κρυπτὰς reddunt, vel velo quod obduci aut reduci poſſet inſtructorum, conf. Arab. أطم *cooperuit, velavit pilentum*, ſeu *lateribus velut cortinas obduxit*.

XLIV. Præter hæc conclavia ipſam ædem conſtituentia, alia memorantur tam ſupra quam circa illam. *Superiora conclavia* עליור quidam in templo Salomoneo non admittunt, alii tamen illa ex verbis 1 Chron. XXVIII. 11. & 2 Chron. II. 9. teſtimonio Joſephi & templi ſecundi collatione ſtatuunt, cumque illorum dimenſio tradita non ſit, inferioribus illam æqualem faciunt. In templo a reducibus ex captivitate Babylonica ſtructo eadem fuiſſe, ex altitudine ædis LX cubitorum colligunt, in eodem ab Herode aucto, Judæi illa uno ore agnoſcunt, & æque ac inferiora XL cubitos alta, hisque exacte reſpondentia, eodemque modo velis

Conclavia ſuperiora

velis diviſa faciunt, in quæ mediante cochlea in ipſo muro ſtructa adſcenſum ſit.

Conclave ſuper S.S. XLV. Illud conclave, quod ſupra S.S. erat, Pont. M. ſingulis ſeptenniis ſemel luſtraſſe dicitur, viſurus num omnia illic ſe rite haberent, prӕterquam ſi quod damnum in Sancto *Sanctorum* ſarciendum eſſet, tum enim artifices eo ex conclavi ſuperiori per foramen, in arca quadam ſedentes, demittebantur. Tectum ædis non planum, ſed leniter faſtigiatum erat, circumdatum lorica, ut Judæi tradunt, III cubitos alta, cui æque ac faſtigio tecti, laminam acutam unius cubiti, ad arcendas aves, כלח ערב ſuperimpoſitam volunt.

Conclavia lateralia. XLVI. *Conclavia lateralia* יציעות ædem inferiorem a duobus lateribus & poſtica parte cingebant, non immediate murum ejus tangentes, ſed τοῖς מגרעות innitentes, 1 Reg. VI. 3. ſeqq. Horum numerantur XXXVIII, trina contignatione ſibi mutuo incumbentia, ita ut ab auſtro eſſent XV, quinque ſcilicet in inferiori parte, quibus alia quinque, atque his iterum totidem ſuperſtructa, eadem illorum ad ſeptentrionem erat ratio, ad occiden-

tem

tem vero tria erant, quæ tria alia, & hæc denique duo superiora sustinebant. Omnibus his altitudo V cubitorum, latitudo autem diversa erat, cum enim structuræ illæ מגרעות dictæ, post altitudinem V cubitorum uno cubito contraherentur, quo conclavia superiora illis inniti possent, hinc inferiora conclavia tantum V, mediæ contignationis VI, superioris autem VII cubitos, lata erant. In quodam horum conclavium fuisse volunt ingentem *trabem auream*, absconditam in trabe cedrina.

XLVII. Præter conclavia hæc lateralia ædi מסבה *circuitus* III cubitos latus, murumque V cubitos crassum habens, ad austrum autem ejus loco בית הורדת המים *impluvium*, tribuitur. Ad austrum & Aquilonem Pronai adhuc fuerunt duo conclavia XV cubitos lata בית החליפות *domus secespitarum* dicta, ubi cultros asservabant.

Circuitus, Impluvium & domus secespitarum.

XLVIII. Ex dictis patet, totius hujus ædificii, non unam omni tempore *magnitudinem* fuisse. Salomonis enim ævo illi exceptis muris & conclavibus lateralibus; interne mensurata longitudo LXX cubitorum erat, scilicet X Pro-

Varia templi, pro temporum discrimine, magnitudo.

Pronaï, XL Sancti, & XX S. Si latitudo XX, altitudo autem XXX cubitorum, quam qui conclavia superiora admittunt, externe cum pavimentis & tecto mensuratam ad LXXX cub. extendunt. Pronai vero altitudo erat CXX cubitorum. Id quod a reducibus ex Babylone structum, ex præscripto Cyri habuit LX cubitos altitudinis & totidem latitudinis Esr. VI. 3. quod Herodes dein ita ampliavit, ut in altitudine, longitudine & latitudine, connumeratis conclavibus superioribus & inferioribus omnibusque reliquis eo spectantibus, æqualem haberet dimensionem C cubitorum, frons vero ad pristinam altitudinem CXX cub: reducta, super reliquam ædem, XX cub: emineret. Ubi tamen observandum latitudinem hanc, de anteriori parte tantum accipiendam esse, posterior enim angustior erat, ut adeo templum hoc, figuram Leonis haberet, ut Judæi testantur, qui qua ratione longitudinem, latitudinem & altitudinem hanc per partes digerant, in Middoth IV, m. 6. & 7. videre est, licet non ubique hac in re consentiant.

XLIX. Chasmonæorum ætate & temporibus sequentibus, variæ *turres* aliaque opera ad muniendum templum excitata sunt, inter quæ eminet *Arx*, ad angulum septentrionalem & occidentalem montis templi sita. Structa illa erat in vertice Petræ L. cub. altæ, figura quadrata, cujus singula latera dimidii stadii, horumque australe, lateri montis templi septentrionali παράλληλον erat. Erigere eam primum cœpit Hyrcanus, perfecitque ulterius Herodes M. qui & petram marmore polito cinxit, ut undique inaccessa plane esset. *Castellum* habebat superbissime structum, altum XL cub: ad cujus quatuor angulos, totidem surgebant turres L cubitorum, excepta illa quæ ad angulum Euro-Australem hæc enim erat LXX cub: unde in omnia templi atria prospici poterat. Sedes fuit Hyrcani & successorum ejus ex familia Chasmonæorum, qui ibidem vestes Pontificales asservabant, dicta illo tempore βάρις quod idem cum Rabbinorum בירה est: cum vero Herodes eam porro exornasset, novisque operibus munivisset, in gratiam M. Antonii Trium Viri, *Antoniam* appellavit. Tandem pervenit in manus Romanorum,

Turres templi & Arx Antonia.

qui præsidio illi imposito, Judæos in templo convenientes in officio continebant.

Templa æmula. L. Hierosolymitanum hoc templum, *duo æmula* nactum est, ad ejus formam condita, alterum *Samaritanorum* in monte Garizim, a Sanabellete, in gratiam generi Manassis; quod postquam ab Antiocho Epiphane profanatum & *Jovi Xenio* consecratum, Hyrcanus tandem delevit: alterum *Heliopolitanum*, ab Onia IV. Oniæ III. Pontif. M. filio, sub Ptolemæo Philometore & Cleopatra, in Ægypti præfectura Heliopolitana, CLXXX stadiis ab urbe Memphi, cui nonnulli vaticinium Jes. XIX. 19. applicant.

CAP. IX.

De Synagogis.

I.

Synagogarum nomina. Præter Templum cultui sacro inserviebant *Synagogæ* בתי כנסיות & בתי תפלה seu προσευχαὶ dictæ, quo ipso a scholis doctrinæ destinatis distinguuntur, quamvis hæ nonnunquam illarum quoque nomen gerant.

II. Ea-

II. Earum *origo*, etſi non admodum certa, ſatis tamen antiqua eſt, nec ſine veri ſpecie, a nonnullis, ad illa tempora, quibus Iſraelitæ fixam in Canaane ſedem nacti ſunt, refertur. *Antiquitas.*

III. Ad erigendas Synagogas obligabantur omnia loca, ubi X eſſent homines בניחורין וגדולין *liberi & majorennes*, ſive illa eſſent oppida ſive pagi, unde בתי כנסיות של כרכים & בתי כנסיות של כפרים in Judæorum ſcriptis memorantur, at in urbibus majoribus requirebantur, עשרה בטלנים *decem otioſi*. Eligebantur autem in hunc uſum præcipue *rura*, aut loca *montana*, vel *littoralia*, arboribus conſita, & ſcholis propinqua, quin & nonnunquam illis immediate adhærentia. *Loca.*

IV. *Struere* Synagogas univerſis quidem cœtibus incumbit, licebat tamen & privatis eas erigere, vel fundum in hunc uſum donare, vel ædes jam ſtructas eidem tradere. *Exſtructio.*

V. *Conſecratio* fiebat per preces; quibus illic fuſis, non exigua gaudebant ſanctitate, minori tamen quam ſcholæ, unde ab illis ad has adſcendebatur, quin & Synagogas convertere in ſcholas licebat, non contra. *Conſecratio & Sanctitas.*

 VI.

Partes Synagogarum.

VI. Synagogæ in hunc diem usque, ea ratione structæ sunt, ut interior sanctiorque pars, introitui opposita, illam mundi plagam, ubi templum Hierosolymitanum situm fuit, respiciat. Easdem autem ingredienti se consideranda præcipue offerunt, I. בימה βῆμα seu מגדל aut אלממברא *suggestum ligneum* in medio Synagogæ constitutum, instructumque כסא vel כורסייא unde lex prælegitur. II. קתדראות καθέδραι *subsellia*, pro honoris & dignitatis gradu (unde πρωτοκαθεδρίαι ἐν ταῖς συναγωγαῖς Matth. XXIII. 6.) disposita, ita ut populi, proxima sint suggestui, obversa autem armario, contra vero honoratiora & senioribus concessa, armarium a tergo habeant, & considentes in illis populum spectent, quamvis non eadem in omnibus Synagogis illorum sit dispositio. A subselliis Virorum distinctus locus est, ubi mulieres seorsim considere solent. III. *Armarium* היכל תיבה & ארון s. *arca libraria* ubi Libri Sacri asservantur, velum habens pretiosissimum oppansum, omnesque reliquas partes sanctitate superans.

Suppellex.

VII. In usum Synagogarum faciunt, præter *libros sacros ad lectionem, capsulæ*

Eleemo-

Eleemosynariæ ad colligendam stipem pro pauperibus, *lychnuchi* ad ardendum, & *tubæ* atque *buccinæ* ad jejunii, Sabbathorum & novi anni aliorumve festorum proclamationem aut celebrationem, vel excommunicationem, cum *tabulis*, quibus excommunicatorum aut proclamatorum nomina, inscribuntua.

VIII. Personæ in Synagogis dignitate aut munere inclytæ, sunt ראש הכנסת ὁ Ἀρχισυναγωγὸς, פרנסים *pastores*, quos etiam זקנים *seniores* & שבעה טובי העיר *septem bonos civitatis* nonnulli appellatos volunt: גבאי צדקה *collectores eleemosynarum*, quorum aliqui jam antiquitus vespera Sabbathi בקופה *in cista*, argentum pro pauperibus, alii singulis diebus בתמחוי *in catino* panem atque alios cibos colligebant, dicti nonnullis etiam פרנסים, a quibus collecta per מחלקי צדקה distribuebantur, & quidem argentum tantum inter incolas loci, die Sabbathum præcedente, cibi autem quotidie omnibus promiscue pauperibus. Ab his omnibus distinctus erat שליח הציבור ὁ ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας qui universi cœtus nomine preces fundebat. Ultimo tandem loco occurrunt οἱ ὑπηρέται *Ministri*, *Rectores & Ministri.*

i. e. *custodes* aut *æditui*, qui ædis & ornamentorum arcæ curam gerebant, legentes evocabant, librum depromebant & recondebant, unde & חזנים a حزن *recondidit, asservavit*, appellati. De personis in Synagogis *legentibus* eorumque ordine, infra, cap. XX. §. XXI. & XXXIII. seqq. agetur.

Decem otiosi. IX. Moderatoribus Synagogarum minus recte annumerantur עשרה בטלנים *Decem otiosi*, cum hi potius sint, homines stipendiarii, pretio ad id conducti, ut rebus omnibus relictis in Synagoga semper præsentes essent, quo cum omnibus, etiam extra ordinarium tempus, advenientibus, preces fundere possent. Tales autem non erant nisi in urbibus majoribus.

Numerus Synagogarum. X. Pro multitudine incolarum plures nonnunquam in iisdem locis Synagogæ fuerunt, præcipue cum tractu temporis, pro varia hominum conditione, gente aut lingua distinctæ struerentur, quo spectat illa λιβερτίνων &c. Act. VI. 9. ubi tamen omnem fere fidem exsuperare nonnullis videntur, quæ de 480. vel secundum alios 460. aut 394. Hierosolymitanis, 400. Bitterensibus &c. Judæi narrant.

XI.

XI. Inter varias Synagogas apud Veteres memoratas, præter has *Hierosolymitanas* & *Bitterenses*, præcipue celebrantur *Jammenses*, *Tiberienses* & *Tzipporenses*, quas tamen omnes longissimo post se intervallo relinquit *Alexandrina* illa *μεγίςη καὶ περισεμνοτάτη*, cujus דיפלו אסטבות *διπλαὶ ςοαὶ* & LXX *cathedræ aureæ*, lapidibus pretiosis atque margaritis distinctæ, invidendis laudibus evehuntur. *Synagogæ Celebriores.*

XII. Consecratas semel in hunc usum Synagogas *destruere* quidem, sed non facile licebat, & ipse locus etiam tum, saltem in Canaane, sanctus manebat. *Alienare* quoque easdem, aut lateres, ligna & terram, per donationem aut venditionem, sed non nisi cum certa restrictione certisque conditionibus fas erat. *Synagogarum Destructio & alienatio.*

CAP. X.

De Personis Sacris,

in specie,

Pontif. M. & Sacerdotibus.

I.

Post loca consideranda veniunt *Personæ Sacræ*: Ubi primum se nobis *Sacerdotes.*

offerunt, qui in Sanctuario ministerio fungentes, Sacerdotii jure fruebantur.

An sub promissione, Primogeniti?

II. Jus hoc nonnulli ante legem solis *primogenitis* minus recte tribuunt, cum non solum unusquisque privatus in certis circumstantiis pro se offerre potuerit, sed & plerumque a capitibus familiarum id pro universa familia factum sit, quamvis negari tamen vix queat, illis absentibus aut decedentibus primogenitorum hic potiores partes fuisse.

Sub lege, Aharonis posteri.

III. Sub Oeconomia Legis autem Deus ex universo populo solos *Aharonis posteros* ad hoc munus elegit, inque illo, tremendo supplicio a Koracho & reliquis conjurationis sociis sumpto, nec non singulari prodigio virgæ floridæ, confirmavit, addita mortis interminatione omni peregrino, qui appropinquare auderet, certo certius exspectandæ, Num. III. 10. XVI. XVII. XVIII. 7. unde ipsi כהנים seu *interioris admissionis ministri* appellati sunt.

Eorum caput, Pont. M.

IV. Horum omnium Caput atque Princeps dicebatur כוהן גדול ὁ Ἀρχιερεὺς *Pontifex Maximus*; qualis ex Lege Dei eodem tempore non nisi unicus

cus erat, licet illi ex ſententia Judæorum, die expiationis alius ſubſtitueretur, qui, ſi forte immunditiem contraxiſſet, munere ejus defungeretur.

Varii dignitatum Sacerdotalium gradus. V. Sub Pontifice varii adhuc erant dignitatum gradus, quo in plurali numero titulus Ἀρχιερέων reſpicere nonnullis videtur. Huc præcipue pertinent præter כהן משוח מלחמה *Sacerdotem caſtrenſem,* qui bello orto, ad id ungebatur, ut populum in illo comitaretur, סגן *Sagan,* קתוליקין *Catholici,* ſeptem אמרכלין qui totidem portarum atrii clavos aſſervabant, גזברין *Theſaurarii,* quorum ad minimum tres erant, ראש משמר *Caput ephemeriæ* & ראש בית אב *Caput familiæ miniſtrantis.*

Præfecti templi. VI. Præter hos quoque memorantur XV ממונים ſeu *Præfecti,* qui peculiarem ad templum relationem habebant. I על זמנים Præfectus *temporibus* dictus etiam כרוז. II. על נעילת שערים *claudendis aperiendisque januis,* appellatus quoque בן גבר III. על השמרים *Vigilibus,* quem & איש הר הבית, ut & על הפקיע audiiſſe volunt. IV. על המשוררים ſ. על השיר *Cantoribus* aut *cantui.* V. על הצלצל *Cymbalo.* VI. על הפייסות *Sortibus.* VI.

על

על הקינים *Nidis ſ. avibus*, VIII. על החותמות *Sigillis*. IX. על הנסכים *Libaminibus*. X. על חולי מעיים *Ægrotis*. XI. על המים וחופר שיחין *Aquis & puteis*. XII. על מעשה לחם הפנים *Panibus propoſitionis conficiendis*. XIII. על מעשה הקטרת *ſuffitui*. XIV. על הפרכת *velis*. XV. על המלבוש vel על מעשה בגדי כהנה *Rei veſtiariæ ſ. Veſtibus Sacerdotalibus*. Ubi tamen obſervandum, quod licet in his muneribus potior plerumque eſſet Sacerdotum pars, nonnunquam tamen & Levitæ ad eadem, vel ſaltem nonnulla eorum, ſint admiſſi.

Sacerdotes Gregarii. VII. Reliqui *Sacerdotes Gregarii* erant כהנים הדיוטים diſtincti quoad ſcientiam in כהנים ת״ח vel חברים *Sacerdotes Literatos* & כהנים עמי הארץ *illiteratos*, quoad munera ordine obeunda in XXIV. משמרות ἐφημερίδας vel ἐφημερίας Luc. I. 5. quarum ſingulæ iterum diviſæ in *familias* vel *domos Patrum* בתי אבות של כהנים ſ. פלגות בית האבות 2 Chron. XXXV. 5. τάξεις τῆς ἐφημερίας, ita ut unaquaque hebdomade una ephemeria miniſtraret, inque illa iterum quævis familia diem ſuum obiret. Harum familiarum nonnulli

VII

VII pro numero dierum hebdomadis, alii VI statuunt, ita ut singulæ suo die, omnes vero Sabbatho simul ministerio fungerentur, alii denique plures vel pauciores. Divisio hæc in XXIV ephemerias, scil. XVI ex familia Eleasaris & VIII ex familia Ithamaris a Davide facta 1 Chron. XXIV. 4. a Salomone exsecutioni data, ib. XXVIII. 13. coll. 2 Chron. VIII. 14. & ab Hiskia ac Josia instaurata est. 2 Chron. XXXI. 2. & XXXV. 4. 5. Nonnulli aliqualem nempe in VIII vel XVI jam a Mose introductam contendunt, quibus David XVI vel VIII adjecerit. Post captivitatem Babylonicam, cum IV tantum Ephemeriæ rediissent, hæ denuo in XXIV, servatis nominibus pristinis, sed ordine nonnihil mutato, quibusdam divisæ videntur.

VIII. Ut quis in numerum Sacerdotum reciperetur, ante omnia de legitimis ejus *natalibus*, non solum ex honesto & Sacerdote digno conjugio, sed & familia Sacerdotali perpetua successione per filios aut saltem filias ἐπικλήρους propogata, constare debuit, quem in finem tabulæ genealogicæ studiose asservabantur & sollicite examinabantur. Esdr. II. 62. seqq. & Nehem. *Requisita Sacerdotum.*

VII.

VII. 64. seqq. Tum quoque necessarium erat, ut nullo vitio corporis, quorum CXL Judæi recensent, laboraret, quamvis tales ad communionem ciborum sacrorum & viliora ministeria admitterentur. Præter hæc duo, alia insuper XVI Judæi numerant, quæ Sacerdotes ad sacrorum administrationem ineptos redderent.

Ætas. IX. *Ætas* quidem XIII annorum, si illam signa pubertatis comitarentur, muneri apta erat, non tamen quis actu ad id admittebatur, nisi ex peculiari concessione, ante annum XX, interea temporis autem פרחי כהונה *juniores* a literatis in ritibus sacris instituebantur, quin & festis majoribus illis vasa sacra ostendebantur, quo mature ad munus sacrum præpararentur.

Constitutio. X. Qui justam ætatem attigerat, reliquisque requisitis instructus erat, natalium jure, Sacerdotio gaudebat, Pontifex autem M. a Synedrio M. constituebatur, plerumque quidem defuncti filius natu major, aut sanguine illi proximus, nisi essent quæ illum ab hac dignitate excluderent, in tali enim casu cognatus proximus substituebatur, unde factum ut illa nonnunquam ab una familia in aliam transiret. Successio

ſio hæc cum viciſſitudinibus, quibus ſubjecta fuit, ex nominibus Pontificum in ſacris literis memoratis, & eorundem catalogo, a Joſepho aliisque tradito, clarius perſpicitur. Novus autem Pontifex impetrata hac dignitate, nonnunquam novum quoque nomen aſſumſiſſe videtur.

XI. *Inauguratio* Aharonis & Filiorum per ſeptem continuos dies, certis cerimoniis facta deſcribitur. Exod. XXIX. & Lev. VIII. Quarum cerimoniarum quædam circa Pont. M. æque ac gregarios Sacerdotes, aliæ circa illum ſolum, locum habuerunt. Ad priores pertinent: quod poſtquam totum corpus abluti, veſtibusque ſacris induti, & coram facie Jehovæ conſtituti eſſent, oblatis ſacrificiis initiationis, juvenco geminoque ariete cum fertis, Exod. l. c. com. 2. & Lev. VI. 13. ſeqq. deſcriptis, & membris quibusdam initiandorum manibus impoſitis atque agitatis, auris dextra & pollex manus pedisque dextri, ſanguine imbuerentur, ipſique cum veſtibus ſacris, ſanguine oleo mixto, conſpergerentur. Ubi tamen Judæi monent, ſolemnem hanc Sacerdotum inaugurationem, non niſi in prima Sacerdotii inſtitutione, *Inauguratio.*

in

in deserto obtinuisse, cum eorum posteri in majoribus jam initiati reputarentur, præterquam quod Sacerdotes gregarii æque ac Pontifex, in initiatione semper fertum, quod Judæi מנחת חינוך *fertum initiationis*, appellant, quodque Pontifex singulis diebus continuare tenebatur, offerre debebant. Lev. VI. 12. seqq.

Unctio Pont. M. XII. Solus Pontifex M. insuper *ungebatur* oleo sacro ex מר דרור *Myrrha libere fluente*, קנמון בשם *Cinnamo aromatico*, קנה בשם *Calamo aromatico* & קדה *Casia* ut nonnulli volunt, vel ut alii *Costo*, per Bezaleelem quantitate XII Logorum, opere רקח præparato, & per plurima secula conservato, quod non exigua mensura in reclinatum ejus caput effusum, digito in formam literæ græcæ X כי יונית diducebatur. Unctio hæc, quoties novus Pontifex constituebatur, repetenda erat, quia ad novam dignitatem evehebatur, donec tandem oleo hoc Josiæ temporibus, ut Judæi referunt, abscondito, cessaret, unde Pontifex dein sine unctione, sola vestium sacrarum indutione initiatus מרובה בגדים *inauguratus vestibus*, ut contra unctus

מרובה

מרובה משיחה *inauguratus unctione* appellabatur.

XIII. Vestes nonnullæ Pontifici M. cum reliquis Sacerdotibus communes, aliæ eidem propriæ fuerunt. Illæ erant quatuor, 1. *femoralia* מכנסים, quæ nudo corpori applicabantur, 2. *tunica* כתנת manicis angustioribus, artificiose texta, & ad pedes usque dependens, 3. *balteus* אבנט, quo tunica circa pectus constringebatur, & 4 *pileus* galeæ s. colliculi formam habens, ut etymon vocis מגבעות docet: quæ omnia lino tenuissimo s. bysso בד vel שש constabant, excepto *balteo*, cujus materia שעטנז seu ex lino & lana mixta erat. Hic XXXII. ulnas longus & IV circiter digitos latus, intrinsecus exuviarum serpentis instar cavus, floribusque ex cocco, purpura, hyacintho & bysso variegatis, distinctus erat. ***Vestes Sacerdotales.***

XIV. His superinduebat solus Pont. M. alias IV multo pretiosiores, quæ ab auro, quo exornatæ, בגדי זהב *vestes aureæ*, & a numero quem cum prioribus IV constituebant שמנה כלים *octo vestes*, vel שמנה זהובים *octo aureæ* appellantur. ***Pontificiæ, & quidem Aureæ.***

XV. Sunt hæ, 1. מעיל *pallium* s. tunica laxior ex lana hyacinthina, to- ***1. Pallium.***

ta ἄῤῥαφος ſine manicis, aperturam habens in longum ſuper pectus deſcendentem, limbo circumdatam, per quam caput exſerebatur, in inferiori autem parte tintinnabula aurea, cum malogranatis ex lana hyacinthina, purpurea atque coccinea.

2. Ephod. XVI. 2. אפוד *Ephod* ſ. amiculum brevius (Græcis ἐπωμὶς) ex auro, lana eorundem trium colorum, & lino artificioſe paratum, manicis (ut diſerte Joſephus teſtatur, & aliæ circumſtantiæ ſuadent) inſtructum, cui annexum erat aliud cingulum ex eadem materia, quo corpori adſtringebatur, & ſuper illud ab anteriori parte duo annuli, recipiendis vittis Pectoralis: humeris autem imponebantur *duo lapides* שהם XII tribuum nomina inſculpta gerentes.

3 Pectorale. XVII. 3. חשן *Pectorale*, conſtans panno ex eadem cum Ephodo materia texto, ſpithamam unam lato & duos longo, ſed ita complicato, ut quadratum longitudinis ſpithamæ ſeu trium palmorum, & latitudinis ejusdem conſtitueret, in cujus exteriori ſuperficie quadruplici ſerie auro inſertæ XII. *gemmæ* ſtabant, totidem filiorum Iſraelis inſculptis nominibus inſignes,

gnes. In quatuor angulis quatuor erant annuli aurei, per quos in superiori parte, ope catenarum aurearum humeralibus, in inferiori mediantibus vittis hyacinthinis, annullis Ephod connectebatur. Pectorali huic inserebatur medium illud Deum consulendi & ab illo responsa accipiendi, אורים ותמים *Urim & Thummim*, appellatum, de quo licet hactenus vix certi quid constet, id tamen tuto affirmari potest, materiale quid ab ipsis lapidibus distinctum fuisse.

XVIII. 4. מצנפת *Cidaris*, illi quam Sacerdotes gerebant superimposita, cum ציץ נזר הקדש *lamina coronæ sanctitatis*, quæ mediante *filo seu fascia hyacinthina* פתיל תכלת firmabatur & a fronte insculpta habebat verba hæc קדש ליהוה *Sanctitas Iehovæ*. Cidaris.

XIX. Præter has aliæ adhuc Pontifici erant *vestes albæ* dictæ, quod omnes, nec ipso balteo excepto, lino tenuissimo & candidissimo constarent. Harum etiam IV erant מכנסים *femoralia*, כתנת *tunica*, אבנט *balteus*, מצנפת *cidaris* Sacerdotum pileis depressior quidem, sed latior: quibus Pontifex M. die expiationis S. S. ingrediebatur, quem in finem Judæi geminas fa- 2. Albæ.

 ciunt,

ciunt, (licet alii id de ſolis tunicis intelligant) alteras ex *lino Peluſiaco*; quibus mane, alteras *ex Indico* quibus veſperi utebatur.

Uſus harum veſtium. §. XX. Omnibus his veſtibus *uti* non licebat, exceptis quibusdam caſibus plane extraordinariis, niſi in ipſo templo; non tamen ſolum tempore miniſterii, ſed & poſt illud, præterquam quod eo peracto balteus Sacerdotum protinus eſſet deponendus. Dormire autem in illis nefas erat, licet, ex plurimorum ſententia, Sacerdotes eas capiti ſupponerent. Poſtquam uſu detritæ eſſent, *Sacerdotales* quidem, ad ellychnia in uſum ſancti & atriorum adhibebantur, *Pontificales* autem abſcondebantur: ſcilicet aureæ poſtquam ad ulteriorem uſum ineptæ factæ, albæ vero ſtatim ex quo Pontifex in iis die expiationis miniſterium peregiſſet, quarum loco in ſequentem annum dein aliæ parabantur.

Sacerdotum dignitas atque ſanctitas. XXI. Magna Sacerdotum, maxima Pontificis *dignitas ſanctitasque* erat. Sacerdotes non ſolum præ aliis in honore habebantur, ſed & ſanctitate gaudebant perpetua. Pontifex in ſacris ſummus, in republica Judaica ſolo Rege minor, eoque non exiſtente

etiam

etiam hic præcipuæ auctoritatis erat. In nonnullis quoque cum Rege ipsi conveniebant, inprimis quod vitioris conditionis homines, aut in sordidis negotiis occupati, non minus a Pontificatu quam Regno excluderentur. Plerumque etiam, licet non semper, in Synedrio præsidebat, ceterum tamen huic collegio subjectus erat, & ab illo judicabatur. Tanta ejus erat sanctitas, ut si quis illi inobediens fuisset, morte afficeretur, ac si in ipsum Deum peccasset.

XXII. Hanc autem dignitatem sanctitatemque ut tuerentur, tam in contrahendis nuptiis, quam in omni vita, sollicite attendendum erat. Quod ad *nuptias* attinet, licebat quidem *Sacerdoti* conjugem ducere ex quacunque tribu Israelis, excepta tamen זונה *meretrice*, חללה *profanata*, גרושה a Viro *dimissa*, cui Magistri *repudiatam a Leviro*, & Josephus illam quæ *serva* fuerat, aut *captiva*, vel *cauponariam* excercuerat, jungunt. *Pontifici* M. insuper interdicta erat vidua Lev. XXI. 7. 13. 14. ita ut nec ad jus Levitatus teneretur. Quodsi Sacerdos aliquis cum fœmina ipsi interdicta consuevisset, arcebatur a Ministerio donec coram Synedrio de- *Nuptiæ.*

claraſſet, ſe hac conſuetudine abſtinere velle, aut ſi talem uxorem duxiſſet, donec illam dato libello repudii dimiſiſſet. conf. Nehem. XIII. 28.

Cautela illis obſervanda.

XXIII. In *reliqua vita* nefas erat Sacerdotibus *calvitiem capiti inducere, angulum barbæ auferre, aut caput habere* פרוע Lev. X. 6. XXI. 5. ut & *accedere ad mortuum* eoque ſe polluere, exceptis ſex perſonis, *Patre, Matre, Filio, Filia, Fratre* & *Sorore* innupta, quibus nonnulli *Uxorem* addunt; quorum nunciata morte protinus etiam incepta jam re ſacra deſiſtere temploque egredi debebant. Lev. XXI. 2. 3. At Pontifex ne illis quidem, ſed ſolo מת מצוה *mortuo præcepti* polluebatur, quin nec ob luctum ſacris aut templo arcebatur, aut veſtes lacerabat, quod nonnulli tamen de modo lacerandi tantum explicant. Lev. XXI. 10. 11. 12. Sacris autem luctus tempore veſci, ne Pontifici quidem, multo minus reliquis Sacerdotibus licebat. Lev. X. 19. Denique Sacerdotes cum univerſa familia vitæ inculpatæ & a ſceleribus puræ, operam dare debebant, ita ut ſi filia Sacerdotis ſtuprum commiſiſſet, igne eſſet comburenda. Lev. XXI. 9.

XXIV.

XXIV. *Functiones* Sacerdotales, cum præcipuam cultus publici partem constituant, de illis infra ubi cultum ipsum explicabimus, ex professo differendi locus erit. *Functio.*

XXV. Quo autem Sacerdotes, eo magis muneri suo vacare possent, a cura rerum mundanarum Deus illos liberos esse, & cum altari deservirent, ex altari quoque victum quærere voluit. 1 Cor. IX. 13. Quem in finem uti illis hæreditatem inter reliquas tribus non concessit, ita tamen præter *urbes* ad habitandum, certa quoque *dona* מתנות כהונה dicta assignavit, unde se suamque familiam commode sustentare possent. Horum Judæi XXIV numerant, quæ nonnulli ad duas classes קדשי מקדש & קדשי הגבול *sacra in templo & sacra extra illud* consumenda, alii vero ad tres, במקדש *in templo*, בירושלים *Hierosolymis*, & בגבולין *in reliquis regionibus terræ Canaan*, redigunt. *Prærogativæ & reditus.*

XXVI. In templo consumenda erant decem עשר במקדש scilicet *sacrificia piacularia*, tam 1. ex *quadrupedibus*, quam 2. *avibus*: 3. & 4. *Sacrificia pro delicto certo & dubio*, 5. *Sacrificia salutaria publica*, 6. *Logus olei leprosi*, 7. *Duo* *Varius bonorum redituum usus.*

panes pentecostales, 8. Panes propositionis 9. Reliquiæ fertorum, & 10. Manipulus Paschalis. Quorum usus ad urbem Hierosolymam restrictus erat, numerantur quatuor ארבע בירושלים *1. Primogenita pecudum, 2. Primitiva, 3. Partes ex sacrificiis eucharisticis & ariete Naziræi* ablatæ, & *4. Pelles sacrificiorum sanctissimorum.* Illa autem quibus in reliquis regionibus uti licebat, erant. *1. Primitiæ, 2. Decimæ decimarum, 3. Placenta, 4. Primitiæ lanæ, 5. Dona ex animantibus in usum profanum* mactatis, sc. *armus, maxillæ & venter, 6.* Λύτρον *filii primogeniti, 7.* Λύτρον *primogeniti asini; 8. Ager possessionis, 9. Ager devotus, 10. Rapina Proselyti.*

Eorundem inter Sacerdotes distributio. XXVII. Ex Donis Sacerdotalibus Pont. M. partem quam vellet, si Judæis credimus, auferebat, quæ tamen nunquam dimidium doni alicujus excedebat. Quod ad Sacerdotes autem gregarios attinet, nonnulla inter omnes sine discrimine æqualiter distribuebantur, alia tantum inter Viros Ephemeriæ ministrantis, alia pro lubitu quibus quisque vellet dabantur, ubi tamen Literatorum major quam illiteratorum ratio haberi solebat. De singulis autem his, suo loco, agetur propius.

XXVIII.

XXVIII. Tam luculenti reditus eo magis erant necessarii, quo major Sacerdotum esset numerus, qui tractu temporis ita excrevit; ut Josephus in singulis classibus ultra quinque millia eorum numeret. *Sacerdotum numerus.*

CAP. XI.

De Levitis eorumque ministris Nethinæis, nec non Viris Stationariis.

I.

Præter familiam Aharonis, Deus omnes reliquos ex tribu Levi, loco primogenitorum sibi consecratorum assumsit, Sacerdotibusque administros dedit, Num. IV. 9. 12. VIII. 19. qui a generis sui auctore לוים *Levitæ* appellati fuerunt. *Levitarum Nomen.*

II. Horum, pro numero trium filiorum Levi, triplex fuit familia, *Gersunitarum*, *Kahathitarum* & *Meraritarum*: deinde Auctoribus (ut Judæi volunt) Samuele & Davide, omnes æque ac Sacerdotes, in XXIV. משמרות s. *ephemerias* quæ integram singulæ hebdoma- *Divisio.*

dem ministrarent, atque hæ iterum in VII בתי אבות *domus Patrum*, quarum unaquæque unum hebdomadis diem observaret, divisæ erant, quem in finem singulis sui præerant præfecti, illis quidem ראש משמר, his autem ראש בית אב, qui omnia in sua classe moderabantur.

Dignitas. III. *Dignitas* Levitarum inter Sacerdotes vulgares, & Israelitas media erat, ita ut licet insigni ὑπεροχῇ præ his gauderent, illis tamen, etiam vitio laborantibus, postponerentur, & ad quædam munia, non, nisi iis deficientibus, admitterentur.

Requisita Levitarum. IV. Uti ad Sacerdotium nemo aptus erat, nisi de cujus Genealogia constaret, ita nec ad munus Levitarum, nisi qui ex hac tribu per *legitimos natales* originem duceret. *Vitia* autem corporis Levitas ineptos non reddebant, præterquam vocis, quæ inidoneos faciebant ad cantum.

Ætas. V. *Ætas* qua Levitæ ministerium auspicati sunt, non semper eadem, sed pro temporum munerumque discrimine, varia fuit. In deserto qui portandis oneribus destinati, anno demum trigesimo ad id admissi, & quinquagesimo iterum dimissi fuerunt, quod hoc

opus

opus magis robuſtam ætatem requireret. Num. IV. 3. ad reliqua autem anno jam vigeſimo quinto idonei erant. Num. VIII. 24. Dein cum David miniſteria templi ordinaret, Levitas primum ab anno trigeſimo, ſed mox quia (ut videtur) illos omnibus muneribus obeundis, pares non eſſe cerneret, etiam reliquos inde ab anno vigeſimo numeravit, atque inter hos munera diſpertiit. 1 Chron. XXIII. 3. coll. 24. 2 Cor. XXXI. 17. & Eſr. III. 8. Dimiſſio quoque anno quinquageſimo non ultra illud tempus, ubi tabernaculum de loco in locum migrabat, duravit, cum dein non ætas magis, quam vitium corporis, Levitam ad munus ineptum redderet.

VI. *Inauguratio* fiebat adſperſione במי חטאת, raſione integri corporis, ablutione veſtium, atque oblatione juvenci unius in ſacrificium piaculare, & alterius in holocauſtum, impoſitione manuum capitibus horum juvencorum per Levitas, & per Iſraelitas ipſis Levitis facta horumque tandem per Aharonem agitatione. Num. VIII. 6. 22. Qui ritus tamen in prima Levitarum initiatione in ſolitudine tantum obſervati, cum reliqui ſequentibus tempo- *Inauguratio.*

ribus,

ribus, eadem ratione ut Sacerdotes gregarii, in illis quoque jam consecrati haberentur.

Vestes. VII. Sacras *Vestes* Levitis æque ac Sacerdotibus paratas fuisse non legitur, nec probabile est, cum illæ cetero-quin procul dubio ad eorum initiationem adhibitæ fuissent. Unde quod Josephus asserit Ant. II. 8. Salomonem Levitis Cantoribus stolarum byssinarum myriades viginti fecisse, pro privata potius Regis liberalitate & studio splendorem sacrorum promovendi quam mandato divino, aut recepta consuetudine, habendum. Utebantur autem veste ex *lino* בד breviori, tunicis Sacerdotum & forma cum Ephod conveniente, 1 Sam. II. 18. cui in solemnioribus pompis videntur superinjecisse *pallium byssinum* מעיל בוץ 1 Chron. XV. 27. In itineribus autem per terram Israeliticam plerumque cum baculo, marsupium & librum legis gerebant, 2 Chron. XVII. 9. conf. Matth. X. 10.

Munia in deserto. VIII. *Munia* Levitarum quoque non omni tempore eadem fuerunt. In solitudine præcipuum eorum opus erat, tabernaculum de loco in locum transferre, idque ita ut Kahathitæ, composita prius a Sacerdotibus suisque involucris

volucris tecta vasa, humeris portarent, quos phrasi Julii Firmici non ineleganter *divinarum bajulos ceremoniarum* appellares, Gersonitæ vela & aulæa, Meraritæ asseres, vectes atque columnas curribus veherent, Num. IV. quem in finem Moses illis duos currus cum quatuor bobus, his autem quatuor currus & octo boves, ex oblationibus principum dono dedit. Num. VII. 5. 6. 7.

IX. Præterea illorum officium erat. Sacerdotibus se ministros præbere: cumque insuper David quosdam in specie ad rem musicam in templo tractandam, alios ad agendas excubias constituisset, hinc Josephus tres eorum facit ordines, ἱεροδούλους, ἱεροψάλτας & θυρωρούς quorum priores Sacerdotibus in tenendis aut jugulandis, ubi opus erat, vel excoriandis & coquendis victimis offerendisve agnis Paschalibus, & egerendis ex templo atque in vallem Kedron deferendis sordibus; vel præparandis crustulis Pontificis M. aut panibus propositionis, inserviebant. Nonnulli quoque primitiis, decimis aliisque populi oblationibus conservandis & distribuendis, operam impendebant, ἱεροψάλται non tantum ore hymnos sacros

Alia sequ. temporibus

cros continebant, sed & simul instrumenta musica tractabant. θυρωροὶ autem seu *janitores*, ad fores templi excubias agebant; quæ omnia cùm ad cultum ipsum pertineant, in ejus explicatione, loco opportuniori, propius exponentur. In docendo quoque Levitas fuisse occupatos, supra cap. V. §. III. jam monitum est. Ex iisdem nonnullos etiam *judices* fuisse constitutos, infra P. II. cap. IV. videbimus.

Levitarum reditus. X. Ne autem mundanis negotiis nimium implicarentur, non solum a militia omnibusque aliis oneribus liberi erant, sed & Deus iisdem loco hæreditatis, in terra Canaan denegatæ, *urbes* ad commorandum, & *decimas* ad se suamque familiam honeste alendam assignavit, addito insuper præcepto, de iisdem ad epulas εὐχαριστικὰς invitandis aliisque donis prospiciendis. Numer. XVIII. 21. seqq. XXXV. 2. Deut. XII. 12. 18. seqq. XVI. 12. Jos. XXI. 3.

Numerus. XI. Tam lautis reditibus Levitæ eo magis indigebant, quo eorum *numerus* esset major. In prima institutione, jam illorum qui mensem unum excesserant, 22000 exceptis primogenitis, his autem connumeratis 22300

erant,

erant, Num. III. 21. 39. Davidis ætate numerus hic jam adeo auctus erat, ut eorum, qui trigesimum annum attigerant, invenirentur 38000, 1 Chron. XXIII. 3. tractuque temporis ulterius in immensum excrevit, ut vel ex incredibili fere illa stolarum multitudine, de qua §. VII. colligi potest.

XII. Ut Sacerdotibus Levitæ, ita his iterum a Davide & Proceribus populi, ministri dati sunt *Nethinæi*, unde ipsum nomen נתינים acceperunt, Esr. VIII. 20. Fuerunt illi præcipue ex Gibeonitarum posteris, quos Josua jam & Principes findendis lignis atque hauriendæ aquæ, in usum totius populi & altaris, consecraverant Jos. IX. 21. & 26. quamvis non improbabile sit, alia quoque mancipia iisdem data, communi hac appellatione, comprehensa fuisse. Tam vilis autem eorum erat conditio, ut conjugia cum illis æque ac cum spuriis, perpetuo Israelitis interdicta essent, quin & spuriis Israelitis postponantur, cujus rei geminam Judæi causam reddunt, fraudem, qua Gibeonitæ Josuam circumvenerunt, & crudelitatem in septem filios Saulis commissam. Jos. IX. 4. seqq. 2 Sam. XXI. 4. seqq. **Nethinæi.**

XIII.

Viri stationarii. XIII. Sacerdotibus atque Levitis in sanctuario ministrantibus, merito subjungimus אנשי מעמר *Viros stationarios* qui & ipsi ibidem publico quodammodo munere fungebantur. Intelliguntur enim hac phrasi, Viri, ex universo populo Israëlitico, ad id lecti, ut sacrificiis publicis totius cœtus nomine offerendis adstarent, quem in finem & ipsi ut Sacerdotes & Levitæ in XXIV. classes divisi erant, quarum unaquæque sub præfecto suo ראש המעמר dicto, una hebdomade officio hoc fungebatur, unde nonnulli eorum fixam Hierosolymis sedem habebant, alii prope habitantes, cum ordo illos tangeret, eodem adscendebant; cujus consuetudinis Auctores, Judæi æque ac ephemeriarum Sacerdotalium & Leviticarum, Samuelem atque Davidem, laudant.

CAP.

CAP. XII.

De Temporibus Sacris: Sabbatho, Noviluniis, Festis &c.

I.

Licet quotidie cultui ſacro in templo vacandum eſſet, certa tamen tempora, Deus præ aliis, ab univerſo populo, ſolemni ritu, ſancte transſigi voluit, quæ pro varia qua redibant periodo, commodiſſime diſpeſci poſſunt, in hebdomalia, menſtrua, annua & poſt plurium annorum ſeriem redeuntia. *Festorum diſcrimen.*

II. Prioris generis erat *Sabbathum* a quiete, qua tranſigendum, nomen adeptum, & ſeptimo quovis hebdomadis die celebrandum. *Sabbathum.*

III. Hujus *inſtitutionem* nonnulli quidem ex Paradiſo, alii, a conceſſo primum Iſraelitis in deſerto manna repetunt. Exod. XV. Quod ſi vel maxime Patriarchæ diem hunc cultui ſacro jàm deſtinaſſent, abſtinentia certe ab omni labore, tanto rigore obſervanda, ſolis Iſraelitis præſcripta eſt, eorumque tantum generationes ſpecta- *Ejus inſtitutio.*

vit Exod. XXXI. 16. Ezech. XX. 12. Nehem. IX. 14. unde & umbris cultus Levitici annumeratur. Col. II. 16.

Ratio institutionis. IV. Institutum autem illud est in memoriam absoluti operis creationis, nec non in signum sanctificationis & typum spiritualis illius quietis, per exsecutionem operis gratiæ, in Christo adducendæ.

Sabbathorum discrimen. V. *Tria Sabbatha* præ reliquis distinguunt Judæi, Sabbathum festum Paschatis proxime antecedens, quod maxime sanctum habetur & שבת הגדול *Sabbathum Magnum* appellatur, alterum quod in decem primos mensis Tisri dies, ימי תשובה *dies pœnitentiæ* dictos, incidens שבת תשובה *Sabbathum pœnitentiæ* audit, & denique tertium, festum lætitiæ legis proxime sequens, quo sectionem primam Pentateuchi legunt, quodque idcirco שבת בראשית *Sabbathum bereschis* dicitur. In Novo testamento celebratur *σάββατον δευτερόπρωτον* Luc. VI. 1. de quo variæ admodum exstant Virorum Doctorum sententiæ, quarum tamen nulla hactenus ultra probabilitatem assurgit.

Novilunia. VI. Menstrua festa erant *Novilunia* ראשי חדשים *νουμηνίαι* Col. II. 16. quo nomine primus quisque mensis dies,

quo

quo luna novo ſplendebat lumine, appellatur.

VII. Novilunii *determinatio* ſumma cura fiebat a Synedrio M. quod eum in finem die menſis trigeſimo, in loco, *Beth Jaaſek* dicto, a tempore matutino usque ad ſacrificium juge veſpertinum conſidebat, teſtes qui præterita veſpera ſe novam lunam vidiſſe affirmabant, examinans, eorumque teſtimonium cum calculo aſtronomico conferens. Quod ſi duo deprehenderentur, quorum teſtimonium, cum hoc calculo conveniret, Præſes Synedrii exclamabat מקודש *conſecratus eſt*, & populus reſpondebat מקודש מקודש ſicque dies hic primus menſis conſtituebatur. Si vero luna ob nubilum aërem conſpici non potuiſſet, vel duo idonei teſtes non fuiſſent reperti, aut ſerius adveniſſent, exſpectabatur dies ſequens, qui ſine ראייה aut ulteriori examine, aut proclamatione, pro primo habebatur, quod ab ipſo cœlo proclamatus eſſet. Diſſentiebant autem hac in parte Karræi a Phariſæis, tum in quibusdam aliis circumſtantiis, tum in eo præcipue, quod in Novilunii conſtitutione non ad calculum aſtronomi-

Novilunii conſecratio.

 nomi-

nomicum, sed solum testimonium oculatorum testium attenderent.

Quomodo aliis locis innotuerit?

VIII. Facta Hierosolymis Novilunii Determinatio, locis vicinis significabatur, primum quidem per ignes in montibus accensos, at cum id fraude Samaritanorum eluderetur, dein certis eam in rem nunciis usi sunt.

Duobus diebus nonnunquam celebratum.

IX. Hi autem cum non sat cito ad remotiora loca pertingere possent, in illis ob incertam consecrationem biduo Novilunium celebrabatur, qui mos etiamnum durat, licet cum maxime non amplius ex ore testium, sed solo calculo astronomico illud determinent. Dies autem secundus, in noviluniis ordinariis, minoris sanctitatis habetur.

Festa annua.

X. *Festa annua* præcipua erant *tria Majora*, רגלים dicta, *Pascha*, *Pentecoste*, & *festum Tabernaculorum*, de iisdem quoque in emphasi vox חג & Gr. ἑορτή usurpatur, v. Hos. II. 13.

Pascha.

XI. Primum horum *Pascha* פסח vel פסחא a *transitu angeli* appellatum, in cujus memoriam fuit institutum Exod. XII. unde Josepho ὑπέρβάσια & Symmacho ὑπέρβασις, Philoni διαβατήρια audit.

XII.

XII. Incidebat in diem XIV mensis Nisan, durabatque per septem dies sequentes, qui alias quoque *dies* aut *festum azymorum* חג המצות vocantur, quamvis hæc appellatio etiam aliquando diem XIV includat, quemadmodum & nomen Paschatis contra illis diebus sæpe tribuitur. Cavebant autem, quantum pote, ne festum hoc in בד״ו seu *secundum, quartum* & *sextum* hebdomadis incideret. *Tempus ejus.*

XIII. Licet autem fixus esset huic festo dies XIV Nisan, evenire tamen potuit, ut Judæorum quidam die uno citius reliquis, illud celebrarent, si scilicet novilunium mensis hujus diversis diebus constituissent, quod discrimen omnium facillime inter Karræos & Rabbanitas contingere potuit, atque hinc patet, quo pacto Servator cum discipulis Pascha suum θανάσιμον integro die citius quam Pharisæi, & nihilominus tamen, æque ac illi, die XIV Nisan comederit. *Diversis nonnunquam diebus celebratum.*

XIV. Quod si quis mense Nisan Pascha celebrare ob causas satis sonticas non potuisset, is die XIV mensis sequentis idem præstare, non quidem ex instituto Rabbinorum, (ut nonnulli *Pascha Magnum & Parvum.*

minus recte sentiunt) sed ipsius Dei præcepto tenebatur. Num. XI. 10. 11. At hoc Pascha non nisi unum diem durabat, hinc Judæi id פסח קטן *Pascha parvum*, vel in relatione ad prius פסח שני *Pascha secundum*, ordinarium autem mensis Nisan פסח גדול *Pascha magnum* & פסח ראשון *Pascha primum* appellant.

Ægyptiacum & sequentium generationum.

XV. Distinguere solent Judæi inter פסח מצרים *Pascha Ægyptiacum* & פסחי דורות *Paschata sequentium generationum*, quod multa in Ægypto locum habuerunt, quæ dein non amplius stante templo observata sunt, ut suo loco in festi hujus celebratione videbimus.

Festum Pentecostes.

XVI. Festum *Pentecostes* institutum in memoriam latæ Legis, appellatur quoque חג השבועות *festum septimanarum*, חג הקציר *festum messis*, & יום הבכורים *dies primitivorum*, Rabbinis autem plerumque עצרת *Azereth*, & עצרת של פסח *Azereth Paschatis*.

Tempus ejus.

XVII. Tempus illi destinatum erat dies quinquagesimus ממחרת השבת a *crastino* vel *postriduano Sabbathi*, Lev. XXIII. 15. ità ut inde ab hoc die integræ septem hebdomades, seu XLIX dies numerarentur, & sequens quinquagesimus esset festus. Cum autem

in

in explicatione vocis שבת inter Rabbanitas & Karræos non conveniat, dum priores per illam, *primum Paschatis diem*, posteriores autem *proprie dictum Sabbathum* intelligunt, hinc secundum hos semper in primum hebdomadis diem, secundum illos autem, in eundem, quo quinquaginta diebus ante, manipulus hordeaceus in templo oblatus erat, incidebat. Quoties vero primus dies Paschatis esset Sabbathum, utrique in tempore festi Pentecostis conveniebant, id quod primo a Christianis celebrato, & Spiritus Sancti effusione nobilitato, Act. II. 1. accidisse existimamus. Ubi tamen nonnihil insuper discriminis faciebat, quod Rabbanitæ more suo diem a vespera præcedente, Karræi a tempore matutino numerare inciperent. Durabat autem festum hoc quondam non nisi unicum diem, licet nunc in exsilio, æque ac plura alia festa, per duos dies celebretur.

Festum tabernaculorum.

XVIII. *Festum tabernaculorum* חג הסכות ἑορτὴ σκηνῶν vel σκηνοπηγίας & חג האסף *festum collectionis*, nonnunquam & κατ' ἐξοχὴν חג, ἑορτὴ, *festum* non solum Judæis, sed & ipsis scriptoribus sacris 1 Reg. VIII. 2. 2 Chron.

VII. 8. 9. 10. & Joh. VII. 10. 37. appellatum, omnium festorum maximum habebatur.

Ratio institutionis. XIX. Institutum illud fuit in memoriam, quod Deus populum Judaicum ex Egypto egressum, in tabernaculis in deserto habitare fecit Lev. XXIII. 43. ut & in solemnem gratiarum actionem pro collectis frugibus Exod. XXIII. 16. Lev. XXIII. 39. Deut. XVI. 13. εὐχαριστήριον, ut Theophyl. ait, ἐπὶ συγκομιδῇ τῶν καρπῶν.

Tempus. XX. Incipiebat die XV mensis Tisri, & per *septem continuos dies* celebrabatur, Lev. XXIII. 36. quibus sequens *octavus*, ut appendix quædam adjiciebatur, unde nonnunquam שמונת ימי החג *octo dies festi Tabernaculorum* memorantur.

Dies octavus עצרת. XXI. Dies hic *octavus*, qui erat secundus supra vigesimum mensis Tisri, עצרת Gr. ἐξόδιον dictus Lev. XXIII. 36. Nehem. VIII. 18. in multis a præcedentibus differebat, quare a nonnullis aut peculiare festum consideratur, præcipue cum scriptura proprie dicto festo tabernaculorum, non nisi VII dies tribuat, licet & alias ob relationem, quam ad festum hoc habebat, Judæis יום אחרון של חג & Johanni

ἡ ἐσχάτη

ἡ ἐσχάτη ἡμέρα τῆς ἑορτῆς. Joh. VII. 37. appelletur.

XXII. Non omnes autem horum festorum dies, æqualis sanctitatis, sed quidam *minus festi* erant, quibus nomen מועד קטן & חול מועד datur, alii *maxime festi* quos ימים טובים καλὰς ἡμέρας, ut Latini *dies bonos*, appellant. Prioris generis erant dies intermedii inter primum & septimum festi Paschatis, & inter primum & octavum festi tabernaculorum, ἑορτὴ μεσούσῃ, Joh. VII. 14. quibus nonnulla opera licita erant. Ad posteriorem classem pertinebant dies primi & ultimi festi Paschatis, & Tabernaculorum Joh. XIX. 31. & VII. 37. & dies Pentecostes, quibus accensetur quoque primus novi anni, quamvis & quatuor horum, puta, primus dies paschatis, ultimus tabernaculorum, dies Pentecostes, & primus mensis Tisri reliquis adhuc præferantur. Nonnunquam quoque phrasis יום טוב latius usurpatur, & ad alia festa extenditur. *Discrimen dierum bonorum festorum.*

XXIII. Præter hæc tria majora, duo alia adhuc festa annua Deus instituit, utraque mense Tisri celebranda, quorum prius in primum hujus mensis diem incidens, initium anni civilis *Festum novi anni.*

conſtituebat & ראש השנה *initium anni*, ſeu יום תרועה *dies clangoris*, aut זכרון תרועה *memoria clangoris*, a ſingulari buccinæ clangore appellabatur, omniumque reliquorum noviluniorum præcipuum erat.

Anni civilis jam inde a mundo conditio initium.

XXIV. Dies hic idem eſt, qui non ſolum ante legem anni initium conſtituit, ſed & quo mundus primum conditus, unde hinc ſemper Judæi annum civilem orſi ſunt, & annos Sabbathicos atque Jubilæos ſupputarunt, cum contra initium menſis Niſan demum anni Sacri principium Moſes conſtituerit Exod XII. 1, 2. & XIII. 4. idque eum in finem tantum ut feſta inde numerarentur, accedit quod & feſtum tabernaculorum incidiſſe dicatur לתקופת השנה Exod. XXIII. 16. & XXXIV. 21. & quod ceteroquin in diluvio aquæ, contra naturæ ordinem, æſtate creſcere, hyeme vero decreſcere debuerint, nec recens conditus homo habuiſſet, unde vitam ſuſtentaret, adde quod & antiquiſſimorum ſcriptorum teſtimoniis idem confirmetur.

Ejus determinatio & proclamatio.

XXV. In hujus diei determinatione & proclamatione, eadem quidem ratione ut in reliquis noviluniis procedebatur, maxima tamen circumſpectione

ctione hic opus erat, cum inde non tantum integer annus exordium sumeret, sed & tempus diei expiationis & festi tabernaculorum supputaretur, Circa hunc diem quoque cavebatur, ne אד״ו i. e. *primus*, *quartus* & *sextus* hebdomadis esset.

XXVI. Ipsum vero festum non solum cum maxime, sed & quondam jam in Canaane, celebrabatur per duos dies, sed qui pro uno reputabantur, ejusdemque sanctitatis erant, שני ימים טובים של ראש השנה נחשבים כיום אחד ובקדושה אחת aliter ac in reliquis noviluniis, ubi posterior minori sanctitate quam prior gaudebat. ***Duratio ejus.***

XXVII. Decem priores mensis hujus dies עשרת ימי התשובה *Decem dies pœnitentiæ*, interque illos octavus & nonus ימים נוראים *dies terribiles* appellabantur, decimus autem *festum expiationis* erat, cui nomen יום כיפור aut יום הכפורים *diei expiationis*, & יום סליחה aut מחילה *diei condonationis*, aut *remissionis*, vel κατ᾽ ἐξοχὴν יומא *diei*, nec non צומא רבא *jejunii magni* aut νηστείας Act. XXVII. 9. dari solet. ***Festum expiationis.***

XXVIII.

Ratio institutionis ejus. XXVIII. *Rationes* instituti hujus diei varii quidem varias reddunt, plerique tamen Judæorum illo die, Mosen post ter celebratum quadragesimale jejunium, tertia vice de monte Sinai descendentem, lætum placati Numinis nuncium ad populum tulisse, atque hinc eundem in posterum expiandis annuatim solemni ritu peccatis, impetrandæque gratiæ divinæ, constitutum fuisse, contendunt.

Cautela circa tempus festi hujus observata. XXIX. Quantum fieri poterat cavebant, ne dies expiationis incideret in *Sabbathum*, ut & in *primum*, *tertium* & *sextum* hebdomadis, quos voce memoriali אג״ו *agu* indicant, quæ tamen cautela vel non omni tempore observata fuisse, vel observari etiam potuisse videtur, cum ipso Sabbatho celebrati exempla, in scriptis Judæorum occurrant.

Duratio. XXX. Non celebrabatur festum hoc ut alia multa duobus diebus, sed *unico* tantum, quod etiamnum Judæi observant, licet distinguant inter יום כפורים seu *diem* hunc *expiationis*, *κατ᾽ ἐξοχὴν* ita dictum, & יום כיפור קטן *diem expiationis parvum*, qui in

in mensem Elul, triginta diebus ante illum incidebant.

XXXI. Hæc sunt festa annua ab ipso Deo instituta, quibus nonnulla alia dein Ecclesia Judaica addidit, ut festum *Purim* & *Encæniorum*, quorum vestigia in sacris reperiuntur, ut & quædam in libris Chasmonæorum, aut aliis Judæorum scriptis, memorata. *Festa annua ab Ecclesia Judaica instituta.*

XXXII. Festum פורים *Purim* nomen fortitum est a voce פור *sortem* denotante פור היא הגורל Esther. III. 7. conf. Persicum پهر *Pohr* & پاره *Pareh*, *pars*, *portio*, *felicitas*, *fortuna*.

XXXIII. Institutum illud est in memoriam liberatorum ab Hamanis insidiis Judæorum, sumptæque ab hostibus cum ingenti eorum strage vindictæ, quod cum Mardochæi præcipue consilio evenerit, hinc & μαρδοχαϊκὴ ἡμέρα audit. 2 Maccab. XV. 37. *Ratio institutionis.*

XXXIV. Celebratur per duos dies, scilicet XIV & XV mensis *Adar*: in anno autem intercalari, qui geminum mensem Adar habet (II. VII. §. X) festum hoc quoque geminum est, ita tamen, ut prius in mensem *Adar* incidens minori, posterius mense *Veadar* recurrens, majori festivitate transigatur, unde illud פורים קטן *Purim* *Tempus.*

parvum,

parvum, hoc פורים גדול *Purim magnum* appellatur.

Cautela circa illud. XXXV. Dies festum hoc præcedens, seu tertius decimus mensis jejunio est destinatus, ubi tamen sedulo evitant, ne festum in dies hebdomadis, quos vox זבד indicat, id est *septimum*, *secundum* & *quartum* incidat, ita si XIV Adar foret Sabbathum, jejunium præcedentis diei, uno die anticipant & in diem quintum hebdomadis retrahunt, qui æque ac dies secundus יום הכניסה *dies congregationis* dicitur.

Festum Encæniorum. XXXVI. *Festum Encæniorum τὰ ἐγκαίνια* hebraice חנוכה *initiationis*, incidebat in hyemem Joh. X. 22. utpote a XXV mensis Kisleu per *octo dies* continuos singulis annis celebrandum, 2 Maccab. I. 9. & X. 5. 6. 7.

Ratio ejus. XXXVII. Inserviebat illud, ut ipsum nomen innuit, recolendæ memoriæ, repurgati denuoque dedicati cum novo altari per Judam Maccabæum templi, quod Syri profanaverant. 1 Maccab. IV. Addunt Judæi celebrando quoque miraculo vasculi olei, sub terra inventi, quod cum unius tantum diei mensuram contineret, in

octo

octo tamen integros dies suffecerit, idque cum accensis lucernis significare velint, inde quoque הדקלת נרות *accensionem lucernarum* Φῶτα & λυχνοκαΐαν appellare solent.

XXXVIII. Aliud festum *in memoriam recuperatæ* per se repurgatæque *arcis*, *die* XXIII *mensis secundi* annuatim celebrandum, Simonem III instituisse auctor est Scriptor Lib. I. Maccab. XIII. 51. *Festum recuperatæ arcis.*

XXXIX. In Megillath Taanith cap. V. dicitur XV mensis *Ab* festus esse, quia fuerit זמן אעי כהניא *Tempus quo Sacerdotes ligna adducerent*, sed Josephus B. J. Lib. II. c. XVII. festum ξυλοφορίας collocat *pridie diei* XV mensis *Löi*. Intelliguntur autem ligna in usum altaris, quæ constitutis temporibus quotannis, a Sacerdotibus, Levitis & populo, adducebantur. Nehem. X. 35. Id quod Judæi novem distinctis vicibus a certis familiis factum asserunt. Incidente vero hoc festo in Sabbathum, differebatur in diem sequentem. *Festum ξυλοφορίας.*

XL. Die XXIII *Tisri* incidit *festum lætitiæ Legis* שמחת תורה, quo de absoluta iterumque incepta Libri Legis lectione lætantur. Cum autem dies hic *Festum gaudii Legis.*

hic immediate octavum festi tabernaculorum sequatur, a nonnullis pro nono ejusdem die, ab aliis vero rectius pro peculiari festo habetur.

Festa mortis Herodis & Nicanoris &c.

XLI. *Dies VII Kisleu* festus erat memoriæ *mortis Herodis M.* ut dies XIII Adar *mortis Nicanoris*, reportatæque ab illo victoriæ. Plura alia ejus generis festa quæ Megillath Taanith recenset, non moramur; præcipue cum pleraque non tam sacro cultu festivaque solemnitate ab universo populo celebrata, quam in fastis memoriæ causa, & ad vitanda, talibus, utpote lætis diebus, jejunia & luctum, notata videantur.

Trajectio festorum & numeratio per annum.

XLII. Quia autem in antecedentibus plus semel monitum est, cavere Judæos ne quædam tempora festa in certos hebdomadis dies incidant, observandum illos huic rei consuluisse per דחייה seu *trajectionem dierum*, qua annum aut mensem non ab illo die, quo ordinario debebant, sed a sequenti inchoant. Qui mos tamen non semper imo ne quidem stante templo jam obtinuisse, sed serius introductus esse videtur. Omnia vero festa anni numerabantur non a mense Tisri sed Nisan, qui

qui idcirco pro initio anni ſacri habetur. Exod. XII. 2.

Feſta poſt plurium annorum ſeriem redeuntia.

XLIII. Feſta tempora poſt plurium annorum ſeriem redeuntia, ſunt *Annus Sabbathicus* & *Jubilæus*, quorum feſtivitas per integrum annum durabat, & initium non ut Feſtorum annuorum a menſe Niſan, ſed Tiſri ducebatur.

Annus Sabbathicus.

XLIV. Ut ſeptimus quisque hebdomadis dies erat Sabbathum, ita ſeptimus quisque *annus* erat *Sabbathicus*, appellatus a quiete, terræ concedenda, שבת שבתון Lev. XXV. 3. & ab *intermiſſione operis*, שנת שמטה ib. com. 2.

Ejus origo.

XLV. Minus recte ejus origo a mundo condito deducitur, cum Deus ipſe diſertis verbis præceptum hoc ad ingreſſum in terram Canaan reſtringat Lev. XXV. 2. Imo cum ſeptem anni ſubjugationi terræ, ſeptem diſtributioni ejusdem inſumpti ſint, non niſi horum ultimum, primum Sabbathicum fuiſſe, Judæorum multi contendunt.

Diſtinguendus ab anno dimiſſionis ſervorum.

XLVI. Male annus Sabbathicus a nonnullis cum anno *dimiſſionis ſervorum* confunditur, cum hic potius ſeptimus quisque ſervitutis ſit, ut infra (III. III. & XV.) videbimus.

Annus Jubilæus. XLVII. *Annus Jubilæus* יובל videtur a cornu arietino, quo publicari ſolebat X menſis Tiſri Lev. XXV. 9. nomen accepiſſe, quamvis alii vocem ab הוביל deducant.

Tempus ejus. XLVIII. Major autem lis eſt de vero ejus tempore, utrum nempe annus XLIX an L pro Jubilæo habendus. Quarum ſententiarum licet neutra ſpecie quadam ſummorumque Virorum patrocinio deſtituatur, poſterior tamen, quæ numeratis prius integris ſepties ſeptem annis, ſequentem quinquageſimum Jubilæum ſtatuit, longe eſt veriſſima. Hæc enim ſimpliciſſimæ ſcripturæ phraſi Lev. XXV. 8, 10. optime convenit, præcipue cum annus quinquageſimus Jubilæus a VII integris annorum Sabbathis clare diſtinguatur, & numeratio dierum a feſto Paſchatis ad Pentecoſten idem confirmet, annusque hic πεντηκοςὸν ἔτος ut dies ille πεντηκοςὴ ἡμέρα ſit, quin & in prima Jubilæi inſtitutione hæc numeratio circa controverſiam neceſſaria fuerit, & novum præceptum de quiete terræ hoc anno concedenda, ceteroquin plane ſupervacaneum eſſet, ut minus mirandum ſit, plurimos eosque anti-

antiquiſſimos Judæorum Scriptores idem ſenſiſſe.

XLIX. His recte obſervatis, altera quoque quæſtio, utrum annus quinquageſimus fuerit iterum novæ Schemittæ primus, facile ſolvitur: cum enim diſerte annus quinquageſimus a ſeptem annorum Sabbathis diſtinguatur, non magis illa incipere quam finire poteſt, rectiusque adeo Judæi tam Rabbanitæ quam Karræi, ab anno ſequenti primo & quinquageſimo novam Schemittam numerant. *An a Jubilæo nova Schemitta inceperit.*

L. Temporibus ſacris, licet non feſtis, cum tales potius Romani *nefaſtos* aut *religioſos* dicerent, annumerari quoque poſſunt, *dies Jejuniorum*, quos diſtinguere licet in publicos & privatos, ut & in ordinarios & extraordinarios. *Dies jejunii.*

LI. Publici ab univerſo populo obſervandi, ſecundum ordinem menſium, per integrum annum ita in Megillath Taanith cap. XII. digeruntur. *Publici ordinarii.*

I. NISAN

Dies 1. ob mortem filiorum Aharonis.

10. ob mortem Mirjam & obsignatum puteum.

26. ob mortem Josuæ.

II. IJAR

10. ob mortem Eli.

28. ob mortem Samuelis.

III. SIVAN.

23. ob defectionem X tribuum ad cultum vitulorum.

25. ob martyrium הרוגי מלכות.

27. ob combustionem R. Chaninæ cum libro Legis.

IV. TAMMUZ

17. ob fractas tabulas Legis & captam a Babyloniis urbem, sacrificiique jugis cessationem. Dies autem sequentes XXI inter hunc & nonum Ab יומים דעקא *dies Angustiæ* appellantur.

V. AB

1. ob mortem Aharonis.

2. ob decretum de non ingressuris in terram promissam Num. XIV. 1. alii tamen id ad diem nonum referunt.

9. ob excidium Templi I & II, captam urbem

VI. ELUL.

17. ob mortem exploratorum qui terram diffamaverant Num. XIV. 37.

Bitter

Bitter & Hierosolymam aratro proscissam.

18. ob exstinctam lucernam occidentalem tempore Achazi.

VII. TISRI

3. Jejunium ob occisum Gedaljam & qui cum ipso erant.

5. ob mortem XX ex Israele, & incarcerati R. Akibæ.

7. ob decretum erga μοσχοποιούς.

VIII. MARCHESVAN

6. ob excæcationem Zedekiæ & filios coram oculis ejus mactatos.

IX. CISLEU

7. ob combustum a Rege Jehojakim volumen, quod ex ore Jeremiæ scripsit Baruch, Jer. XXXVI.

X. TEBETH

8. ob versionem Legis Græcam sub Ptolemæo Philadelpho.

9. qua de causa institutus

XI. SCHEBETH

5. ob mortem Justorum in diebus Josuæ filii Nun.

23. ob congregationem Israeli-

XII. ADAR

7. ob mortem Mosis.

9. ob contentionem domus Schammai & domus Hillelis.

non

non addunt Rabbini, sunt a. qui id ob mortem Esræ factum volunt.

10. ob copias Regis Babelis contra Hierosolymam, ad illam devastandam, ductas.

tarum contra Benjaminitas, ob concubinam in Gibea, & imaginem Michæ.

Inter hos non numeratur dies expiationis dictus צומא רבא quia is simul ob remissionem peccatorum maxime festus erat, ut & dies XIII Adar, dictus alias *Jejunium Esther*, quia illo tantum memoria celebrati quondam jejunii recolebatur, ceterum autem præparatio fiebat ad festum Purim cum summa hilaritate transigendum.

Horum IV præcipui. LII. Horum autem dierum quatuor erant præcipui, memorati idcirco Prophetæ Zachariæ VII. 5. & VIII. 9. scilicet jejunia quarti, quinti, septimi & decimi mensis, quorum prius jejunium diei septimi decimi mensis Tammuz, alterum noni Ab, tertium diei tertii Tisri, & quartum decimi Tebeth respicit.

LIII.

LIII. Præter hos ſtatos dies indicebantur inſuper extra ordinem alii, quoties calamitas publica, aut imminentia judicia id flagitabant vid. Joel. I. 14. *II.* 12. Inprimis illa crebriora erant, ſi menſibus Marchesvan & Cisleu pluvia neceſſaria non decidiſſet. *Extraordinarii.*

LIV. Ad JEJUNIA PRIVATA potiſſimum eligebantur dies *ſecundus* & *quintus* hebdomadis Luc. XVIII. 12. quos Rabbini trium rerum cauſa ad id conſtituerunt, ſc. propter vaſtationem templi, combuſtionem Legis & blasphemiam Dei. Quamvis præterea unusquisque quos vellet, modo nulla feſtivitas aut ad illam neceſſaria præparatio id prohiberet, eligere poſſet. Imo nonnunquam per plures dies continuabantur; Sic Judæi R. Aſe per XXX dies ad videndum R. Chajam, imo R. Zadok ad averruncandum templi II. excidium per XL annos jejunaſſe teſtantur. *Dies jejunii privati.*

CAP. XIII.

De Cultu Sacro

& primo quidem

De Sacrificiis.

I.

Tranſitus ad cultum ſacrum.

His, de Locis, Perſonis, temporibusque ſacris jam prælibatis, facilius erit *cultum* ipſum delineare: quod eo fiet ordine, ut primum potiores cultus partes luſtremus, tum vero ejus ordinem, variasque pro temporum diſcrimine ceremonias atque circumſtantias ſubnectamus.

Oblationes geminæ.

II. Præcipuam cultus Moſaici partem conſtituebant *oblationes* קרבנות (κορβᾶν ὅ ἐστι δῶρον Marc. VII. 11.) Græc. προσφοραὶ Actor. XXI. 26. מנחות Exod. XXVIII. 38. Græc. δῶρα Matth. V. 23. VIII. 4. quæ pro rerum oblatarum conditione commodiſſime diſpeſci poſſunt, in *animatas* & *inanimatas*, ſeu pro offerendi modo in *cruentas* & *incruentas*, quarum illæ *Sacrificiorum*, hæ *fertorum* atque

atque *libaminum*, nonnunquam & κατ' ἐξοχὴν *donorum* nomine venire ſolent.

III. *Sacrificium* זבח θυσία a mactatione, qua mediante offerebatur, appellatum, denotat in genere omne animal Deo in victimam oblatum, in oppoſitione fertorum 1 Sam. III. 14. & Pſ. XL. 7. coll. Heb. X. 5. & V. 1. nonnunquam tamen vox ſenſu ſtrictiori uſurpatur. Sic Judæi non ſolum a ſacrificiis excludunt holocauſta avium, in quibus non זביחה ſed מליקה obtinebat, ſed & per זבחים aliquando quædam ſacrificiorum ſpecies, ut pro peccato, aut ſalutaria, diſtincte a reliquis intelliguntur. vid. Lev. XVIII. 8. Num. XV. 5. Joſ. XXII. 27. *Sacrificia.*

IV. Oblatio ſacrificiorum ſummæ *antiquitatis* eſt, & ſtatim poſt lapſum introducta Gen. III. 21. atque inde perpetuo ab Abele, Noacho, Abrahamo, Jobo aliisque obſervata. Quam fruſtra ex ratione aut humano invento nonnulli repetunt, cum nec ratio eam doceat, nec ἐθελοθρησκεία Deo placere queat, & ſacrificiorum omnium finis, & fides quæ ea ſola Deo grata reddidit Hebr. XI. 4. divinam inſtitutionem quam clariſſime arguant. *Eorum origo & Antiquitas.*

Discrimen sacrificiorum ante legem & sub illa.

V. Pleraque autem horum, si non omnia, erant holocausta, atque in multis a sacrificiis legalibus distincta, cum & minus frequentia, & sive oblationem ipsam, sive personarum offerentium, locorum aut victimarum conditionem & circumstantias respicias, magis simplicia & libera essent, omnique molesto onere carerent.

Animalia offerenda.

VI. *Animalia* quæ Deus sibi in sacrificia elegit, erant tantum quadrupedia aut volatilia, exclusis natalibus, & priorum quidem tria genera, ex majoribus בקר *boves*, ex minoribus כבשים ועזים *oves* & *capræ*, horum autem duæ species תורים ובני יונה *turtures* & *pulli columbarum*. In quibusdam tamen occasionibus, ut mundatione leprosorum, etiam aliæ aves mundæ adhibebantur.

Non nisi lectissima.

VII. Omnia hæc animalia debebant esse *munda*, & in suo genere *præstantissima*, unde non tantum ex illis regionibus peti solebant, ubi optima proveniebant, ut *arietes* ex *Moabitide*, *agni* ex *Chebrone*, *Vituli* e *Sarone*, *turtures* & *columbæ* ex *monte regio*, sed & illa *ætate* offerebantur, qua vel ad cibum gratissima, vel plenit roboris erant, non vero decrepita, vid. Psalm. LXIX. 52.

VIII.

VIII. Hinc Judæi tria illa quadrupedum genera, pro teneriori aut adultiori ætate, ad ſex ſpecies, pro ſexus autem diſcrimine, ad duodecim redigunt, ita ut comprehendantur, *Variæ illorum ſpecies.*

ſub בקר

Adult. פר *Juvencus* & פרה *Juvenca.*
Tener. עגל *Vitulus* & עגלה *Vitula*

ſub כבשים

Adult. איל *Aries* & רחל *Ovis*
Tener. טלה *Agnus* & טלייה *Agna*

ſub עזים

Adult. שעיר *Caper* & שעירה *Capra*
Tener. גדי *Hædus* & גדייה *Hæda*

Ex turturibus non niſi adulti, quorum plumæ jam pleno ſplendore fulgebant, ex columbis pulli, qui adhuc ſplendore omni carebant, erant legitimi, unde initium ſplendoris utrosque reddebat illegitimos, turtures, quia nondum juſtam ætatem attigerant, pullos columbarum, quia eandem jam exceſſerant.

IX. Imprimis autem animalia offerenda debebant eſſe *perfecta* Malach. I. 8. nulloque vitio laborare, quem in finem prius a μωμοσκόποις ſ. מבקרי מומי קדשים ſollicite examinabantur. Vitiorum horum Judæi L, pecudibus cum hominibus communia, XXIII autem *Vitia animalium.*

autem illis propria numerant, quorum ſi quod inventum, animal quidem altari & templo arcebatur, non tamen ideo immundum erat. In avibus vero nec ſexus nec vitia attendebantur.

Sacrificia debita & libera. X. Sacrificia, pro varia in qua conſiderantur relatione, varie diſtingui poſſunt. Reſpectu cauſæ oblationis, erant vel זבחי חובה *debita*, quæ Græci vocant *ἀπὸ τῆς μαντείας*, vel זבחי רשות *libera*, quorum priora tantum offerenda ex rebus profanis, cum una res Deo bis conſecrari non poſſet.

Publica & Privata. XI. Intuitu offerentium, erant ſacrificia זבחי ציבור *Publica* vel זבחי יחיד *Privata*. *Publica* pro integro cœtu oblata numerantur undecim. *1. Sacrificia jugia. 2. Addititia Sabbathi. 3. Addititia Novilunii. 4. Feſti azymorum. 5. Holocauſtum manipulo Paſchali junctum. 6. Addititia Pentecoſtes. 7. Sacrificia panibus Pentecoſtalibus juncta. 8. Addititia novi anni. 9. Sacrificia diei expiationis. 10. Feſti tabernaculorum. 11. Diei octavi* ſ. עצרת feſti hujus. Quorum omnium jura erant, quod *immunditiem & Sabbathum pellerent*, & non niſi ex *animalibus maſculis*, & plurima quidem ex *hircis* ſumerentur: quod in illis *permutatio*

tatio locum non haberet, nec quicquam illis *addendum* vel *demendum*, & si quod, licet mundum, offerri tamen non posset (ut unus hircorum diei expiationis, si alter mortuus fuisset) non *morte affici* sed *pasci* deberet. *Privata* ab uno quodam homine, cujuscunque dignitatis aut conditionis is esset, oblata erant quinque. 1. Ob *peccatum dicto factove commissum*. 2. *Ob aliquid corpus concernens*. Ut fluxu laborantium, Leprosi, Menstruatæ, Puerperæ, Polluti a mortuo & Proselyti. 3. *Ob id quod bona spectat*, ut primogenita & decima &c. 4. *Ob certa tempora* ut sunt sacrificia præsentiæ, festivitatis & salutaria lætitiæ. 5. *Ob votum*, ut Naziræi &c.

XII. His sacrificiis publicis & privatis jungere solent Judæi *Publica privatis* & *Privata publicis similia*. Per priora intelliguntur, quæ pro integro quidem cœtu, sed more privatorum offerebantur, ut *pro errore a populo commisso*: per posteriora autem, privata sed quæ rationem publicorum sequebantur, ut *agni Paschales*, & *sacrificium piaculare* atque *aries in holocaustum a Pont. M. die expiationis oblatus*. *Publica similia Privatis & privata publicis.*

XIII.

Sanctissima & minus sancta. XIII. Ratione sanctitatis sunt vel קדשי קדשים *Sanctissima* vel קדשים קלים *Minus sancta.* Illa erant, quæ tota cedebant Deo, ut *holocausta* & *sacrificia piacularia interiora*, aut unde comedebant soli Sacerdotes Masculi, idque non nisi in loco sancto, ut *piacularia exteriora*, *pro delicto* & *salutaria publica:* Hæc, quibus etiam alii vescebantur, tam mares quam fœminæ, idque non solum in templo sed & urbe Hierosolyma, quo pertinent *agni paschales*, *salutaria privata* illisque similia, exceptis sacrificiis primogenitorum animantium, quæ in cibum cedebant solis Sacerdotibus.

Expiatoria aut pacifica. XIV. Respectu finis sacrificia omnia dividi possunt in ἱλαςικὰ & *salutaria*, quia omnia vel ad placandum Numen peccatumque aut reatum expiandum, vel ad favorem auxiliumque Dei impetrandum aut gratum animum testandum erant comparata.

Vel tota vel ex parte cumbusta. XV. Ratione modi offerendi vel *integra* igne consumebantur, ut holocausta & piacularia interiora, vel *ex parte comedebantur*, ut reliqua omnia.

Divisio Judæorum in IV species. XVI. Cum autem illa quæ in uno tertio conveniunt, in multis tamen sive ratione finis, sive modi offerendi, aliisve

aliisve circumſtantiis differant, Judæi convenientiſſimum judicarunt, illa ad has quatuor claſſes referre, *1. Holocauſta. 2. Sacrificia pro peccato. 3. Pro delicto.* Et *4. ſalutaria*, quibus jungunt tria illis ſimilia, *primogenita & decima animantium*, *agnosque paſchales.* Qua in re cum ſcriptura ipſa non obſcure præeat, nos quoque illam diviſionem ſequemur.

XVII. *Holocauſtum* עולה dicitur & ὁλοκαύτομα, quod totum adſcendat Deo, igneque ſacro conſumatur. Unde hoc omnium ſacrificiorum præſtantiſſimum eſt, & a Deo ipſo reliquis præmittitur. Lev. I. 3. *Holocauſta.*

XVIII. Erant autem holocauſta vel *publica*, ut agni ſacrificii jugis, vel privata, ut agnus leproſi, ſumebanturque ex omnibus quinque animalium ſpeciebus, & quidem ex quadrupedibus non niſi maſcula, nec ſenio confecta. Cum quo non pugnat combuſtio vaccæ rufæ, utpote quæ ſacrificium non erat, aut immolatio vaccarum quæ arcam fœderis reduxerunt 1 Sam. VI. 14. quia id in hoc caſu æque ac multa alia, extraordinarium plane fuit. Ex avibus omnia ſacrificia *libera*, ſive *ſpontanea* ſive *votiva* eſſent, holocauſta *Quotuplicia & e quibus animalibus oblata.*

causta erant, *debitorum* autem una avis in holocaustum, altera in sacrificium pro peccato, cedebat.

Sacrificium pro peccato. XIX. *Sacrificium pro peccato* חטאת & ἁμαρτία 2 Cor. V. 21. aut περὶ ἁμαρτίας Interpr. Alexandrinis & Paulo Hebr. X. 8. vulgo *piaculare* dicitur, quia pro peccato offerebantur, illique expiando inserviebat.

Eorum discrimen. XX. Discrimen inter sacrificia *publica* & *privata* in hoc genere eo magis attendendum, quo magis distincta utrorumque jura, tam quoad animalia oblata, quam quoad personas offerentes, erant. Ad publica non nisi animalia masculini generis, ad privata fœminini sumebantur, sed ad sacrificium Principis, hircus, ad Pontificis uncti, die expiationis, aut ibi is per errorem peccasset contra præceptum negativum, juvencus requirebatur. Hi duo quoque juvenci Pontificis, soli ex privatis, postquam ablegmina in altari oblata erant, comburebantur, ex publicis autem hircus diei expiationis, hirci ob idololatriam, & פר העלם דבר reliqua tam publica quam privata a Sacerdotibus comedebantur, ut infra videbimus. Huc spectat discrimen apud Judæos obvium inter

inter החיצונות חטאות & הפנימיות *sacrificia pro peccato exteriora & interiora*, quorum illa, *exteriora* dicta, (quod eorum sanguis altari exteriori adspersus) comedebantur, hæc *interiora* appellata (quod eorum sanguis in ipsam ædem illatus) cremabantur. Hebr. XIII. 11.

XXI. Alias Judæi illa dispescunt in קבועות s. *fixa* & עולות ויורדות *ascendentia & descendentia*. *Fixa* dicuntur quæ sine ullo discrimine tam à ditissimo quam pauperrimo offerenda. Hujus generis erant, *1. pro peccatis commissis per errorem. 2. Contra præceptum negativum. 3. Non verbo sed opere. 4. Quæ si quis dicta opera commisisset pœnæ* כרת s. *excidii reus factus fuisset*, quorum XXXVI numerant. *Adscendentia & descendentia* sunt, quæ pro varia hominum ditiorum aut tenuiorum conditione & facultatibus variabant, & vel majoris vel minoris pretii erant. Sunt autem sex præcipue hominum genera, in quibus hæc locum habebant: *1. Leprosi, 2. Puerperæ, 3. qui inscii in immunditie sacrum comederant, 4. qui inscii vel obliti in immunditie Sanctuarium ingressi, 5. qui ad jusjurandum vocati rem cognitam celaverant, & 6. qui de re præte-*

Distinctio inter fixa & adscendentia atque descendentia.

rita per imprudentiam, *aut futura possibili atque licita memoriæ lapsu*, *pejeraverant*. Hi enim si pauperiores, pro agnis aut capris a ditioribus offerendis, dabant binos turtures aut columbarum pullos: imo quatuor ultimi si nec id facultas permitteret, decima parte similaginis satisfacere poterant, ut infra (XIV. §. XII.) videbimus.

Rigor horum sacrificiorum. XXII. Summus sacrificiorum piacularium præ omnibus aliis etiam sanctissimis *rigor* erat; ita ut quod eorum carnem tangeret, aut imbueretur sanguine, pollueretur, & vasa in quibus cocta, si testacea in atrio confringenda, si ænea illic summo studio mundanda essent, uti & vestes illorum sanguine inquinatæ, v. Lev. VI. 19. 20. quæ tamen omnia tantum locum habebant ante sanguinis adspersionem, non post illam.

Sacrificium pro reatu. XXIII. Ad sacrificium pro peccato proxime accedit, quod Hebr. אשם s. *pro delicto* aut *reatu*, Gr. τῆς πλημμελείας dicitur, unde & nonnulli illud una cum priori communi nomine sacrificiorum ἱλαςικῶν comprehendunt. Verum cum in multis tamen ab eodem differat, recte alii illa distinguunt.

XXIV.

XXIV. Qua in re autem proprie discrimen situm sit, perobscurum est. Nobis verosimillimum videtur, quod uti חטאת, *pro peccato*, ad *pœnam* ejus averruncandam, ita אשם *pro reatu*, ad tranquillandam conscientiam oblatum, id enim non solum vocis significationi maxime convenit, sed & eam ob causam aliquando pro eodem peccato utrumque sacrificium, pro integro cœtu autem solum חטאת numquam אשם offerebatur, denique & hoc omnibus casibus, in quibus posterius offerendum, applicari potest. *In quo a sacrificio pro peccato distinctum.*

XXV. Distinguitur hoc sacrificium in אשם תלוי *sacrificium pro delicto s. reatu dubio* & אשם ודאי *pro delicto s. reatu certo.* Prius offerebatur ubi alicui scrupulus subortus, num forte tale quid commisisset, pro quo, si constaret id vere factum esse, sacrificium piaculare fixum offerendum fuisset. Ad hoc sacrificium unusquisque privatus, etiam ipse Princeps tenebatur, non vero Pont. M. nec Senatus. Nulli autem in ejus oblatione diligentiores erant Asidæis, unde & אשם חסידים dicitur. Victima illi destinata erat *aries integer*. Lev. V. 17. 18. Quod si quis post ejus oblationem com- *Sacrificium pro reatu dubio.*

 peris-

periſſet, ſe vere tale peccatum commiſiſſe, nihilominus ad ſacrificium pro peccato obligabatur. Si vero poſt adductam quidem, ſed nondum jugulatam victimam certus evaderet, ſe vel peccaſſe, vel non peccaſſe, ex ſententia ſapientum, victima paſcenda, donec labem contraheret, ſicque ad ſacrificium inepta reddita vendenda, & pretium ejus ſacrificio נדבה impendendum, additis ex publico libaminibus: mactata autem jam victima, ſed nondum adſperſo ſanguine, hic erat effundendus in canalem templi, & caro comburenda in בית שריפה, vel ſi ſanguis ante adſperſionem adhuc in vaſe fuerit, quo exceptus, ex quorundam ſententia, is altari adſpergendus & caro ad eſum licita erat, id quod & circa carnem locum habebat, ſi ſanguine jam altari adſperſo, illud demum innotuerit.

Sacrificium pro reatu certo.

XXVI. אשם ודאי ſeu *pro delicto* aut *reatu certo*, pro variis in quibus exigebatur circumſtantiis, ad has quinque ſpecies refertur. (1) אשם נזיר *Nazirœi*, ex mortuo ad ejus latus ſubito exſtincto, inquinati Num. VI, 9. ſeqq. (2) אשם מצורע *Leproſi*, die octavo mundationis ejus. Lev. XIV. 12.

(3)

(3) אשם שפחה חרופה *ob vitiatam servam servo hebræo desponsatam.* Lev. XIX. 20. 21. quale & ab his, qui extraneas ductas dimiserant, oblatum legimus Esr. X. 19. (4) אשם מעילות *ob rem sacram in privatos usus ex errore conversam,* cui insuper quinta pars pro mulcta addenda. Lev. V. 15. 16. (5) אשם גזילות *ob bona proximi concredita,* aut *inventa* vel *erepta,* & *pejerando negata,* quæ tamen ipsa simul, addita quinta parte, restituenda. Ad hoc sacrificium non solum eædem personæ, quæ ad prius obligabantur, sed & ipse Pont. M. animalia autem hac ratione offerenda debebant esse *mascula* & quidem pro Naziræo & Leproso *agnus,* in reliquis casibus *aries.*

XXVII. Sacrificia שלמים vel זבחי שלמים Græcis Σωτήρια, χαριστήρια, εὐχαριστικὰ & εἰρηνικὰ dicta, nomen acceperunt a שלם *solvit, reddidit,* quasi ἀποδοτικὰ aut *retributoria* diceres, quia ad solvenda vota, aut reddendas Deo gratias præcipue offerebantur, conf. Ps. L. 14. plerisque vulgo *Pacifira* aut *Salutaria* audiunt. *Sacrificia salutaria.*

XXVIII. Sunt autem horum tres species. Lev. VII. 11. 12. 16. (1) תודה quod minus recte ὁμολογίας aut *adstipulatio-* *Eorum species.*

 pulatio-

pulationis reddunt, cum potius *confessionis* acceptorum beneficiorum, aut *laudis αἰνέσεως* pro iisdem sit, unde & pro beneficiis jam impetratis offerebatur, conf. Ps. CXVI. 17. & Hebr. XIII. 15. (2) נדר *votivum* & (3) נדבה *spontaneum*, quæ Judæi ita distinguunt, ut נדר respiciat votum generalius, ex. gr. si quis voverit se oblaturum sacrificium salutare, נדבה autem specialius, ex. gr. si quis dixerit, se hoc vel illud animal oblaturum. Hæc duo relationem proprie habebant ad bona futura, licet sæpe non nisi illis jam acceptis offerrentur. Ps. CXVI. 14. 18.

Publica & privata. XXIX. Alia ratione dividuntur in שלמי ציבור *salutaria publica* & שלמי יחיד *privata*. Publica iterum nonnulli dispescunt in שלמי חובה *debita* & שלמי נדבה *spontanea*. *Debitum* erat unicum, constans duobus agnis masculis in festo Pentecostes oblatis Lev. XXIII. 19. Ad *spontanea* referunt, quæ in extraordinariis solemnitatibus, ut fœderis erectione, templi dedicatione &c. oblata, at cum illa extraordinaria, & pleraque non tam ab universo populo, quam principibus, Regibusque data fuerint, nonnulli sacrificia Publica spontanea non agnoscunt.

Ad

Ad privata sumebantur promiscue *boves*, *oves*, *capræ*, tam *mares* quam *fœminæ*, non autem *fœtæ*, uti nec *aves*, Lev. III. 1. & XXII. 28.

XXX. Inter illa quæ sacrificiis salutaribus similia sunt, primo loco Judæi numerant בכורות *Primogenita*. Scilicet ex quo Deus omnia Ægyptiorum primogenita, quæ, vel ex hominibus, vel animalibus, matricem primum aperuerant, percussisset, Israelitarum autem contra servasset intacta, in tanti beneficii memoriam quicquid primo partu ederetur, sibi sacrum esse jussit Exod. XIII. 2. 15. quod si ex hominibus esset, inde a die 30 ætatis, quinque siclis sacerdoti dandis redimendum Num. XVIII. 16, si ex animalibus immundis (per quæ tamen Judæi solos Asinos intelligunt) ove illi substituenda, aut ea deficiente, pretio סלע vel sine hac redemptione caput illi *copide* בקופין amputandum, sicque sepeliendum Exod. XIII. 13. si ex pecudibus mundis, septem dies apud matrem relinquendum, die vero octavo vel saltem intra anni spatium, sine ullo inde percepto fructu, in templo offerendum. Num. XVIII. 17. *Primogenita.*

Cautela hic observanda. XXXI. Eum autem in finem prius a ממחי בית דין seu constitutis a Synedrio ejusve Principe μωμοσκόποις diligenter erat *examinandum*, & si vel cum vitio aliquo ob quod sanguis & ablegmina in altari offerri non possent, natum, vel illo dein affectum esset, sive id in oculos incurreret, sive non, si *vitium* עובר *brevi transiens* esset, restitutio ejus exspectanda, sin קבוע *permanens*, in templo jugulari quidem non potuit, sed Sacerdotibus tamen utpote *sacrum sanctitate uteri* dandum, qui illud vel comedebant, in omni loco, vel aliis in cibum vendebant, quibus tamen nullum ulterius cum illo commercium instituere licebat, vel gentibus dabant. Deut. XV. 19-23.

Decima. XXXII. Primogenitis jungunt Judæi מעשרות *Decima animalium*. Probe hæc distinguenda a Decimis, Sacerdotibus, Levitis aut pauperibus dandis, cum per illa, de quibus hic agimus, intelligantur decimæ quæque pecudes ex bobus, ovibus & capris, illo anno in grege Domini sui natis, non emptis vel dono acceptis, quas Deus sibi sacras esse voluit. Lev. XXVII. 23. seqq. Quem in finem singulis annis (quorum in hoc negotio initium reputabatur a novi-

novilunio Mensis Elul (II. VII. §. XIV.) tria tempora גרנות erant constituta, scilicet quintus decimus quisque dies tria festa majora præcedens, quorum uno, coactis in caulam pecudibus, singulæ per parvum ostium successive emittebantur, egredientesque Dominus virga numerans (quo nonnulli alludi volunt Jer. XXXIII. 13. & Ezech. XX. 27.) & decimam quamque sine ullo discrimine eadem virga minio imbuta notans, exclamabat הרי זה מעשר *Ecce hoc decimum!* non attendens ad ejus qualitatem, imo ne quidem ac sacrificio aptum, cum inde non excluderentur, nisi discepta, morbo confecta, miscella, orphana, e latere matris excisa, aut nondum huic actui tempestiva.

XXXIII. Ad id tamen ut Deo offerri, inque atrio jugulari possent, requirebatur, ut *nullo* laborarent *vitio*, quod eorum sanguinem atque ablegmina altari proscriberet, ceteroquin enim non offerebantur, sed comedebantur omni in loco a Dominis, vendere enim illa sive legitima sine temerata, sive viva sive jugulata essent, non licebat. *Cautelæ circa illa.*

Agni Paschales. XXXIV. Agmen claudunt *agni Paschales*, qui & ipsi recte sacrificiis annumerantur, cum & scriptura illos hoc nomine appellet Exod. XII. 27. XXIII. 18. XXXIV. 25. & eosdem θύεσθαι s. *sacrificari* affirmet, Num. XIX. 7. Deut. XVI. 4. Marc. XIV. 22. & Luc. XXII. 7. Sumebantur autem מן הכבשים ומן העזים *ex ovibus aut capris* sed tantum masculis, annum integrum natis iisque intemeratis, Exod. XII. 5.

Comparatio Victimarum. XXXV. Ad varias quas hactenus contemplati sumus sacrificiorum species; si illas excipias, quæ certa quædam & determinata individua requirebant, ut *Sacrificia spontanea* נדבה, *Primogenita* & *decima*, poterat unusquisque victimas vel domo sua Hierosolymam secum ferre, vel ibidem emere, quem in finem in templo semper ingens earum copia præsto erat. Sacrificia autem publica ex ærario comparabantur.

Tempus offerendi. XXXVI. Ad *tempus* offerendorum sacrificiorum quod attinet, præter publica, festiva & nonnulla ad mundationem Leprosorum aliorumque immundorum facientia, quæ certo tempori alligata, pleraque alia non necessario statim offerebantur, sed differri pote-

poterant, donec offerenti commodum esset Hierosolymam adscendere, unde plerumque servari solebant usque ad unum ex tribus festis majoribus. Nunquam autem offerri ulla sacrificia legitime poterant, nisi *interdiu*, licet mactata de die victima & sanguine adsperso partibusque altari admotis illas usque ad auroram sequentis diei adolere integrum esset, quod ipsum, tamen quantum pote, operam navabant, ut de die absolverent, vel saltem non ultra mediam noctem extenderent.

XXXVII. *Ritus* in oblatione observatos, Judæi quinque ipsis Dominis incumbentes aut permissos, & totidem solis Sacerdotibus proprios numerant. Qui tamen cum non omnes exhauriant, nos singulos, eo quo sequebantur ordine, examinabimus. Prior horum erat הקרבה *victimæ adductio* ad atrium interius, quæ ab ipsis Dominis fiebat, & quidem in sacrificiis minus sanctis, per portam atrii australem, in sanctissimis per septentrionalem *oblationis* dictam. Teneriores autem victimæ, pedibus colligatis eodem portabantur. Adductæ expeditæque *constituebantur* facie occidentem versus directa, coram facie Jehovæ, quod העמד לפני *Adductio victimarum & constitutio coram facie Dei.*

לפני יהוה dicitur. Lev. XVI. 7. 10. Num. III. 6. conf. Rom. XII. 1.

Agitatio. XXXVIII. Constitutionem victimæ excipit ejusdem תנופה *agitatio*. Hæc ita fiebat, ut postquam victima manibus Domini imposita, Sacerdos stans ad ortum altaris, palmis suis, Domini manibus suppositis, illam moveret, *elevando & demittendo*, *promovendo & reducendo* מעלה ומוריד מוליך ומביא Prior motus proprie תרומה, posterior aliquando *κατ' ἐξοχὴν* תנופה appellatur, atque hunc nonnulli tantum *antrorsum & retrorsum*, alii *antrorsum*, *retrorsum*, *dextrorsum*, *sinistrorsum* factum volunt. Hic actus non poterat legitime nisi a Sacerdote peragi, idque tantum in sacrificiis *salutaribus publicis*, & pro *reatu leprosi*, nunquam autem in sacrificiis mulierum aut gentium.

Manuum Impositio. XXXIX. Agitationi subjungimus סמיכת ידים *Manuum impositionem*, quia ubi utraque locum habebat, prior præcedebat. Hæc autem in eo consistebat, quod sacrificii Dominus facie ad occidentem conversa, capiti victimæ & quidem inter duo cornua manus, antea eum in finem diligenter lotas, omni nisu imponebat, addita simul pro sacrificii ratione, vel peccati con-

confeſſione, vel grata beneficii a Deo accepti commemoratione. Actus hic adeo neceſſarius erat, ut nec omitti, nec ab alio, loco Domini, niſi in ſacrificio ab hærede ad ſolvendum defuncti votum oblato, præſtari poſſet, quin & ſi plures unum ſacrificium offerrent ſinguli ſucceſſive ad eundem obligarentur. Excludebantur tamen inde *Mulieres*, *gentes*, *ſtulti*, *minorennes*, *ſervi*, *ſurdi* & *cæci*. Locum autem habebat tantum in *ſacrificiis privatis*, non publicis, excepto *hirco* in feſto expiationis dimittendo, & *juvenco* ob peccatum ignorantiæ, quorum priori Pontifex M. poſteriori tria Synedrii membra manus imponebant; nonnulli addunt piacularia omnia publica, ob 2 Chron. XXIX. 23. Nec inter privata id fiebat tribus illis quæ ſalutaribus ſimilia, *Primogenitis*, *Decimis Animalium* & *agnis Paſchalibus*, uti nec *avibus*.

XL. Impoſitionem manuum ſequebatur continuo ſine interpoſita mora שחיטה *mactatio*; quæ non percuſſione fiebat, licet quondam hoſtiarum pellem inter cornua inciſam, & frontem fuſtibus cæſam velint ut miteſcerent; ſed poſtquam victima ad annulos in lo- *Jugulatio.*

co

to mactationis vid. supra cap. VIII. §. XXX. constricta, שתי הסימנין *duo signa* i. e. *gula* & *aspera arteria cum venis jugularibus* manu simul comprehensa, cultro sacro בסכין incidebantur, ita ut vel plane vel saltem magna ex parte dissecarentur, idque cultrum promovendo & reducendo. Actio hæc peragi poterat a *quocunque* artis satis *perito*, imo etiam a *muliere*, *servo* vel *immundo*, exceptis tantum *surdo*, *stulto* & *minorenni*, quamvis sæpissime Sacerdotes ipsi hoc officium peregerint. Mactabantur autem קדשי קדשים *sanctissima* ad septentrionem altaris, sed קדשים קלים *minus sancta* in omni loco atrii, plerumque tamen ad orientem.

Cautelæ circa illam. XLI. Non mirum autem ad hunc actum hominem satis peritum requiri, cum facile illegitimus evadere posset, quod fieri Judæi dicunt per שהייה *moram*, דרסה *pressionem*, חלדה *occultationem*, הגרמה *aberrationem* & עיקור *evulsionem* gutturis vel gulæ ante finitam mactationem. Nefas quoque erat bovem cum fœtu suo eodem die jugulare, unde quater in anno venditores tenebantur indicare, se animalis jugulandi matrem fœtumve vendidisse. Denique

que singulæ victimæ seorsim, non duæ uno cultri ductu, mactari debebant.

XLII. Jugulatio hæc in solis quadrupedibus locum habuit, non item in avibus; in quibus מליקה *unguesectio* obtinebat, quæ adeo necessaria erat, ut si quis cultro avem mactasset, illegitima evasisset. Ejus autem hæc erat ratio: Sacerdos avis pedes per duos extremos digitos manus sinistræ, alas per duos alios transmittebat; sicque digitorum superficiei incumbentem avem firmiter tenebat, collo super pollicem expanso; tum caput per pollicem & indicem reclinatum ungue pollicis manus dextræ secabat; ita ut in holocaustis caput a corpore plane separaretur, sed in piacularibus tantum incideretur. Quæ actio solis Sacerdotibus committebatur, omniumque reliquarum Sacerdotalium difficillima fuisse dicitur. Peragebatur plerumque in holocaustis in ipso altari ad cornu euroaustrale, in piacularibus infra ad notozephyrinum, licet ceteroquin quævis altaris pars ad eam legitima esset. *Unguesectio avium.*

XLIII. Cum jugulatione immediate conjuncta erat קבלת דם aut לקיחר דם. *Exceptio sanguinis.*

דם *exceptio ſanguinis*. Hæc æque ac reliqua circa ſanguinem & altare peragenda, ad ſolos Sacerdotes ſpectabat מקבלת דם ואילך מצות כהונה Quin & in ipſo Sacerdote, ſanguinem rite excepturo, multa Judæi requirunt. Actio hæc fieri debebat eodem in loco ubi victima mactata, & quidem plerumque in *vaſe argenteo* מזרק appellato, vel ſi unum non ſufficeret in pluribus: in ſacrificio tamen pro reatu Leproſi, duo Sacerdotes, unus vaſe, alter manu, ſanguinem excipiebant. Manus autem, qua vel immediate hic utendum, vel vas tenendum, ſemper debebat eſſe dextra. Denique opera danda ut quantum fieri poſſet, omnis omnino ſanguis exciperetur, quem in finem abſciſſæ partes intra ipſum craterem ducendæ erant, ne quicquam vel in ipſa victima remaneret, vel præter vas in terram deflueret. Omnia vero hæc de quadrupedibus intelligenda ſunt, nam in avibus exceptio ſanguinis locum non habebat.

Delatio ad locum aſperſionis.

XLIV. Exceptum ſanguinem Sacerdos baculo *movebat* ne concreſceret, ſicque in eodem vaſe quo exceptus, vel ex illo in aureum transfuſus (non enim licebat eum niſi ex vaſe minus pretio-

pretioſo indere pretioſiori) *deferebatur* ad locum ubi ſpargendus, aut effundendus erat. Jugulatis autem agnis Paſchalibus Sacerdotes ſeriatim conſtituti, a loco mactatæ victimæ usque ad altare, de manu in manum vas tradebant, donec ad illum pertingeret, qui altari proximus ſtabat.

XLV. Sic tandem ſequebatur זריקת דם *adſperſio ſanguinis*, quæ & הזייה vel נתינה audit, omniumque fere reliquarum actionum præcipua eſt, nam ab illa peccatorum expiatio maxime dependebat, quemadmodum & ipſa carnis eſum pelliumque uſum licitum faciebat. Fiebat autem variis modis variisque locis. *Holocauſtorum* enim ut & ſacrificiorum *pro reatu* & *ſalutarium* ſanguinem, Sacerdos ſtans in pavimento ad angulum altaris euroaquilonarem, ex ipſo vaſe, angulo huic, infra filum rubrum adſpergebat, ita ut in utrumque latus inſtar Græci r diffunderetur. Hinc altare ambiens ab angulum notozephyrinum idem faciebat, cumque hac ratione ſanguis ad duos tantum angulos ſpargeretur, ſed nihilominus omnium quatuor laterum extremitates illo imbuerentur, judæi has appellant שתי מתנות שהן ארבע

Adſperſio ſanguinis holocauſt. pro reatu & ſalutar.

M *duas*

duas sparsiones sed *quæ æquivalent quatuor*.

Piacularium exter. & interior. XLVI. In Sacrificiis *piacularibus exterioribus*, postquam Sacerdos conscenso clivo in circuitu medio altaris a dextra procedens, ad angulum euroaustralem pervenisset, digito indice manus dextræ sanguine imbuto, admotoque pollice ab una & digito minimo ab altera parte, ad angulum cornu euroaustralis descendebat, donec sanguis digito adhærens absumptus esset, quo peracto circumibat altare, idem in singulis reliquis cornibus repetens, semperque post peractam unamquamque sparsionem, digitum ad latus vasis abstergens, & ad novam faciendam, eundem iterum sanguini immittens, quo pacto quia in singulis IV cornibus duo latera tingebantur, appellantur hæ ארבע מתנות שהן שמונה *Quatuor sparsiones quæ sunt octo*. Quod si quatuor vasis sanguinem excepisset, ex utroque unum cornu imbuendum erat. *Piacularium* autem *interiorum* sanguis illatus in ipsam ædem, vel in S. S. coram & super propitiatorio, vel in Sancto coram velo & ad cornua altaris interioris spargebatur, de quibus, ut & aliis adspersionibus ad lustrationem adhibitis, infra propius agetur.

XLVII.

XLVII. Sparſioni affinis erat *ſanguinis effuſio.* Scilicet Primogenitorum & Decimarum pecudum nec non agnorum Paſchalium ſanguis ſpargendus quidem dicitur Num. XVII. 17. ſed Judæi iſtam ſparſionem explicant, de unica affuſione ad fundamentum altaris, quæ fieri ſolebat ad angulum altaris notozephyrinum. Ibidem in foramina quæ ad hunc angulum in baſi erant (v. Supr. VIII. §. XXVIII.) effundebatur quicquid de ſanguine aliorum ſacrificiorum, poſt peractas ſparſiones reliquum manſerat, & quidem ſanguinis interioris, ſeu in ipſa æde ſparſi, reſiduum, in foramen occidentale, exterioris autem in auſtrale: ſi vero quis ſanguinem IV cornibus adſpergendum, quatuor vaſis excepiſſet, & ex uno eorum omnes IV ſparſiones peregiſſet, vaſis hujus reliquiæ baſi affundendæ, tria autem reliqua vaſa in canalem templi evacuanda. Denique illic etiam ſanguis ſacrificiorum pro reatu dubio effundi ſolitus, ſi quis poſt victimam jam jugulatam, at ſanguine nondum adſperſo certus factus eſſet, ſe vel vere peccaſſe vel non Actio autem hæc proprie שפיכת דם audit. *Sanguinis effuſio.*

XLVIII. Hæc circa ſanguinem ani- *Sanguinis*

M 2 malium

avium adspersio. malium locum habuerunt, at alia *avium* erat ratio, cum enim in illis ob minorem quantitatem, ſanguis nec vaſe excipi, nec digito ſpargi commode poſſet, *adſperſio* ex ipſa ave fieri ſolebet, ita ut ſi eſſet ſacrificium *piaculare*, Sacerdos in pavimento ad angulum notozephyrinum conſiſtens, poſtquam ungue illam ſecuiſſet, eadem altari admota, latus ſanguine imbueret, reliquiis dein ad baſin expreſſis: ſi *holocauſtum*, idem poſtquam in circuitu ad angulum euroauſtralem unguefectione caput a corpore ſeparaſſet, ex utroque ad latus altaris ſupra filum rubrum ſanguinem exprimeret. v. Lev. I. 15. & V. 9.

Excoriatio victimarum. XLIX. Poſtquam hæc circa ſanguinem geſta, victima ipſa ulterius præparanda erat, quod fiebat *excoriatione*, *diſſectione* atque *lotione*, quæ functiones iterum a Dominis peragi poterant, & circa omnia ſacrificia obſervabantur, exceptis piacularibus interioribus, quæ cum pelle omnibusque ſordibus comburebantur. Reliquis, poſtquam e columnis atrii (c. VIII. §. XXX.) ſuſpenſæ, pelles detrahebantur, quæ ut Judæi aſſerunt, ſequebantur carnem, unde ſacrificiorum minus ſanctorum, quorum caro cedebat Dominis, pelles

pelles quoque iisdem reddebantur, ſanctiſſimorum autem de quorum carne participabant Sacerdotes, his quoque dabantur, quemadmodum & holocauſtorum, quæ integra Dei erant, pelles quia altari ineptæ, iisdem Dei miniſtris aſſignatæ erant. Lev. VII. 8. Solebant autem Sacerdotes illas, in conclavi Happarvæ, ſale condere, ne corrumperentur.

L. Durante vel peracta excoriatione, *diſſectio* victimæ נִתּוּחַ dicta, inſtituenda erat. Quem in finem poſtquam in excoriatione holocauſtorum deſcendendo ad pectus perventum eſſet, capud & pedes reſecabantur, & ex corde ſciſſo ſanguis removebatur, tum quoque ablatis armis integrum corpus aperiebatur, & remoto adipe eximebantur inteſtina cum ventriculo, quæ cum pedibus diligenter lavabantur Lev. I. 9. & quidem viſcera primum ad minimum ter, & ventriculus quantum ſatis erat, in conclavi lavantium, dein hæc ad menſas marmoreas, ad ſeptentrionem altaris (VIII. §. XXX.) relata, ibidem iterum cum reliquis victimarum partibus ordine porro diſſectis, majori adhuc cura abluebantur, ſicque tandem cuncta,

Diſſectio & totio holocauſtorum &c.

M 3 quæ

quæ altari destinata, mensæ marmoreæ ad occidentem clivi altaris (VIII. §. XXXIV.) imponebantur, ut frigescerent.

Exemtio ablegminum ex aliis sacrificiis &c.

LI. In sacrificiis quæ integra Sacerdotibus aut dominis cedebant, dissectio hæc locum non habebat, sed ex his eruebantur *ablegmina* אימורים dicta, in altari cremanda. Hoc nomine intelligitur כל חלב המכסת על הקרב *omnis adeps tegens intestina*, sub quo & comprehenditur *adeps ventriculi*, *renes* cum *adipe* eosdem tegente, *adeps iliorum*, & יותרת quo nomine nonnulli intelligunt *reticulum hepatis* cum *particula* ejusdem, alii *lobum hepatis majorem*, quibus in ovibus solis addebatur cauda cum articulis usque ad regionem renum. Lev. III. 9. Juvencorum atque hircorum comburendorum extra urbem, ablegmina quoque in usum altaris eximebantur, ipsa autem non dissecabantur sed incidebantur, quod Judæi קליעה appellant. Denique ex sacrificiis salutaribus privatis exsecabatur quoque crus dextrum cum pectore, quibus in ariete Naziræi insuper armus addendus erat.

Agitatio victimarum jugu-

LII. In sacrificiis salutaribus, his peractis adhuc agitatio quædam requirebatur: & quidem in publicis, quæ viva

viva jam agitata erant, eadem actio post jugulationem repetenda. Privatorum autem ablegmina, postquam in patina collocata, idque hac ratione, ut inferiorem locum occuparet adeps, illique superimponerentur pectus & femur, atque his iterum utrique renes, tum denique renibus omentum jecinoris, omnia hæc manibus offerentis imposita, suppositisque Sacerdotis manibus, eo quo (sup. §. XXXVIII.) vidimus modo, movebantur, quibus in sacrificio salutari Naziræi armus coctus, reliquis crudis manentibus, jungebatur. Lev. VII. 30. Num. VI. 19. 20. *latarum & membrorum.*

LIII. Sic tandem iis, quæ altari destinata & Rabbinis חלבים dicta, puta holocaustorum partibus omnibus excepto ventriculo, atque intestinis, liene & vesicula fellea, ut nonnulli censent, reliquorum vero ablegminibus solis, rite præparatis, illa a Sacerdotibus, & quidem ablegmina ab uno, membra autem holocausti a pluribus paucioribusve pro magnitudine victimarum, decenti ordine, *ad clivum altaris deferebantur*, quod הילוך Judæi vocant. Deponebantur autem partes sacrificii jugis, infra partem me- *Delatio ad altare.*

cliam clivi majoris ad ortum, additi-tia ibidem ad occaſum, noviluniorum vero infra circuitum altaris ſuperio-rem.

Salitio & miſſio in ignem. LIV. Altari hac ratione admotæ partes, a quo ſanctificabantur Matth. XXIII. 19. unde poſtquam eo ſemel adſcenderant, nunquam, ne pollutæ quidem, deſcendebant, ex cumulo *Salis*, quod plerumque *Sodomiticum*, aut eo deficiente *Oſtracinenſe* erat, in clivo altaris (VIII. §. XXVI.) ſaliebantur, ſalitaque tandem in focum altaris majorem comburendis victimis inſervientem, immittebantur, quod הקטר appellari ſolet: ubi tamen ex holocauſtis גיד הנשה *nervum luxationis* ſeu muſculum, Arab. نسا, exemtum, & in pomum cineris (VIII. §. XXVII.) conjectum Judæi monent.

Avium immolatio. LV. In avibus nulla diſſectio, lotio nec ablegmina locum habebant. Sed quæ in holocauſtum offerebantur, earum caput unguefectione avulſum atque in ſummo altaris ſalitum primum igni injiciebatur, tum & reliquum corpus, exemta ingluvie, & cum extis ad alimentum ineptis, quibus nonnulli plumas addunt, usque in בית הרשן ad ortum clivi altaris (VIII. §. XXIX.) pro-

projecta, praevia salitione in ignem immittebatur. Piaculares vero aves ad altare non adscendebant, sed earum sanguine sparso, integrae Sacerdotibus in cibum cedebant.

LVI. Postquam hac ratione, *Comestio.*

Sacra tulere suam, pars est data
cetera mensis,

reliquaque caro illorum sacrificiorum, quae non tota comburebantur, his quibus ad eam jus erat, permissa est. Erant illi vel Sacerdotes soli vel offerentes, vel utrique. Sacerdotibus solis cedebat caro. *Sacrificiorum* sanctissimorum, quam comedere fas erat, ut, *exteriorum pro peccato, pro reatu & salutarium publicorum.* Comedenda autem haec tantum erat a Sacerdotibus familiae ministrantis, & quidem masculis ac mundis, idque non nisi in atrio interiori. Lev. VI. 22. Num. XVIII. 10. Neh. VII. 65. Primogenitorum quoque caro Sacerdotum erat portio Numer. XVIII. 17. 18. qui illa vesci poterant in universa urbe Hierosolyma. Ad solos Dominos redibant, ablegminibus in altari crematis, *Decima animalium* atque *Agni Paschales*, quae in urbe Hierosolyma a Viris foeminisque mundis sine discrimine consumenda. Inter Sacerdo-

 tes

tes autem & Dominos dividebantur Sacrificia falutaria privata, ex quibus Sacerdotes recipiebant pectus cum crure dextro, & ex ariete Naziræi infuper armum coctum Lev. VII. 35. & Num. VI. 19. His vefcebantur, in templo aut urbe Hierofolyma non folum ipfi, & filii, fed & uxores & filiæ vel innuptæ, vel in paternam domum fine liberis receptæ, quin & fervi, pretio empti, non vero mercenarii aut inquilini Lev. XXII. 10. 11. 12. 13. Num. XVII. 11. reliqua vero Dominorum erant, qui eadem five in atrio five in ædibus privatis, per univerfam urbem una cum domefticis aliisque convivis, comedebant.

Comeftionis circumftantiæ. LVII. Comedebantur autem nonnulla *cocta* aut *elixa*, at pleraque *affata*. Imprimis affatio in agnis Pafchalibus præcepti divini erat Exod. XII. 9. *Comedentes* omnes, five Sacerdotes five privati, debebant effe *puri*, Lev. VII. 21. XXII. 4. Privatis fua in templo comedentibus, licebat *modicum vini* bibere, non vero Sacerdotibus. Inprimis autem in comeftione attendendum erat tempus, quod pro Sacrificiorum difcrimine variabat, ita ut quo fanctiora, eo breviori temporis fpatio comedenda

da

da essent. Sic *Piacularia* cum *salutaribus publicis*, & ex privatis זבח תודה cum *ariete Nazirræi* edi debebant die jugulationis aut nocte sequenti Lev. VII. 15. (In comestione enim sacrificiorum dies præcedit noctem.) Agno Paschali scriptura eundem terminum statuit. Exod. XII. 8. seqq. Sed Judæi per סיג התירה illum restrinxerunt usque ad mediam noctem. Reliquis sacrificiis *salutaribus privatis* cum primogenitis & decimis pecudum statuti erant שני ימים ולילה אחד duo dies (oblationis nempe & sequens) cum una nocte intermedia. Lev. VII. 16. 17.

LVIII. Quæ autem ab his ultra statutum tempus reliqua manserant, *comburi* debebant, Exod. & Lev. locc. citt. & quidem vel in templo vel in ædibus privatis, ubi enim & a quibus comedenda, ibidem & ab iisdem comburi poterant. Præter hæc plura alia flammis tradenda erant, ut in atrio, & quidem (ut nonnulli volunt) in loco quodam cineris, ad ortum altaris (vid. supr. VIII. §. XXIX.) פסולין קק *victimæ sanctissimæ* quæ ibidem vitium contraxerant, nec non אימורי קדשים קלים *ablegmina minus sanctarum*, quibus *Combustio.*

bus autem id extra atrium contigerat, extra illud quoque erant conſumenda: Piacularia interioria, ſeu quorum ſanguis in ædem ipſam illatus, extra caſtra, ſeu ſtante templo extra urbem comburi debebant, Lev. IV. 5. VI. 30. & Hebr. XIII. 11. quem in finem una cum pelle & fimo pectibus a viris puris deferebantur ad locum, qui inde בית השריפה *locus combuſtionis*, & a cineribus ſuperfluis altaris eo delatis בית הדשן *locus cineris* in *valle*, ut videtur, *cineris* Jer. XXXI. 40. vocatur. Ubi obſervandum, quod Viri puri circa hæc occupati, eo ipſo polluebantur. Cremabantur quoque ſacrificia tempore aut loco non ſuo jugulata, nec non pro reatu dubio, quando ante ſparſionem ſanguinis, quis certus evaſiſſet ſe vere peccaſſe, vel non peccaſſe, ut avis pro reatu dubio. Quod ſi autem victimæ piaculares, poſtquam ad combuſtionem ex atrio elatæ, temeratæ fuiſſent, æque ac פסולי קדשים קלים *ſacrificia minus ſancta*, quæ vitium contraxerant, in monte templi לפני הבירה (VIII. §. XII. & XLIX.) comburi debebant. Omnes hæ combuſtiones non niſi interdiu fieri poterant, nec ad illas Sacerdotes tantum, ſed & alii apti erant.

LIX.

LIX. Primogeniti autem asini non redempti, & animalia profana aut fera in atrio jugulata, nec non hostiæ consecratæ ubi mortuæ essent, aut abortum fecerant, sepeliri debebant, nisi quod, si posteriores enixæ essent secundinas, hæ solæ, reliquo corpore sepulto, comburendæ essent. Plura alia comburenda aut sepelienda, Judæi numerant, & priorum quidem in universum septem, posteriorum autem novem, sed cum reliqua huc non pertineant, suo quæque loco tangemus. *Sepultura.*

LX. Cum sæpius in hoc negotio victimarum legitimarum aut profanatarum fiat mentio, ut & mactationis in loco aut tempore suo, observandum Judæos tribus potissimum vocabulis innuere quicquid ad altare ineptum est, scilicet טמא, פסול & פגול quorum prius טמא proprie *immundum* est, פסול *illegitimum* ad illum usum ad quem destinatum, פגול vero *fædum & abominabile*. In duorum posteriorum ordinem victima non solum facto aliquo aut casu interveniente, sed & ipsa cogitatione indebita redigi, Judæis auctoribus, poterat, ita ut nec sanguinem spargere nec carnem comedere liceret: ex. gr. si offerens inter mactandum aut Sacer- טמא פסול פגול

cerdos inter ſanguinis exceptionem, delationem ad altare, aut ſparſionem cogitaſſet, ſe id facere in alterius ſacrificii nomine, quam id vere eſſet, aut ſe aliquid de illo oblaturum vel comeſturum loco illegitimo, evadebat פסול, tempore vero illegitimo evadebat פגול contrahebatque pœnam *excidii* כרת facti hujus auctori, & illi qui ſciens de tali victima comediſſet, qui vero id feciſſet inſcius, tenebatur ad *ſacrificium piaculare fixum*. Ad quod evitandum aſſerunt mactantem moneri ſolitum, ne ſacrificium abominabile redderet. Verum quoniam hæc omni in ſacris fundamento carent, neque hac ratione de ullo ſacrificio, utrum legitimum eſſet necne, conſtare potuiſſet, cum de alterius cogitatione nemo unquam certus eſſe queat, ad ἐντάλματα ἀνθρώπων merito referuntur.

Varii ſanctitatis gradus.

LXI. Quoniam variæ ſanctitatis in ſacrificiis plus ſemel meminimus, tenendum Judæos, ejus in oblationibus hos potiſſimum gradus diſtinguere: *Sanguis ſacrificii piacularis* ſanctior eſt *ſanguine holocauſti*, *membra holocauſti ablegminibus ſacrificii piacularis*, *Sacrificium piaculare*, ſacrificio *pro reatu*, excepto pro *reatu Leproſi*, ſacrificium *pro reatu* ſacri-

ſacrificio תודה & *ariète Naziræi*, hæc iterum *ſalutaribus*, *ſalutaria primogenitis* animantium, *Primogenita decimis*, *decima* ſacrificiis *avium*, & ex avibus *piaculares holocauſtis*, ſacrificia ex *avibus fertis*, *fertum peccatoris*, *ferto ſpontaneo*. Quæ autem ſanctiora reliquis, in oblatione iisdem præmittebantur.

LXII. Quæ hactenus de ſacrificiis eorumque oblatione luſtravimus, ſolos Iſraelitas, ad hunc cultum obligatos, ſpectabant. Recipiebantur nihilominus & ſacrificia a *gentibus*, ſed non alia quam *holocauſta*, eaque tantum *votiva* vel *ſpontanea* נדר aut נדבה dicta. *Salutaria* quoque non repudiabantur quidem, ſed offerebantur, ut *holocauſta*. Si non junxiſſent *libamina*, ex ærario publico eadem emenda erant. Nullo quoque gentium ſacrificia laborare vitio debebant, vel ſi tale quod obtuliſſet Sacerdos, vapulabat. Manuum autem impoſitio, agitatio, leges de פגול & reliquiarum combuſtio, in illis locum non habebant. *Sacrificia gentium.*

CAP.

CAP. XIV.

De Fertis & Libaminibus.

I.

Fertorum nomina.

Altera *oblationum* scil. *inanimatarum*, species est quæ מנחות *donorum* a منح *donavit* aut προσφορῶν nomine venit Pſ. XL. 7. Hebr. X. 5. & partim *fertis* partim *libaminibus* constat, quorum priora aliquando κατ᾽ ἐξοχὴν מנחות posteriora נסכים audiunt, quamvis & ultimum vocabulum æque ac prius, nonnunquam de utrisque usurpetur.

Antiquitas.

II. Incruentæ hæ oblationes, non minus canæ *antiquitatis* sunt, quam cruentæ Gen. IV. 3, 4. & apud plerasque gentes priscis temporibus fere his frequentiores fuerunt.

Ferta cum sacrificiis & per se venientia.

III. Possunt autem *ferta* varie dividi: alia enim tantum *appendices* erant *sacrificiorum*, quibus jungi solebant, dicta idcirco מנחות הבאות עם הזבח vel עם הבהמה atque hæc non addebantur nisi holocaustis pecudum, uti & salutaribus, non pro peccato aut reatu, excepto אשם מצורע *pro reatu*

reatu Leprosi, neque tribus illis quæ ſalutaribus ſimilia (Supr. XIII. §. XVI.) aut avibus, niſi quæ pecudibus ſubſtitutæ eſſent. v. Lev. XIV. 31. Alia per ſe offerebantur ſine ſacrificiis, unde appellantur מנחות הבאות בפני עצמן *ferta per ſe venientia*. Ad priora quia accedebant libamina, eadem מנחת נסכים *ferta libaminum*, dicuntur.

IV. *Ferta per ſe venientia* diſtinguuntur in מנחות צבור *Ferta publica* ſeu integri cœtus, & מנחות יחיד *ferta privata* ſeu ſingulorum hominum. Priorum tria numerantur, עמר ſeu *manipulus hordeaceus*, שתי הלחם ſeu duo *panes Pentecoſtales*, & לחם הפנים *Panes propoſitionis*.

Ferta publica & privata.

V. *Ferta privata* Novem ſunt, quorum quatuor a Deo ipſo præſcripta 1. מנחת חוטא *fertum peccatoris*, ſcilicet rei unius IV peccatorum Lev. V. 1-4. at tam pauperis, ut nec pecudem, nec aves dare poſſet ib. 11. 2. מנחת סוטה *fertum mulieris adulterio ſuſpectæ* quod & קנאות *Zelotypiæ* dicitur. Num. V. 15. 25. 26. 3. מנחת חינוך *fertum initiationis* a Sacerdote gregario ſub auſpicium muneris ſui offerendum. Lev. VI. 12. ſeqq. 4. מנחת חבותין *fertum cruſtulorum* Pont. M. ibid. Reliqua quinque erant *ſpontanea*

Privata debita & ſpontanea.

tanea ex voto בנדר או בנדבר venientia, quæ pro varia præparatione, de qua §. XI. varias accipiunt denominationes.

Materia fertorum.

VI. Omnia ferta debebant esse *ex simila triticea*, excepto manipulo paschali & ferto Zelotypiæ, quæ *ex farina hordeacea*. Nonnullis addebatur *oleum* & *thus*: Exsulare autem ab omnibus debebat *mel & fermentum*, quæ Deus altari proscripsit Lev. II. 11. præterquam quod ad panes pentecostales adhiberetur fermentum, sed qui ob eandem causam ad altare non accedebant. Eadem ratio ex parte erat *panis sacrificii eucharistici* לחם תודה sed de quo hic non agimus, cum fertis a Judæis non accenseatur (v. infr. §. XXV. & XXVI.) Huc quoque nonnulli referunt *geminos panes fermentatos* שני תודות appellatos, quos ad consecrationem loci aut urbis ampliationem adhibitos, eamque ob causam ad finem talis loci delatos volunt, ex Nehem. XII. 31. Verum uti hic mos forsan observari potuit, ita ex hoc Nehemiæ loco saltem probari nequit, cum verba rectius de duobus choris laudantium explicentur.

Unde sumenda.

VII. Licebat autem ferta tam publica quam privata offerre ex *frumento* quo-

quocunque Veteri vel *novo*, & in *quocunque loco*, sive terræ Israeliticæ sive extra illam, nato, excepto manipulo paschali & panibus pentecostalibus, qui non nisi ex frumento novo, & quidem ex ipsa terra adducendi, Lev. XXIII. 10. 17. ante omnia vero requirebatur ut frumentum sumeretur optimum, quem in finem præferebatur triticum ex Michmas & Masonecha, cui proximum ex Chephraim in valle. Ita quoque cum oleo comparatum erat, quod uti ex omni loco licitum, ita ex urbe Tekoah, ubi optimum, vel Regeb trans Jordanem, quod illi proximum, peti solebat.

VIII. Ferta publica *comparabantur*, ex לשכה s. *ærario publico*, vel si ex sponte natis anni septimi venirent, inde horum custodibus merces solvebatur (VIII. §. XV.) Privata unusquisque vel secum afferre vel in templo emere poterat. *Comparatio fertorum.*

IX. Ad fertorum omnium *præparationem* in genere primum requirebatur, ut frumentum per שיפה & בעיטה probe comminueretur, & mediantibus variis cribris, quorum nonnulli in panibus propositionis undecim numerant, in pentecostalibus duodecim, in mani- *Frumenti præparatio.*

 nipu-

nipulo paschali tredecim, alii vero in omnibus tot quot necessaria erant, similago seu farina tenuissima סלת inde educeretur. Manipulus Paschalis autem id proprium habuit, quod hordeum prius in vase foraminibus instructo אבוב tostum, tum vento expositum, & in molis fabarum contusum, sicque tandem cribratum fuit.

Quantitas. X. *Quantitas* frumenti in sacris non determinatur, sed potius farinæ s. similaginis inde eductæ, unde colligimus tantam ejus copiam sumendam fuisse, quæ determinatam similaginis purissimæ quantitatem præbere posset. Judæi tamen ad manipulum Paschalem tria sata, ad geminos panes pentecostales totidem, ad XII panes facierum XXIV sata sumenda sciscunt.

Quantitas similaginis &c. in fertis libaminum. XI. Similaginis autem mensura in fertis libaminum erat cum sacrificiis, 1. ex *bobus* aut *vitulis*, *tres decimæ* Ephæ similæ cum *dimidio Hin* olei, 2. ex *arietibus*, *duæ decimæ* cum *tertia parte* Hin olei, 3. ex *capris* & *ovibus*, *decima* cum *quarta parte* Hin olei, *excepto agno* in holocaustum diei secundi Paschatis, cui *duæ decimæ* similæ cum *tertia parte* Hin olei ungi debebant Lev. XXIII. 13. & 4. [cu]m *sacrificio Leprosi* divitis, *tres deci-*

mæ

mæ similæ cum ¾ Hin & *logo* olei, secundum quas quatuor species totidem in templo fuisse dicuntur mensuræ his vocibus inscriptæ עגל׳ זכר׳ גדי׳ חוטא nonnulli ex quarta duas faciunt חוטא דל & חוטא עשיר *peccatoris* i. e. Leprosi *pauperis* & *divitis*, pauper autem uti pro tribus agnis unum, ita pro tribus decimis similæ unam cum ¼ Hin & Logo olei dabat. Lev. XIV. 21. Qui igitur tale fertum emere volebat, Præfecto sigillorum pretium solvebat, unamque ex his tesseris recipiebat, pro qua ad Præfectum libaminum delata, hic desideratum fertum reddebat.

XII. *Fertorum per se venientium, publicorum*, hæc erat quantitas: *manipuli paschalis* una decima farinæ hordeaceæ, ad *panes pentecostales* duæ decimæ laginis Lev. XXIII. 17. *ad XII panes facierum* XXIV decimæ, scilicet duæ decimæ ad singulos. Lev. XXIV. 5. *Privatorum* autem *debitorum* mensura ita se habebat: *Peccatoris pauperrimi* fertum constabat una decima similæ Lev. V. 11. *mulieris adulterio suspectæ* una decima hordei Num. V. 15. *initiationis Sacerdotum* una decima similæ, ut & *Pont. M.* una decima cum tribus logis olei. Lev. VI. 12.

Quantitas fertorum, per se venientium.

12.13. *Privatorum* autem *spontaneorum* quantitas determinata non est, sed offerentis arbitrio relicta, nisi quod secundum Judæos, illa non debuerit esse minor una decima; nec major sexaginta, quia publica nunquam LXI excedebant, par autem erat, ut privata essent minora publicis. Addebatur quoque oleum, & quidem singulæ decimæ unus logus.

Thus & oleum quibus fertis additum?

XIII. Thuris, quod nonnullis fertis jungebatur, mensura erat pugillus pro singulo ferto sive majori sive minori. Admittebant autem quædam *thus*, vel *solum sine oleo*, ut panes propositionis, vel *una cum oleo*, ut privata spontanea, cum manipulo paschali & ferto initiationis Sacerdotum atque Pontificis M. nec non mulierum & gentium, quædam *oleum sine thure* ut ferta libaminum, quædam denique *neutrum*, ut panes pentecostales, cum ferto peccatoris & Zelotypiæ.

Farina in fertis vel cruda manebat, aut oleo mixta, vel in vase cocta.

XIV. Farina vel cruda offerebatur, sine omni alio additamento, ut in *ferto Zelotypiæ & peccatoris pauperrimi*, vel oleo mixta ut *in manipulo paschali*, *primo* ex quinque *spontaneis* privatorum סלת dicto & *fertis libaminum*. In ferto autem Leprosi divitis, simila tantum cum

cum $\frac{3}{4}$ Hin olei, & pauperis cum $\frac{1}{4}$ Hin miſcebatur, logus vero olei utrique additus, auri & pollicibus imbuendis impendebatur. Nonnulla ferta, poſtquam ſimila, vaſi oleo imbuto immiſſa, & affuſo oleo mixta eſſet, addita aqua calida depſebantur atque *in vaſe* מחבת aut מרחשת *coquebantur*, inter quæ vaſa id potiſſimum diſcriminis intercelliſſe videtur, quod prius planius ſine margine, & quæ in eo coquebantur firmiora, alterum profundius ſed margine inſtructum, & in eodem parata molliora atque fluidiora eſſent. Hæc duo ferta *quartam* & *quintam* privatorum ſpontaneorum ſpeciem conſtituunt. Lev. II. 5. 6. 7. 8.

Ferta cocta in furno.

XV. Quædam coquebantur in furno ut חלות *placentæ* רקיקין ſ. *lagana*, Lev. II. 4. & *panes* qui nomine לחם veniunt. *Placentæ* erant *craſſiores* & ex farina oleo in vaſe eodem antea imbuto mixta, atque aqua calida ſubacta, formabantur, & quidem decem ex ſingula decima ſimilæ: רקיקין ſ. *lagana* erant *tenuiora*, quæ parabantur ex farina, aqua calida, ſed ſine oleo ſubacta, dein autem oleo, in formam crucis ſ. Græcæ literæ X ungebantur. Placentæ *ſecundam fertorum ſpontaneorum privatorum* ſpeciem, lagana

 vero

vero *tertiam* faciebant. Ex ferto initiationis Sacerdotum, ut & quotidiano Pontificis formabantur quoque *Placentæ* tenuiores, ex priori decem, ex posteriori duodecim, atque hæ aliquantulum coctæ, torrebantur, cum oleo in vase מחבת unde & posteriores חבתים nomine veniunt, Lev. VI. 14. & 1 Chron. IX. 31. *Panes* duplicis erant generis, *facierum* & *Pentecostales*.

Præpar. panum faciei & Pentecost.

XVI. *Panes facierum* numero XII pro numero tribuum Israelis, formabantur singuli seorsim, ex duabus decimis similæ cum aqua calida subactis, ad crassitiem digiti, figura quadrangulari oblonga, duabus extremitatibus ab utraque parte replicatis, ita ut longitudo esset 10, latitudo 5 palmorum, altitudo autem eminentiarum, ab utraque parte reclinatarum, quas Judæi קרנות *cornua* appellant, 7 digitorum, quam dimensionem vox memorialis יה״ז innuit. Eadem ratione præparabantur *Panes Pentecostales* numero bini, singuli seorsim ex una decima similæ, nisi quod massæ jam subactæ inderetur fermentum Lev. XIII. 17. & panibus propositionis essent minores, longitudo enim erat tantum 7, latitudo 4 palmorum, alti-

altitudo autem cornuum 4 digitorum quorum memoriale זיר est. Formati hac ratione panes in furno coquebantur, & quidem pentecostales singuli, facierum autem bini.

XVII. Nonnulla eorum quæ ad præparationem fertorum faciunt, legitime fiebant extra atrium, alia non nisi in ipso atrio. Molebatur & ventilabatur farina, quin & in panibus facierum & pentecostalibus depsebatur extra atrium, sed coqui debebant in ipso atrio, in eodem loco ubi coquebantur sanctissima, quem in finem in atrio furnus aliaque vasa ad coquendum præsto erant. Præparationi autem panum facierum & crustulorum Pont. M. peculiaria conclavia atrii erant assignata (v. supr. c. VIII. §. XX. & XXI.) Omnia hæc in fertis privatis fieri poterant per quoscunque puros, usque ad pugilli acceptionem, quæ ad solos Sacerdotes pertinebat. Ferta autem publica præparabantur a personis publicis, & quidem ad panes pentecostales & manipulum paschalem cooperari poterant quicunque vellent, ex omnibus ephemeriis, panum propositionis autem cura spectabat ad ephemeriam mi- *Circumstantiæ in præparatione observandæ.*

N 5 nistran-

niſtrantem, ſub templo II in ſpecie eorum præparatio familiæ Garmu commiſſa dicitur, aliquando & Levitæ iis ut & cruſtulis Pontif. M. conficiendis præpoſiti leguntur. 1 Chron. IX. 32.

Immiſſio in vas miniſterii. XVIII. Ferta quæ ſola ſimila, cruda aut oleo mixta conſtabant, mox indebantur *vaſi miniſterii*, quo ſanctificabantur, niſi quod fertum zelotypiæ in corbe ſaligna allatum ad portam Nicanoris, tandem cum agitandum, illi ibidem immitteretur. Cocta autem exceptis panibus prius comminuebantur in fruſta, in ſpecie cruſtula Pontificis M. ſingula in duas partes æquales dividebantur, quarum una mane, altera veſperi offerenda, ulterius oblationis tempore comminuebatur; fruſta porro indebantur vaſi ſacro. His peractis, fertis סלת ut & fruſtis eorum, quæ in vaſe מחבת aut מרחשת parata, oleum, quod reſtabat, affundebatur, ut adeo in talibus triplex olei uſus, 1. מתן שמן בכלי .2 בלילה & 3. יציקה locum habuerit. Quæ thus requirebant (v. ſupr. §. XIII.) illis tum quoque pugillus thuris imponebatur.

Agitatio & adductio fertorum. XIX. Omnibus hac ratione rite præparatis, quædam eo quo (cap. XIII. §. XXXVIII.) viſum ritu, *agitari debebant,*

bant: ut *panes pentecostales* & *logus* olei Leprosi, qui cum ejusdem sacrificio pro reatu agitabatur, Lev. XXIII. 11. & XIV. 23. 24. alia ad angulum altaris notozephyrinum *adduci*, non agitari, ut fertum *peccatoris*, *mulierum*, *initiationis Sacerdotum*, *crustula Pont. M.* & ferta *spontanea*, alia prævia *agitatione adduci*, ut *Manipulus* paschalis & fertum *zelotypiæ*, v. Lev. XXIII. 11. & Num. V. 25. in fertis *libaminum* autem & *panibus propositionis*, neuter ritus locum habebat.

XX. Horum nonnulla tota cedebant altari, ut *ferta animalibus juncta*, ut & ferta *initiationis Sacerdotum* & *Pont. M.* Quædam ex parte ut reliqua *ferta privata* & ex publicis *manipulus paschalis*. Ex his pugillus eximebatur, sed cui nihil thuris mixtum esse debebat, atque iterum in aliud vas sacrum immittebatur. Hanc pugilli acceptionem, Judæi קמיצה vel חפינה *pugillationem* vocant, & a solo Sacerdote, & quidem extremitate trium digitorum mediorum versus volam manus incurvatorum factam asserunt, quem actum nonnulli pro difficillimo habent. Pugillo vasi indito, in sacrificiis quæ thus requirebant, integer pugillus thuris imponebatur.

Quænam ex illis altari cesserint?

XXI.

Eorum combustio. XXI. Quæ altari destinata sive integra ferta, sive inde exemti pugilli, eo per Sacerdotes afferebantur, & postquam בראש המזבח in *vertice altaris* probe salita (quem in finem nonnulli in ejus superficie, prope angulum notozephyrinum, peculiarem cumulum salis collocant) foco altaris eadem ratione ut partes victimarum immittebantur. Quod si quid olei ex laganis fertorum Sacerdotum, aut Pont. M. mansisset reliquum, idem quoque supra ignem effundi solebat.

Oblatio panum propositionis. XXII. *Panes propositionis* alia ratione Deo offerebantur: scilicet singulis Sabbathis octo Sacerdotes intrabant Sanctum, quorum quatuor circa panes recentes occupati, ita ut duo geminos eorum ordines, quorum singuli sex panibus constabant, duo alii geminas accerras thuris gerentes, ad septentrionem mensæ aureæ consisterent, & postquam ex reliquis quatuor, ad austrum stantibus, duo panes veteres, duo accerras thuris sustulissent, priores novos interpositis calamis reponerent, superimpositis novis thuris accerris. Veteribus ex Sancto elatis & in mensa aurea pronai (supr. VIII. §. XXXVII.) depositis, thus ad altare exterius defere-

ferebatur & poſtquam ſalitum, in foco unde prunæ ad ſuffitum peti ſolebant, adolebatur. Ceterum autem ex his panibus æque ac penteſoſtalibus nihil לאישים erat.

XXIII. Quin potius tam gemina hæc ferta integra, quam quæ ex manipulo paſchali aut fertis privatis, poſt pugilli oblationem reſtabant מותר מנחות ישראל Sacerdotibus poſt pugilli thuriſque adolitionem, quæ ferta ad eſum, ut ſanguinis ſparſio carnem ſacrificiorum, licita faciebat, in cibum cedebant, & quidem ordinario claſſi Sacerdotali illo die miniſtranti, niſi quod panes propoſitionis inter ephemeriam, quæ illa hebdomade miniſterio defuncta erat, & novam dividerentur, in feſtis vero majoribus tam ad panes hos quam pentecoſtales ut & reliqua ferta, omnes ephemeriæ æquale jus habebant. Ante fertorum autem diviſionem Pontifex M. quoque partem quam vellet, capiebat, ut unum ex panibus pentecoſtalibus, 4 aut 5 ex panibus propoſitionis, nunquam enim id quod ſumebat, dimidium oblationis dividendæ excedebat. Oleum ex logo Leproſi & ab unctione laganorum Iſraelis reliquum, inter Sacerdotes quoque divide-

Ferta quæ Sacerdotibus in cibum conceſſa.

videbatur. Qui duos panes fermentatos in loci alicujus consecratione aut ampliatione oblatos volunt, eorum unum comedi, alterum comburi solitum affirmant.

Comestionis circumstantiæ. XXIV. Omnia hæc quæ Sacerdotibus ex fertis assignata, sanctissima erant, neque adeo nisi a Sacerdotibus masculis puris, in atrio interiori, idque tantum die oblationis & nocte sequenti comedebantur.

Panis sacrificii eucharistici, & Arietis Nazeræi. XXV. Nullam hactenus recensionem instituimus לחם תודה *panum* qui cum *sacrificio eucharistico* ut & cum איל נזיר *ariete Nazirœi* offerebantur, quia hi non solent nomine מנחות venire, nec fertis sed ipsis potius sacrificiis cum quibus veniebant, a Judæis annumerari, nec denique fertorum libaminum, quibus alias potissimum accensendi essent, rationem sequuntur: quare ne ordo quem Rabbini in hoc argumento observant nimium turbaretur, illos hac in parte sequuti sumus. Ceterum si rem ipsam spectes ad ferta tamen seu oblationes inanimatas proprie pertinent, quare & brevibus hic expediendi erunt.

Præparatio panis XXVI. לחם תודה seu *panis sacrificio eucharistico junctus* constabat viginti deci-

decimis similæ farinaceæ. Lev. VII. 12. seqq. Harum decem fermentabantur, atque ex illis *decem placentæ*, singulæ unius decimæ formabantur. Reliquæ decem decimæ infermentatæ dividebantur in tres partes æquales, ex quarum singulis diversi generis panes formabantur, scilicet decem חלות *placentæ* in furno coctæ, decem רקיקין *lagana* & totidem חלות מורבכת *placentæ tostæ.* Triginta his placentis addebatur *dimidius Logus* olei, qui ita distribuebatur, ut cum quarta Logi parte placentæ torrerentur, cum octava farina coquendarum in furno misceretur, & octava ungendis laganis impenderetur. ***eucharistici.***

XXVII. Ad *Panem Arietis Naziræi* Num. VI. 15. sumebantur sex decimæ & duæ tertiæ partes similæ, quibus in duas partes æquales divisis, ex tribus decimis atque una tertia parte formabantur decem lagana oleo uncta, ex reliquis tribus decimis atque altera tertia parte decem placentæ, oleo mixtæ. Omnia autem hæc sine fermento erant, atque in furno coquebantur, impendebaturque illis quarta pars Logi olei. ***Præparatio panis Naziræi.***

XXVIII.

Utrorumque agitatio & comestio. XXVIII. Ex utrisque nihil ad altare accedebat, sed de singulis quatuor panum sacrificii eucharistici, tam fermentatorum quam azymorum generibus, unus panis, ut & una ex 10 placentis unumque ex 10 laganis arietis Naziræi, dicta תורה מורם & מאיל מורם נזיר simul cum ablegminibus sacrificiorum suorum *agitata*, Sacerdotibus familiæ ministrantis in cibum cedebant in universa urbe Hierosolyma ab integra eorum familia, die oblationis & nocte sequenti, *comedenda.* Reliqui omnium horum panum reddebantur offerentibus, & ab iisdem die uno cum sequenti nocte comedebantur. Idem in panibus sacrificiorum eucharisticorum a Sacerdotibus oblatorum locum habebat, quæ rationem fertorum Sacerdotalium non sequebantur, quia, ut monitum, panes hi proprie non ut ferta, sed partes sacrificiorum considerabantur.

Libamina ex vino. XXIX. *Libamina* κατ' ἐξοχὴν נסכים Gr. *σπονδαὶ* appellata, erant ex *vino*, יין aut שכר Num. XV. 3. XXVIII. 7. vel domo allato, vel in templo emto. Hæc non addebantur nisi fertis cum sacrificiis venientibus, & quidem solis holocaustis quadrupedum & salutaribus,

ribus, non avibus, nec pro peccato aut reatu, aut his quæ ſalutaribus ſimilia erant, excepto piaculari & pro reatu leproſi.

XXX. Menſura eorum pro ſacrificiorum diſcrimine ſecundum quatuor teſſeras (§. XI.) variabat. Sacrificia ex bobus aut vitulis *dimidium Hin* vini, ex hircis aut arietibus *tertiam*, ex ovibus & capris *quartam partem Hin* requirebant. Leproſus autem ſingulis decimis ſimilæ addebat *quartam partem Hin* vini. *Eorum menſura.*

XXXI. Vinum hoc a Sacerdote *ad altare deferebatur*, qui conſcenſo clivo recta ad ſiniſtram in circuitu medio progreſſus ad angulum notozephyrinum, illud ſimpulo argenteo ad occidentem, Sacerdotibus tubas inflantibus Levitisque accinentibus, infundebat, unde in cavitatem ſubterraneam deſcendebat (VIII §. XXVIII.) Solus Pont. M. libaturus integrum altare ad dextram circumibat; usque ad angulum notozephyrinum, ubi vinum libandum illi a Sacerdote porrigebatur. *Oblatio illorum.*

XXXII. Libatio vini, *poſt integram ſacrificii oblationem* rite peractam, demum ſequebatur. Imo ne quidem neceſſarium erat, ut נסכים *Tempus libationis.*

O ſtatim

ſtatim ſacrificiis adderentur, ſed ſi vel decimo demum die, poſt ſacrificium immolatum, offerrentur, ſatis recte ſe res habebat, modo nondum in vaſe ſacro fuiſſent, quicquid enim vaſi ſacro immiſſum, pernoctatione reddebatur illegitimum.

Libatio aquæ. XXXIII. In feſto tabernaculorum etiam *aqua libabatur*, qua de re infra (cap. XXI. §. XXVI.) inter cerimonias feſti hujus ex profeſſo agetur.

Ferta & libamina Gentium. XXXIV. Uti ſacrificia non ſolum recipiebantur ab Iſraelitis, ſed & a gentibus (XIII. §. LXII.) ita & ferta cum libaminibus, quod ſi illa ſacrificiis a gentibus oblatis, addita non eſſent, ære publico comparanda erant. Ferta autem gentium etiam oleum atque thus requirebant.

CAP. XV.

De Primitivis, primitiis & decimis &c.

I.

Primitiva, Primitiæ, Decimæ. Donis ipſi Deo oblatis, proxime jungimus illa, quæ alia ratione eidem conſecrata, miniſtris ejus aut pau-

pauperibus danda, vel ab ipsis Dominis sancta cerimonia comedenda erant. Hæc sunt quæ *Primitivorum*, *primitiarum* aut *Decimarum* nomine veniunt.

II. *Primitiva* בכורים a ܒܟܪ *prævertit* Gr. *πρωτογεννήματα*, appellantur fruges integræ nondumque elaboratæ, quæ antequam reliquarum usus ullus concederetur, cultui Dei consecrari, & ad sanctuarium adduci debebant. Exod. XXIII. 19. *Primitiva.*

III. Lex de primitivis quidem jubet illa adduci מכל פרי האדמה *ex omni fructu terræ* Deut. XXVI. 2. sed Judæi illam ad hæc septem, *triticum*, *hordeum*, *uvas*, *ficus*, *malogranata*, *olivas* & *dactylos* restringunt. *Ex quibus rebus danda.*

IV. Præceptum autem hoc non respiciebat nisi proventum *terræ Israeliticæ*, & regiones *Sichonis* & *Ogi*, cum *Syria* a Davide subjugata, non alias terras Canaani propinquas, nec Judæi volunt illud nisi *tabernaculo Schilunte erecto*, aut *stante templo* observandum fuisse. *Et ex quibus terris?*

V. Ad primitiva *optima* quæque in suo genere seligenda erant, atque illa quidem *recentia*, præterquam si viæ longinquitas, talia afferre non *Non danda nisi optima & recentia.*

O 2 per-

permitteret, tum enim *ſicca* aut *paſſa*, ut ficus aut uvas, adducere licebat.

Eorum quantitas. VI. *Quantitatem* primitivorum Deus non determinavit, ſed cujusque arbitrio reliquit, unde ſi quis vellet integrum agri proventum in primitiva conſecrare, id licebat, ſed & minima quaque menſura officio ſuo ſatisfacere poterat; Hinc inter 6 vel ut alii numerant 10 res recenſentur, quibus in lege nulla menſura definita eſt. Sapientes tamen ſtatuerunt unum de ſexaginta ad minimum dandum fuiſſe, qui numerus voce memoriali סנא continetur.

Conſecratio & ſeparatio. VII. *Conſecratio* & *ſeparatio* fiebat vel in ipſa arbore, ubi Dominus primos fructus jam ante maturitatem junco ligans, dicebat הרי אלו בכורים *Ecce hæc ſint primitiva!* vel ex frugibus jam decerptis collectisque, ubi tamen probe obſervandum erat, ut primitiva ſepararentur ante primitias atque decimas. Quod ſi primitiva poſt conſecrationem aut ſeparationem corrupta aut furto ablata eſſent, alia eorum loco dare dominus tenebatur.

Immiſſio in caniſtrum. VIII. Separata vel pluribus corbibus ſeu caniſtris *aureis*, *argenteis* aut *ſalignis*, vel omnia uni, סנא imponebantur,

tur, idque hac ratione ut infimum locum occuparet hordeum, proximum triticum, huic porro olivæ, dein dactyli, malogranata, ficus imponerentur, denique autem ſupra vel circa illas uvæ. Appendebantur inſuper plerumque corbi turtures, aut pulli columbarum, in holocauſta offerendi.

Adductio ad urbem Hieroſolymam.

IX. Talis rite inſtructa corbis, vel ab ipſo domino Hieroſolymam, deferri, vel per alium eo mitti poterat. Fiebat autem delatio hæc maxima pompa, dum omnes civitates ejusdem ſtationis, poſtquam conveniſſent in urbe ſtationis ſuæ atque in plateis pernoctaſſent, mane exclamante præfecto verba Jer. XXXI. 6. ſimul iter ingrediebantur, præcedente bove cornibus deauratis & corona oleagina redimito, ut & tibicine tibias inflante, acclamantes ſibi mutuo ex Pſ. CXXII. 1. *Lætor his qui dicunt mihi, ad domum Jehovæ ibimus.*

Delatio ad atrium.

X. Cum non longe ab urbe Hieroſolyma abeſſent, obviam illis procedebant Principes, Antiſtites & Theſaurarii, a quibus canentes in portis Hieroſolymæ Pſalm. cit. vſ. 2. humaniterque ſalutati ab omnibus urbis opificibus, ad montem templi deducebantur

tur. Quo postquam perventum esset, singuli corbes suas, licet hucusque illas ab alio portari curassent, ipsimet, ne Rege quidem excepto, in humeros tollebant & cantantes Psalmum CL in atrium interius deferebant, ubi advenientes a Levitis, Psalmum XXX concinentibus, excipiebantur.

Tempus oblationis. XI. Hæc autem Primitivorum deductio, ut Judæi asserunt, præcipue peragebatur *inter Pentecosten & festum tabernaculorum*, licet adhuc usque ad festum Encæniorum esset legitima, sed tum non edebatur super illis confessio.

Agitatio primitivorum. XIII. Postquam igitur hac ratione in atrium appulissent, unusquisque corbem ex humeris demissam margine prehendebat, suppositisque a Sacerdote manibus *agitabat*, pronunciatis lingua sancta verbis, Deut. XXVI. 3-10. sicque tandem eadem ad australe latus anguli altaris notozephyrini deposita, additoque insuper sacrificio pacifico, semet incurvans exibat.

Pernoctatio adducentium. XIII. Omnibus his peractis in urbe Hierosolyma erat *pernoctandum*, nec inde nisi sequenti mane domum redeundum. Septem enim res sunt, quas Judæi in primitivis requirunt,

1. ad

1. adductio, & quidem *2. in vase*, *3. Confessio*, *4. Sacrificium*, *5. Cantus*, *6. Agitatio* *7. & pernoctatio*, quæ tamen omnia non ejusdem sunt necessitatis, nec in omnibus requiruntur.

XIV. Ipsa autem primitiva inter Sacerdotes ephemeriæ ministrantis dividebantur, & non ab illis tantum, sed & familia eorum, fœminis æque ac maribus, in urbe Hierosolyma *comedebantur*. Vasa autem in quibus adducta, si ex metallo reddebantur dominis, saligna vero a Sacerdotibus servabantur. *Comestio.*

XV. *Primitiæ* heb. תרומה a חרם Chald. *separavit*, *abstulit* aut תרומת כהנים vel תרומה גדולה item ראשית & דמע (conf. Arab. دمع *res optima*) Græce ἀπαρχαὶ & ἀφαιρέματα dictæ, minus recte a nonnullis cum בכורים confunduntur, a quibus tamen tam in plurimis circumstantiis, quam in ipsorum donorum conditione differunt. Constabant enim primitiæ frugibus terræ jam elaboratis seu ad usum hominum præparatis Deut. XVIII. 4. XXVI. 2. unde Judæis פירות הגמרים audiunt. *Primitiæ.*

XXI. Dandæ hæ erant ab Israelitis singulis annis Sacerdotibus, de omnibus *Ex quibus rebus &*

locis danda. bus fructibus non tantum *terræ Canaanis*, sed & *Babyloniæ*, *Ægypti*, *Ammonitidis*, *Moabitidis* & *Syriæ*, ita tamen ut in illis regionibus natæ ibidem persolvendæ, non in Canaanem inferendæ essent.

Quantitas. XVII. Nec harum certam *quantitatem* Deus determinavit, unde cuique tantam dare licebat, quantam vellet, non tamen etiamsi quis vellet, licebat, ut in primitivis, integri agri proventum hunc in finem consecrare, quia מראשית non ראשית scriptum est, Deut. XXVI. 2. Sapientes autem asserunt oculum pulchrum (i. e. liberalem) dedisse unum de 40, vel ut Schammæani volunt, unum de 30, mediocrem, unum de 50, sed oculum malum (i. e. avarum conf. Matth. XX. 15.) unum de 60.

Separatio & consecratio. XVIII. *Separatio* primitiarum sequebatur illam primitivorum, decimarum vero separationem præcedebat. Cum autem fruges variis temporibus maturitatem consequerentur atque colligerentur, variis quoque temporibus primitiæ inde separabantur. Fiebat id ea ratione ut Dominus, vel quem ipse ad id constituisset, partem

tem aliquam auferens diceret, *Ecce hæ erunt primitivæ.*

XIX. Non omnes primitiæ esculentis constabant, sed & quædam alia ratione usui inserviebant, quo pertinent *primitiæ lanæ* ראשית הגז seu *pars* quædam *lanæ*. Sacerdoti persolvenda, quoties quis pecora tondebat. Deut. XVIII. 4. *Primitiæ lanæ.*

XX. Primitiarum quoque rationem sequebantur מתנות *dona Sacerdotalia*, ex animalibus in usum profanum mactatis, scilicet *armus*, *maxillæ* cum lingua, & *venter*, nec non *placenta* חלה quæ quoties massa ad parandos panes subigebatur, inde ad sanctificandam reliquam massam, separanda & Sacerdoti danda erat, Philo, Judæos ait ἀπὸ παντὸς στέατος καὶ φυράματος ἀφαιρεῖν ἀπαρχὴν εἰς ἱερέων χρῆσιν conf. Rom. XI. 16. *Dona Sacerdotalia ex animalibus & placenta.*

XXI. Omnia autem hæc non adducebantur ad templum nisi in casibus quibusdam extraordinariis Neh. X. 27. 2 Chron. XXXI. 4. Mal. III. 10. sed omni in loco cuicunque quis vellet Sacerdoti dabantur. *Omnia hæc quibus Sacerdotibus danda?*

XXII. *Comedenda* vero erant in universa terra Israelitica ab omnibus mundis familiæ Sacerdotalis, tam adultis quam impuberibus, uxoribus, liberis, *A quibus & ubi comedenda?*

O 5 servis,

servis, quin & ipsis pecudibus Sacerdotum. Filia quoque Israelitæ Sacerdoti nupta, quia in ejus familiam transiverat, ad illa jus habebat, sed contra Sacerdotis filia Israelitæ nupta, eodem excidebat. Quinque etiam uxores Sacerdotum, Judæi jure hoc in perpetuum caruisse dicunt. Habebantur autem primitiæ, intermediæ sanctitatis inter cibos sacros & decimas, unde & leprosus de decimis comedens, cum esset טבול יום, a primitiarum esu excludebatur donec sol occidisset.

Decimæ. XXIII. *Decimæ* מעשרות Græc. δεκάται dictæ, quod decimam partem certarum rerum constituerent, varii apud Judæos generis memorantur, quarum quædam κατ' ἐξοχὴν מעשר decimæ, aut מעשר ראשון *decimæ primæ*, quædam מעשר מן המעשר *decimæ de decimis*, aliæ מעשר שני *decimæ secundæ*, aliæ denique מעשר עני *decimæ pauperum* audiunt.

Decimæ primæ. XXIV. *Decimæ* κατ' ἐξοχὴν ita dictæ, seu *decimæ primæ* singulis annis, exceptis Sabbathicis, quibus sponte nata pauperibus relinquenda, post oblata primitiva atque primitias, de omni proventu terræ atque arborum dandæ

erant

erant Lev. XXVII. 30. & Deut. XIV. 22. 23. quod Judæi ad illa, quorum ordinario ad cibum usus est, quæque e terra proprie incrementum habent, & custodiuntur nec communis juris sunt, restringunt. In quibus persolvendis adeo religiosi præcipue erant Pharisæi, ut nec mentham, anethum & cuminum omitterent. Matth. XXIII. 23.

XXV. *Loca* ex quibus decimæ dandæ, eadem erant, unde primitiæ pendebantur, *terra* scilicet *Israelitica* cum *Syria* & 4 reliquis *regionibus vicinis* ut Judæorum magistri sciscunt, ceterum extra terram ab illis liberi erant. **Loca unde data.**

XXVI. Dandæ autem erant *Levitis* Num. XVIII. 21. 24. a quibus non solum, sed & eorum liberis, quin & quibuscunque aliis omni in loco comedebantur, quia חולין seu *res profanæ* erant. Esra vero dicitur jussisse illas Sacerdotibus loco Levitarum dari, quia hi abnuerint cum ipso Hierosolymam adscendere. **Personæ quibus dandæ.**

XXVII. Ex his decimis primis iterum Num. XVIII. 26. decima pars separanda erat, quæ idcirco מעשר מן המעשר *decimæ de decimis* vel תרומת מעשר *ablatio decimarum* appellabatur; cum- **Decima de Decimis.**

cumque hæ decimæ priorum quandam partem constituerent, nonnulli has sub illis comprehendunt, unde tres tantum decimarum species numerant.

Sacerdotibus dandæ. XXVIII. Hæ assignatæ erant *Sacerdotibus* Num. XVIII. 28. coll. Hebr. VII, 5. quibus vel mediate per Levitas, partem hanc a suis Decimis separantes. Num. l. c. & Neh. X. 39. vel immediate ab ipsis Israelitis, eandem a decimis Levitarum dementibus, solvebantur.

Decimæ ubi datæ. XXIX. Decimæ maximam redituum Levitarum æque ac Sacerdotum partem constituebant, unde cum sub templo II nonnunquam iis privarentur, atque idcirco ob inopiam e templo aufugerent, introductum est, ut adferrentur Hierosolymam illicque in conclavibus templi reconderentur. 2 Chron. XXXI. 11. Neh. XII. 44. & XIII. 10. seqq. Malach. III. 10. cum antea omni in loco dari possent.

Decimæ secundæ. XXX. Separatis in usum Levitarum & Sacerdotum decimis, ab eo quod restabat, Dominus iterum partem decimam tollebat, quæ *decimarum secundarum* nomine innui solet, & Domino ipsi quidem manebat, sed tamen, quia

quia ſancta erat, ſancte quoque conſumenda.

XXXI. Hinc enim Hieroſolymis, vel cum tabernaculum Schilunte eſſet, in omni loco, unde urbs hæc conſpici poterat, convivium ſibi ſuisque liberis æque ac ſervis, ſed non niſi mundis nec in luctu conſtitutis, inſtruere debebat, ad quod & Sacerdotes atque Levitæ invitandi Deut. XII. 16. ſeqq. XIV. 22. ſeqq. & XXVI. 14. ***Hieroſolymis comedendæ.***

XXXII. Quod ſi Dominus longius abeſſet Hieroſolymis, quam ut commode res ipſas eo deferre poſſet, aut redimere illas vellet, pro earum pretio, addita inſuper adhuc quinta ejus parte (Lev. XXVII. 31.) quicquid luberet, ſibi Hieroſolymis comparare poterat, Deut. XIV. 25. 26. ubi tamen Judæi monent, argentum hoc non niſi cibo, potui aut unctioni, & quidem pro talibus rebus, quæ ex terra immediate creſcerent, aut ab illis provenirent, quibus ex terra nutrimentum eſt, impendendum fuiſſe. ***Redimi poterant.***

XXXIII. Decimis his ſimilis habetur נטע רביעי ſeu *fructus plantæ quarti anni*. Scilicet ex quo planta vel arbor quædam frugifera plantata erat, tribus annis primis, fructus in arbore, ut impuri, ***Fructus plantæ anni quarti.***

puri, relinqui debebant, quod *præputium arborum* vocant; quarti autem anni fructus Deo ſacri, & a Dominis ut decimæ ſecundæ Hieroſolymis comedendi, vel ſi venderentur, pretium ibidem, ſuperaddita quinta parte ejus, conſumendum erat. Lev. XIX. 24.

Decimæ pauperum cum aliis eorundem donis.

XXXIV. Quæ de decimis ſecundis in uſum Dominorum ſeparandis dicta ſunt, de *anno tertio* & *ſexto* intelligi non debent, illis enim eædem dandæ erant pauperibus, Deut. XIV. 28. & XXVI. 12. atque hæ ſunt quas *Decimas pauperum* vel πτωχοδεκάδας, nonnulli etiam τρίτην δεκάτην *tertiam decimam* vocant Tob. I. 8. Quinque enim, vel ut alii numerant, ſex ſunt dona a Deo pauperibus aſſignata, פאה *angulus* in agro relinquendus, לקט ſeu *ſpicæ decidentes*, עוללות *racemuli* vineæ, פרט *uvæ cadentes*, שכחה ſeu *manipulus* in agro relictus, Lev. XIX. 9. 10. Deut. XXIV. 19. ſeqq. atque hæ *decimæ*, ad hæc autem non tantum Iſraelitæ ſed & Sacerdotes & Levitæ ex urbibus ſuis ערי מגרש tenebantur.

Tempus quo omnia hæc danda.

XXXV. Uti primitiæ poſt primitiva, ita poſt illas demum cujuscunque generis decimæ ſolvebantur, & quidem primum decimæ primæ, tum decimæ

cimæ de decimis, dein decimæ ſecundæ, vel earum loco decimæ pauperum. Decimæ autem priores ſeu Levitarum & Sacerdotum, dabantur omnibus ſex primis annis ſingulæ heptaëridos, decimæ ſecundæ, anno primo, ſecundo, quarto & quinto, decimæ pauperum anno tertio & ſexto, qui annus idcirco שנת המעשר *annus decimarum* vocatur. Annus autem ſeptimus ſeu Sabbathicus a primitivis æque ac primitiis omnibusque decimis liber erat. Præterquam quod fructus plantæ anni quarti Dominis manebant, unde in anno ſabbathico illos notabant gleba terræ rufæ, quo quivis illis abſtineret. In decimatione proventus terræ, annus ſupputabatur a Tiſri ad Tiſri, ita ut quæ ante menſem Tiſri nata, prioris anni, quæ poſt ejus initium, anni ſequentis eſſent; decimatio autem fructuum ex arboribus initium capiebat XV Schebet (II. VII. §. XIV.)

XXXVI. Poſtquam omnes decimæ ſolutæ eſſent, Dominus Hieroſolymis tenebatur coram Deo hac de re ſolemnem *confeſſionem* ודוי המעשר vel הודית המעשר edere verbis Deut. XXVI. 13. 14. 15. quod nonnulli quovis anno tertio, exhibita tertia decima, alii

Confeſſio ſuper decimis.

alii vero potius anno quarto & feptimo, tempore facrificii vefpertini, diei ultimi fefti Pafchatis, factum volunt. Hanc autem confeffionem abrogaffe Jochananem Pont. M. Judæi afferunt, quod verba dedi Levitis, ob interdictum Efræ de quo §. XXVI. vere pronunciari non amplius poffent.

דמאי *Dubium in Decimatione.*

§. XXXVII. Cum tempore ejusdem Jochananis Pontificis deprehenderent, homines plebejos in folutione primitiarum quidem fatis accuratos effe, in decimarum vero non item, conftitutum eft de decimis, non nifi Viris fide dignis fidem adhibendam effe, plebejorum vero fructus dubios ducendos, quod idcirco דמאי appellant, tales igitur, qui emeret, denuo ad תרומת מעשר & מעשר שני, non vero ad alias decimas tenebatur.

Rigor in his omnibus.

XXXVIII. Tantus autem in his omnibus rigor erat, ut fi quis comediffet de fructibus, antequam primitiva, cum primitiis & decimis inde data effent, flagellationis pœnam incurreret, fi vero plane illa dare negligeret, aut defraudaret, Deum defraudaffe reputaretur divinamque fibi maledictionem attraheret. Malach. III. 9. Nonnullorum etiam ex his omiffio & defrau-

defraudatio, ex ſententia Judæorum mortis θεηλάτου reum faciebat.

CAP. XVI.

De Votis.

I.

Præter illas oblationes & dona, quæ hactenus vidimus Deo ſacra aut ejus cultui tradita fuiſſe, aliquid ipſi inſuper libere per *votum* נדר dictum, conſecrari potuit. Ad quod uti nemo ante conceptum votum obligatus, ita poſtquam illud ſemel nuncupatum, ſancte obſervandum fuit Deut. XXIII. 24. & Eccleſ. V. 3. *Vota.*

II. Verſabantur vota vel circa *perſonas* vel *res*, & has quidem vel *animatas* vel *inanimatas*, in quibus tamen omnibus requirebatur, ut in voventis poteſtate, tum quoque ut tales eſſent, quæ Deo placere poſſent. Quod ſi quis voviſſet, quod præſtare non poſſet, Judæi volunt ſapientes adeundos fuiſſe, ut ab illis voto ſuo exſolveretur. *Eorum objecta & conditiones.*

III. Hinc nemini quoque licebat votum facere, niſi qui ſui juris eſſet, unde ſi liberi minorennes in domo paterna, vel mulier in conjugio vivens, ali- *A quibus nuncupanda?*

 quid

quid voviſſent, Pater vel Maritus in cujus poteſtate erant, votum, quamprimum id audirent, irritum facere poterant, quod ſi illo die, quo id reſciverant, ſilerent, votum pro rato habebatur. Num. XXX. 3. ſeqq.

Voterum diſcrimen. IV. Dividuntur a Judæis vota in נדרי אסור *vota prohibentia*, & נדרי הקדש *vota conſecrantia.* Per priora rebus quibusdam ſolemniter renunciabatur, quibus quis promittebat ſe abſtinere velle, per poſteriora contra perſonæ aut res Deo ejusque cultui aut honori ſingulari ratione conſecrabantur.

Votum Naziræatus. V. Votorum prohibentium præcipuum eſt quod נזירות *Naziræatus* nomine venire ſolet, cui qui ſuberant נזירים Ναζιραῖοι, Ναζηραῖοι vel Ναζαραῖοι, (probe diſtinguendi a Ναζωραίοις vel Ναζαρήνοις) a נזר *ſeparavit ſe*, vel *abſtinuit ab aliquare*, appellantur.

Naziræorum ſpecies. VI. Diſtinguuntur autem Naziræi non ſolum reſpectu ſexus, in mares & fœminas, ſed & reſpectu temporis quo votum durabat, in נזירי עולם *Naziræos perpetuos* & נזירי ימים *Naziræos dierum* vel נזירי זמן קצוב *Naziræos determinati temporis.*

Naziræi perpetui. VII. *Naziræi perpetui* vocabantur, qui per omnem vitam Naziræatus voto obſtri-

ſtricti erant, quales numerantur præcipue Simſon, Samuel & Johannes: Judæi addunt Abſalomum. Iidem adhuc diſtinguunt inter נזירי עולם *Naziræos ſeculi* κατ' ἐξοχὴν ita dictos, & נזירי שמשון *Naziræos Simſonæos*, ſeu inſtar Simſonis.

VIII. Habebant quidem utrique duas has leges communes, quod *a vino abſtinere*, & *capillos alere* deberent, ſed *Naziræis ſeculi* tamen licebat, elapſis XII menſibus, comam nimis aggravatam novacula levare, ut Judæi ex 2 Sam. XIV. 26. colligunt, qua occaſione ſimul tres pecudes offerebant, quod ſi polluerentur, dabant quoque ſacrificium pro immunditie, at *Naziræis Simſonæis*, nunquam fas erat capillos tondere, Jud. XIII. 5. & XVI. 17. nec polluti ſacrificium offerebant. *Leges eorum.*

IX. Tali Naziræatui quis vel ſemet ipſum conſecrare potuit, dicendo, הריני כשמואל *Ecce ego ut Simſon*, aut *ut filius Manoah*, aut *ut maritus Delilæ* aut alia periphraſi, vel eidem ab alio qui in ipſum jus habebat devoveri, idque aliquando jam ante nativitatem, quam poteſtatem Judæi Patri non vero matri, non obſtante facto Hannæ 1 Sam. I. 10. 11. concedunt. Nonnunquam *Conſecratio.*

quam illud ex speciali Dei mandato fiebat, ut in Simsone patet Jud. XIII. 5. 7.

Naziræi dierum. X. *Naziræi dierum* ad certum tantum tempus se hoc voto obstringebant. Tempus illud in lege expressum non est, sed Judæi id ad minimum XXX dierum faciunt, quorum memoriale latere volunt in voce יהיה Num. VI. 5. unde si quis vel nullum dierum numerum expressisset, vel minorem XXX, nihilominus ad XXX dies tenebatur, sed si numerum determinasset triginta majorem, is sine ulla additione aut imminutione implendus erat.

Leges hujus Naziræatus. XI. Leges Naziræatus hujus erant; ut sibi caverent 1. ab *omni quod a vite proficiscitur 2. a tonsura 3. & immunditie:* in quibus tribus novem distincta præcepta Judæi statuunt, quibus addendo præceptum, de iis quæ ad voti hujus solutionem, aut aliquo ad latus ejus mortuo peragenda, omnia præcepta Naziræos hos concernentia ad decem, 2. affirmantia & 8. negantia redigunt. Quod autem nonnulli peculiares Naziræis vestes tribuunt, fundamento caret.

XII.

XII. Immunditjes cavenda præcipuè mortuos respiciebat, neque enim ipsis vel domum mortui ingredi, vel mortuis pollui, ne quidem propinquis Lev. XXI. 2. sed solo מת מצוה *mortuo præcepti* licebat, qua in re ejusdem cum Sacerdote summo (Supr. X. §. XIX.) sanctitatis erant. Num. VI. 7. *Sanctitas.*

XIII. Ad *voti solutionem*, exacto tempore præstituto, τῇ ἐκπληρώσει τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ Act. XXI. 26. templum subeundum, atque ibidem cum oblatione sacrificiorum reliquæ cerimoniæ lege præscriptæ Num. VI. 13. seqq. observandæ erant. Sacrificia offerenda tria שלש בהמות של נזיר dicta, erant *agnus* in holocaustum, *agna* in sacrificium piaculare & *aries* in sacrificium salutare. His addendus panis לחם איל נזיר. scil. *placentæ infermentatæ* חלות מצות oleo mixtæ & *lagana infermentata* רקיקי מצות oleo uncta (Supr. XIX. §. XXVII.) cum ferto & libaminibus ordinariis sacrificiorum. Tum capilli radendi erant, stante tabernaculo quidem ad ejus ostium, sub templo autem in conclavi Naziræorum, ubi & ollæ, in qua sacrificium salutare coquebatur, subjiciendi. Ex ariete vero armus coctus, cum pectore & femore crudo; *Voti hujus solutio.*

 nec

nec non placenta una unoque lagano a Sacerdote manibus Naziræi imposita, in atrio agitari debebant, quæ postea Sacerdotibus cedebant, reliquam carnem sacrificii salutaris, cum reliquis placentis atque laganis, Naziræus ipse ea qua vidimus (Supr. XIII. §. LVI. & LVII. & XIV. §. XXVIII.) ratione, cum convivis suis comedebat.

Libertas qua Paulus hac in re usus.

XIV. Licet autem ordinarius locus solutionis voti hujus esset templum Hierosolymitanum, Paulus tamen sub initium Novi Fœderis, usus libertate Evangelii, Cenchreis se totondit, quemadmodum nec sacrificia, utpote tum jam abrogata, obtulit Actor. XVIII. 18. ut adeo non opus sit, id pro alio quam Naziræatus voto, quale omnes circumstantiæ fuisse suadent, habere.

Solutio per alium.

XV. Qui ipsemet sumtus ad solutionem voti impendendos ferre non valeret, illi per alios succurri poterat, imo singularis pietatis charitatisque exercitium reputabatur, pro tali impensas vel in totum vel ex parte dare. v. Act. XXI. 22. seqq. ad quod quis dicendo הרי עלי לגלח נזיר *Ecce in me recipio tonsionem Naziræi*, semet obstringebat. Quod si quis in Naziræatu ante

ante voti ſolutionem mortuus eſſet, filius aut hæres ſtatuto tempore ejus loco raſuram in ſe admittere, & ſacrificia offerre potuit.

XVI. Si quis durante voto ex mortuo, ad ejus latus inopinato exſtincto *inquinatus* fuiſſet, ſeptem dies immundus erat, tum die ſeptimo ſe tondere, capillos ſepelire, conſperſusque die tertio & ſeptimo cinere vaccæ rufæ & lotus die ſeptimo, duos turtures aut pullos columbarum, alterum pro peccato, alterum in holocauſtum, & agnum pro reatu (Supr. XIII. §. XXVI.) die octavo offerre, ſicque denuo votum incipere, atque integrum quod voverat tempus adimplere tenebatur. Num. VI. 9. ſeqq. ***Naziræatus redintegratio.***

XVII. Inſtitutum in nonnullis Naziræorum voto ſimile eſt, quo obſtringebantur *Rechabitæ*, qui vulgo pro Proſelytis habentur ex Kinæis oriundi, & a Rechabo Patre Jonadabi nomen acceperunt. ***Rechabitæ.***

XVIII. Hi enim ex mandato Jonadabi, quaſi hæreditario jure obligabantur, ut ipſi *cum liberis in perpetuum vino abſtinerent, domum non ſtruerent, nec agriculturam exercerent, nec vineam conſererent aut haberent, ſed in tentoriis habita-* ***Eorum inſtitutum.***

rent, quo diu viverent in terra cujus inquilini erant. Jer. XXXV. 6. 7.

Religio in ejus observatione.

XIX. Quod institutum tam religiose observabant, ut ab ipso Deo in singularis obedientiæ exemplum, populo, mandatis divinis multo minus obtemperanti, quam illi humanis faciebant, proponerentur Jer. XXXV. 14. 15.

Alia vota prohibentia.

XX. *Alia vota prohibentia* quoque Judæis in vita communi in frequenti usu erant, quibus abstinentiam, a quibusdam cibis, vestibus, actionibus, aliisve rebus ceteroquin licitis promittebant. Fiebat id plerumque hac vel simili formula קרבן שאני אוכל *sit res sacrata quod ego edam, vel* קונם יין שאני טועם *vinum quod ego gustabo, sit res sacrata*, vel etiam brevius שאני אוכל *quod ego comedam*, nam כל כנוי נדרים כנדרים *omnia epitheta votorum, æquivalent votis ipsis.*

Eorum abusus.

XXI. Non autem solum hac ratione sibimet ipsis interdicebant talium rerum usum, sed & officia & beneficia, quæ alteri præstare, atque aliis simul fructum, quem inde percipere possent, quo faciebat formula קרבן שאזה נהנה לי vel ממני κορβᾶν ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς Matth. XV. 5. & Marc.

V.

V. 11. *Donum Deo consecratum sit, quicquid tu ex me utilitatis capere possis* vel יהא לו קונם *erit illi hoc ut res sacrata,* qualibus votis cum Pharisæi se officiis charitatis etiam ipsis parentibus exhibendis subtraherent, recte illa ut maxime impia Servator locc. citt. perstringit.

XXII. *Vota consecrantia* nonnulla quoque personas, alia res spectabant; nihil autem hac ratione voveri debebat, nisi חול *profanum* id est Deo hactenus nondum sacrum, quia eadem res illi bis consecrari non potest, quamvis Judæi tamen sibi rationem invenisse visi sint, qua primogenita ab utero jam Deo dicata, illi denuo in holocausta devoverent. *Vota consecrantia.*

XXIII. *Personæ* nonnunquam hac ratione Deo consecrabantur, quæ ipsæ dein illi tradendæ, ut singulari ratione a reliquis mundi negotiis segregatæ ejusque honori ac cultui dicatæ manerent. Tale ex parte, quantum nempe creaturas rationales respiciebat, votum Jephtæ Jud. XI. 30. sqq. erat, ut adeo minus recte quidam filiam ejus vere immolatam statuant, cum præter voti ipsius verba, & executionis descriptionem, plurimasque circumstantias, *Personæ Deo consecratæ.*

tias, vel hoc ſolum contrarium ſuadeat, quod tale votum nec ſatis ſancte nuncupari, nec ſine nefando ſcelere executioni dare potuiſſet.

Species votorum conſecrantium

XXIV. Pleraque autem voto conſecrante Deo dicata, vel altari vel templi uſibus erant deſtinata, unde Judæi illa in קדשי המזבח *altari ſacra* & קדשי בדק הבית *ſacra reparationi templi* diſtinguunt.

Altari ſacra.

XXV. *Altari ſacra* erant *animalia*, aliave in eo offerri ſolita, ut *ſimila*, *oleum vinum*, quæ vel generaliori voto *κατ' ἐξοχὴν* נדר dicto, de talibus rebus dandis, vel ſpecialiori נדבה de certis quibusdam individuis aut rebus offerendis, conſecrabantur, de quibus ſupra (XIII. §. XXVIII.) actum.

Munda & altari apta immolanda.

XXVI. Quæ ita conſecrata, ſi eſſent דברים ראויים למזבח in eodem offerri debebant, ſed ſi talia animalia vitium contraxiſſent, vendi aut a Domino redimi communique uſui permitti poterant.

Animalia immunda.

XXVII. Si vero eſſent *immunda* & ad altare inepta, ut equi &c. habebantur ac ſi conſecrata non eſſent, tantum ſi in holocauſta fuiſſent conſecrata, vendenda aut a Domino redimenda, Lev. XXVII. 21. & pro eorum pre-

pretio holocausta legitima comparanda erant, excepto cane, cujus pretium Deus sanctuario proscripserat. Deut. XXIII. 18. Quoties autem Dominus aliquid redimebat, semper pretio quintam partem superaddere tenebatur.

Reparationi ædis sacrata.

XXVIII. *Reparationi ædis* dicatum erat pretium personarum aut rerum Deo consecratarum. Ad personas quod attinet, si quis dixisset ערכי עלי aut ערך פלוני עלי *voveo æstimationem mei*, vel *æstimationem hujus aut illius*, tenebatur is dare pretium talis personæ Lev. XXVII. 3. seqq. determinatum. Pretium hoc erat maris a XX, usque ad LX ætatis annum, L siclorum, fœminæ ejusdem ætatis, XXX: Masculi a Mense uno usque ad annum quintum VI siclorum, fœmellæ III: Senis supra annum ætatis LX, siclorum XV, vetulæ eorundem annorum, X. Qui autem tantum ob paupertatem solvere non posset, illi Sacerdos pro ejus facultatibus pretium statuebat. Lev. l. c. vs. 8. Quod si quis non secundum æstimationem hanc, sed absolute vovisset pretium sui vel alterius, is quanti a Sacerdote æstimatus esset, solvere tenebatur.

XXIX.

Domus ager aliaque hoc pacto consecrata.

XXIX. *Domus* aut aliæ res Deo devotæ vel vendebantur, vel si Dominus illas redimere vellet, ultra pretium a Sacerdote statutum, quintam adhuc partem dare debebat. *Ager* vero hæreditarius aut ejus quædam pars, pro annuo reditu & minori majorive anni Jubilæi propinquitate taxabatur, quod si a Domino hoc pretio non redimeretur, nec in anno Jubilæo ad ipsum redibat, sed Sacerdotum erat. *Vasa* Deo oblata, in conclavi vasorum, de quo supra (VIII. §. XVII.) deponebantur, & quæ ad usum templi idonea, servabantur, reliquis venditis, pretioque conclavi בדק הבית illato.

חרם *seu* ἀνάθεμα.

XXX. Aliud voti genus erat, quod nomine חרם s. ἀναθέματος venit, & rem Deo sacro sanctam reddebat Lev. XXVII. 28. Homines hac ratione devoti sine ulla redemtione morte afficiendi erant Lev. XXVII. 29. Votum autem hoc a nonnullis nimium extenditur, cum proprie non nisi hostes Dei & populi ejus spectaret, & præcipue quidem tales, qui ab ipso Deo jam proscripti aut internecione digni erant. Num. XXI. 2. 3. Jos. VI. 17. Aliquando integræ urbes hoc modo Deo consecratæ, occisis incolis, cum omni præda

da ultricibus flammis funditus delebantur. Deut. XIII. 12.

XXXI. Ceterum Judæi distinguere solent inter חרם לשמים או לבדק הבית *Cherem* s. ἀνάθεμα *Deo* aut *reparationi templi devotum* & חרם לכהנים *consecratum Sacerdotibus* quod & absolute חרם dicitur; horum prius asserunt redimi potuisse, pretiumque reparationi templi cessisse, posterius vero sine venditione aut redemtione ipsum Sacerdotibus in peculium tradendum fuisse. Num. XVIII. 14. A rebus per חרם devotis aliquid auferre, ingens & vel morte piandum scelus erat. Jos. VII. 25. *Species ἀναθεμάτων.*

CAP. XVII.

De Precibus, Supplicationibus &c.

I.

Vidimus hactenus varias oblationes tam debitas quam spontaneas, his autem omnibus multo majores præstantioresque erant *preces* תפלה גדולה מכל הקרבנות. unde de illis inter præcipu- *Precum Præstantia.*

cipuas cultus Sacri partes, nobis jam propius agendum erit.

Appellationes variæque species. II. Appellantur hæ pro vario argumento variis nominibus תפלות שאלות (quæ & בקשות) תחנות (quæ & תחנונים dicuntur) & denique ברכות cum quibus nonnulli varia precum genera Apostolo Phil. IV. 6. & 1. Tim. II. 1. memorata, conferunt.

Publicæ & privatæ. III. Alias dividuntur quoque in *Publicas* & *Privatas*, quarum illæ simul ab universo cœtu, hæ a singulis hominibus seorsim recitantur. Inprimis autem Judæi preces cum ecclesia fusas Deo gratas statuunt, unde si vel maxime quis extra illam precetur, faciendum tamen id eodem cum Ecclesia tempore jubent.

Præparatio ad preces. IV. Ante preces sollicitam *præparationem* requirunt, quæ quoad corpus in lotione & omnis immunditiei atque spurcitiei sedula evitatione, quoad animam, in sollicita ejus dispositione consistit, quem in finem ad minimum horæ spatium ante earum recitationem exspectandum volunt.

Requisita in ipsis precibus. V. In ipsis precibus ante omnia exigunt debitam *attentionem*, secundum illud תפלה בלא כוונה כגוף בלא נשמה *Preces sine intentione sunt ut corpus*

pus sine anima, tum quoque *ardorem* cum *tenuitatis* propriæ *agnitione* & *fiducia* in gratuita Dei benevolentia reposita.

VI. Non orandum tantum mente, sed & verbis, 1. Sam. I. 13. at submissa, nec altiori voce, præsertim in Ecclesia, prolatis, quam ut quis semet ipsum, non vero alius eum audire queat Ps. LXV. 2. ubi tamen præcipue vitanda battologia Eccles. V. 1. & Matth. VI. 7. Lingua in precibus privatis uti licebat quacunque cognita, sed in Ecclesia non nisi sancta. *Verba.*

VII. Quoad *habitum corporis gestusque*, Judæi monent orandum esse capite operto, cingulo partem corporis superiorem ab inferiori distinguente. Ceterum quidam *stantes*, alii *flexis genubus*, alii *incurvatione*, alii *prostratione* totius corporis orare solebant. Gen. XVIII. 22. Dan. VI. 11. Esdr. IX. 10. Neh. VIII. 7. 2. Chron. XXIX. 29. 30. Manus vel cordi imponebantur, vel expandebantur, vel in cœlum elevabantur Jes. I. 15. Thren. II. 19. III. 41. *Habitus corporis & Gestus.*

VIII. Ordinarius precum *locus* idem illud sanctuarium erat, quod Deus cultui suo elegerat 1. Sam. I. 9. 10. 1. Reg. VII. 29. 30. 33. Ps. XXVIII. 2. Quod si cui eo non liceret adscendere, non *Locus.*

ſolum in Synagogis, ſed & privatis ædibus orare fas erat, at facie ſemper una cum mente verſus ædem hanc directa Dan. VI. 11.

Tempus. IX. *Tempus* potiſſimum triplex erat Dan. VI. 11. 14. nempe בקר צהרים· וערב *Mane, Meridies & Veſpera*, Pſ. LV. 18. unde תפלת שחרית. מנחה וערבית *Precatio matutina, pomeridiana & veſpertina* diſtingui ſolent, quarum originem nonnulli tribus Patriarchis, Abrahamo, Iſaaco & Jacobo tribuunt. Illa hora ab ortu ſolis tertia, iſta a ſexta, hæc a nona initium ſumebant. Prior & poſterior cum ſacrificii jugis matutini & veſpertini, ut & ſuffitus oblatione coincidere ſolebant, unde & populus illo tempore in templo congregatus preces fundebat Luc. I. 10. Act. III. 1. Nunc pomeridianæ horam nonam cum dimidia tribuunt, & cum illa veſpertinam conjungere ſolent. Sabbathis autem, noviluniis & feſtis quater preces fundebant, tres nempe quotidianas & alias ſacrificiis additis junctas; expiationis vero die accedebant inſuper aliæ ad obſeratas templi portas, quas idcirco נעילה ſeu *obſerationis* appellant.

Preces pro populo, vel X. Nonnullæ preces in templo pro populo fiebant a Miniſtris Sanctuarii, ut

ut a Pontifice M. die expiationis, dum in S. S. & Sacerdotibus Gregariis dum mane & vesperi in S. suffitum adolebant, populo interea temporis in atrio quoque in iisdem occupato, alias populus ipse fundebat, in quibusdam etiam verba præiri solebant, populo tantum Amen respondente, 1 Chron. XVI. 36. & Nehem. VIII. 6. vel ejus loco formulam ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *Benedictum sit nomen gloriæ regni ejus in seculum & sempiternum* vel aliud ἐπιφώνημα subjungente. *ab ipso fusæ.*

XI. In Synagogis preces præibat, lectus præcipue ad hoc munus, שליח צבור *Legatus Ecclesiæ*, qui eum in finem coram *arca* consistebat, unde ipsa phrasis עבור לפני התיבה *transire coram arca*, vel, quia locus hic depressior, ירד לפני תיבה *descendere coram arca* pro *preces publicas coram populo recitare* usurpatur. *Quis preces præiret in Synagogis.*

XII. Precum Judæi varias habent formulas, quarum nonnullæ quia ad impetrandam peccatorum remissionem tendunt סליחות aliæ quia ad Deum celebrandum ברכות appellantur. Et harum quidem præcipue Octodecim habent, quas Esræ & reliquis Viris Synagogæ Magnæ acceptas ferunt, di- *Precum formulæ.*

ctas ab hoc numero שמנה עשרה ברכות *octodecim benedictiones*, quibus Rabban Gamaliel aliam contra Hæreticos addidiſſe dicitur. Omnes hæ benedictiones quovis precum tempore recitandæ, niſi quod nonnunquam, ut Sabbathis & feſtis non integræ recitarentur, aliquando etiam quædam formulæ illis inſererentur.

Keriath Schema cum 7. benedictionibus.

XIII. Præter illas XVIII benedictiones, bis de die, mane & veſperi ab unoquoque Iſraelita inſtitui debebat קריאת שמע *Lectio* aut *recitatio Schema*, i. e. trium pericoparum Deut. VI. 4-9. XI. 19-21. & XV. 37-41. cui iterum ſeptem benedictiones, certis quibusdam vocibus memorialibus, ex ipſis benedictionum formulis deſumtis, inſignitæ, & quidem tres recitationi matutinæ, quatuor veſpertinæ jungebantur.

Supplicationes.

XIV. Precibus merito jungimus Cerimonias, quibus in jejuniis Numen placare aut propitium ſibi reddere ſtudebant, quas Latina voce recte *Supplicationes* diceres, quarumque præcipuam partem preces conſtituebant, quibus peccata ſua confitebantur, Numinisque iram averruncare ſtudebant, unde & variæ, pro variis quibus preme-

ban-

bantur angustiis, precum harum formulae exstant.

XV. In jejuniis publicis supplicationes hae, antiquioribus temporibus praecipue, instituebantur in *templo* Jer. XXXVI. 9. 10. & Joel. I. 14. ubi populus in spatiis exterioribus, Sacerdotes vero in atrio interiori, quin & in sanctiori ejus parte inter porticum & altare, unde alias in precibus ordinariis discedendum erat, semet prosternebant. 2 Chron. XX. 3. & Joel. II. 15. Tractu temporis autem etiam in Synagogis jejunia publica celebrari coepta, praecipue in locis Hierosolyma nimium dissitis. Privata autem in privatis aedibus instituebantur. *Locus earum.*

XVI. *Personae* jejunium celebrantes erant variae, pro majori aut minori jejuniorum rigore: In levioribus fiebat id nonnunquam a discipulis sapientum, in rigidioribus, a reliquis etiam Israelitis, exceptis mulieribus gravidis, lactantibus & pueris, sed in gravissimis, ne his quidem imo nec sponso aut sponsae venia dabatur. Joel. II. 16. quin & a nonnullis ad ipsa animalia id extendebatur. Jon. III. 6. *Personae.*

XVII. Omnia autem ea occasione ad luctum afflictionemque testandum *Cerimoniae.*

erant comparata, nam & populus eum in finem in jejuniis publicis convocabatur; atque excitabatur tristi clangore, in templo quidem tubarum & buccinarum, in Synagogis vero tubarum solarum, & preces ipsæ cum fletu crebrisque ejulatibus fundebantur, & ipse corporis habitus atque omnes reliquæ circumstantiæ eodem tendebant.

Corporis habitus &c. XVIII. Huc facit abstinentia a *cibo*, *potu*, *lotione*, *unctione*, *calceamentorum* usu & *Venere*, *laceratio vestium*, *indutio sacci*, vel cilicii plerumque negri, *pectoris percussio*, *capillorum solutio*. In hoc statu jacebant in *terra* aut *cinere*, vel eundem *capiti injiciebant*. Quæ quidem in jejuniis gravioribus tam publicis quam privatis, locum habebant. In levioribus autem, minoribus defungebantur cerimoniis, quin imo pro majori minorive causarum, ob quas celebrabantur, momento, illæ variabant.

Duratio. XIX. Plerumque abstinentia hæc a cibo & reliquis modo memoratis *durabat* usque ad *occasum solis*, seu ortum trium stellarum mediocrium, at nonnunquam in jejuniis extraordinariis vel integro triduo continuabatur, ita ut

nec

nec noctu nec interdiu quicquam gustare liceret. Esther. IV. 16.

XX. In jejuniis gravioribus etiam aliquando ex Synagoga, arca in plateam educebatur, & cinere conspergebatur, Principe, Præside Synedrii & reliquis omnibus eundem capitibus suis injicientibus; tum senex quidam exercitatus & cui honesta familia erat, coram arca descendens, verba pœnitentiæ, & XVIII benedictiones ordinarias cum sex aliis superadditis recitabat, quæ & ipsæ insuper quibusdam locis biblicis augebantur. *Eductio arcæ in plateam.*

XXI. Celebrabantur jejunia publica ob majores universalesque calamitates, quæ vel integræ reipublicæ, vel huic aut illi urbi incumbebant aut imminebant, in prioribus clangebatur tubis omni in loco, in posterioribus non nisi in illa urbe, sed vicinæ etiam jejunabant: Privatorum causæ, incommoda privata erant, ut si quis spe excidisset, rebus angustis afflictisque premeretur, ac amicum ægrotantem aut captivum vel in deserto errantem haberet, cui hac ratione precibus apud Deum succurrere vellet, licet nonnulli & ad Deum sibi propitium reddendum solum jejunarent, quod præci- *Ratio celebrandorum jejuniorum*

pue in ordinariis & hebdomadalibus privatorum jejuniis (Supr. XII. §. LIV.) locum habebat.

Jejuniorum valor. XXII. Uti justitiarii atque hypocritæ his exercitiis nimium tribuebant, ita prudentiores inter Judæos agnoscunt, illa per se Deo placere non posse, unde & virtutibus longe minora faciunt.

Interrogatio Dei. XXIII. Quemadmodum per preces atque supplicationes favorem Dei sibi conciliare aut ejus iram placare studebant, ita & nonnunquam, illis mediantibus, sibi in dubiis ab ipso consilium expetebant. Idque non tantum ipsimet, sed & sæpissime per prophetas, qui eum in finem pro aliis Deum interrogare solebant, & ab eodem responsa accipere. 1 Sam. IX. 9. 1 Reg. XXII. 7. 2 Reg. III. 11. VIII. 8.

Per Urim & Thummim. XXIV. Præcipue vero id fiebat per *Pontificem M.* τοῖς *Urim* & *Thummim* (Supr. X. §. XVII.) instructum, cui prærogativa hæc propria erat, non obstante Num. XXXI. 6. 1 Sam. XXVIII. 6. & XXX. 7. Hinc autem in Sancto coram velo S. S. consistens, facie ad arcam conversa, id de quo Deus consulendus voce submissa proponebat. Jud. XX. 18. & 23.

coll.

coll. 1 Sam. XIV. 37. responsionemque exspectabat.

XXV. Non tamen temere, cuivis privato, hac ratione per Pontificem Deum interrogare licebat, sed soli Regi, Synedrii Præsidi, aut alii in eminenti quadam dignitate constituto, idque tantum de rebus majoris momenti & relationem ad universum populum habentibus. ***Quibus permissa?***

XXVI. Respondebat Deus, nisi forte graviora crimina id impedirent: 1 Sam. XXVIII. 6. & quidem voce ut videtur clara atque intelligibili Jud. XX, 23. & 28. ut adeo licet per Urim & Thummim materiale quid intelligi debeat (X. §. XVII.) id tamen, in interrogatione æque ac responsione Dei, non tam pro instrumento aut medio physico, quam conditione a Deo ipso ordinata, habendum videatur. ***Responsio Dei.***

XXVII. Sub templo autem II cum donum Prophetiæ ordinarium una cum Urim & Thummim deficeret Esr. II. 63. & Nehem. VII. 65. horum loco, Deus præcipue vocem illam cœlestem, quam Judæi בת קול *Bath Kol*, *Filiam vocis* appellare solent, concessit, quamvis eadem non solum post prævias interrogationes, sed & alias in χρηματισμοῖς, ***בת קול Bath Kol.***

 idque

idque non tantum sub templo II sed & antea jam aliquando audita sit.

CAP. XVIII.

De Lustrationibus.

I.

Lustrationes.

Ut quis munera sua Deo rite offerre, aut in precibus ipsum adire posset, ante omnia requirebatur, ut legitime ad id præparatus, & a peccato atque immunditie purgatus esset, quo faciebant tot Lege præscripti *καθαρισμοὶ* & *διάφοροι βαπτισμοὶ καὶ δικαιώματα τῆς σαρκὸς* Hebr. IX. 10. quibus Romani *Lustrationum* nomen darent.

Eorum Materia.

II. *Materia* lustrationum erat plerumque *aqua*, nonnunquam & *sanguis*, aliquando vero *oleum*.

Aqua sola l. sanguine a. cinere vaccæ rufæ mixta.

III. *Aqua* ad hunc usum requirebatur *pura*, ex fonte aut flumine vivo hausta, eaque vel *nuda*, vel *sanguine*, aut *cinere vaccæ rufæ mixta*, qualem scriptura מי נדה *aquam separationis* Num. XIX. 9. XXXI. 23. Rabbini autem sæpius מי חטאת appellare solent.

Vaccæ rufæ combustio.

IV. Ad parandum hunc cinerem, *Vacca* integra, jugi expers, trium,

qua-

quatuor, aut ad summum quinque annorum, coloris autem perfecte rufi (quales in Canaane rarius occurrentes carissimo pretio veniebant) ex ærario publico comparabatur. Hæc a Sagane ad id jam septitudo ante in לשכת בית אבן *conclavi Domus lapidis* (VIII. §. XXI.) secluso, super כבש *ponte*, hunc in finem arcubus aut fornicibus superstructo מפני קבר התהום *ob cadaver forte sub terra delitescens*, deducebatur ad montem oliveti, & rogo imposita facie versus sanctuarium, primum jugulabatur, tum Sagan sanguinem manu sinistra exceptum, digito manus dextræ, septies ædem versus (in cujus portam trans murum orientalem, eam ob causam reliquis humiliorem, oculos direxisse dicitur) spargebat, quo peracto, incensa pyra, injectoque in ignem ligno cedrino, hyssopo & lana coccinea, vacca integra, cum pelle & fimo comburebatur. Num. XIX. 2. seqq.

V. *Cinis* combustæ vaccæ אפר חטאת Judæis dictus, postquam studiose collectus, in tres partes dividebatur, quarum una in antemurali, ad rei memoriam conservandam, in vasculo ק[illegible] של חטאת asservabatur, altera in *Collectio & asservatio cineris.*

monte olivifero lustrandis Israelitis custodiebatur; tertia purificandis Sacerdotibus destinata, inter Ephemerias eorum distribuebatur. Nonnulli secundam aliis vaccis, tertiam vero omnibus pollutis a mortuo conspergendis inserviisse volunt. Asservatio hæc eo majori cura fiebat, quo rarius vaccæ rufæ combustio eveniret. Si enim Judæis fides est, a Mose usque ad excidium templi I non nisi una, sub templo II vero in universum VIII combustæ sunt.

Personæ in hac cerimonia occupatæ.

VI. Licet autem Saganis præcipuæ in hac cerimonia partes essent, non tamen omnia ipsemet peragebat, sed quædam ut jugulatio, cineris collectio &c. sub ejus auspiciis a quibuscunque aliis viris puris fieri poterant: ubi tamen præcipue observandum, quod vacca hæc מטמאה את הטהורים ומטהרת את הטמאים *cum lustrandis impuris esset destinata, omnes contra puros circa illam occupatos inquinaret.*

Cineris in aquam immissio.

VII. Hujus itaque cineris, quoties illo opus esset, aliquid aquæ puræ, plerumque ex fonte Siloah haustæ, injiciebatur, idque sine determinata quantitate, quare Judæi illum inter eas res numerant, quibus in Lege nulla

la mensura statuta, ad minimum autem tantum sumendum sciscunt, ut in aqua conspici posset.

VIII. *Sanguis* debebat esse sacrificiorum mactatorum aut jugulatarum avium, *oleum* vero hic æque ac ad ferta optimum, & præcipue quidem Thecoanum sumi solebat. *Sanguis & oleum.*

IX. Ritus lustrationum diversi erant; vel enim fiebant per totius corporis *immersionem*, quam Judæi טבילה Gr. βαπτισμὸν vocant, vel per quarundam partium, ut manuum aut pedum *ablutionem*, quæ קידוש Gr. ἔκνιψις dicitur, vel per *adspersionem* sive digito, sive adspergillo, ex hyssopo, ligno cedrino & lana coccinea, quæ הזיה Gr. ῥαντισμὸς audit. Omnes hi tres modi circa aquam locum habebant, sanguine autem atque oleo subjecta lustranda *conspergi*, aut *imbui* solebant, quem ultimum actum Judæi נתינה appellant, oleo vero aliquando etiam *ungi*. *Varii lustrationum ritus.*

X. Respectu subjectorum & finis, cerimoniæ hæ quoque variabant. *Subjecta* erant vel animata vel inanimata, Personæ vel res: *Finis* autem potissimum triplex erat, vel separatio ab usu communi, vel peccati expiatio, aut im- *Diversæ earundem species.*

immunditiei ſublatio, unde commode dividi queunt in *conſecratorias*, *expiatorias* & *purificas*. Reſpectu temporis autem diſpeſci poſſunt in *Extraordinarias* & *ordinarias*.

Luſtrationes conſecratoriæ extraordinariæ. XI. *Extraordinariæ* quibus aliquid Deo conſecrabatur, *initiatoriæ* quoque appellari poſſunt, quoniam his mediantibus Perſonæ vel res cultui divino ſolemni ritu inaugurabantur.

Iſraelitarum. XII. *Perſonæ* erant vel Iſraelitæ vel ſanctuarii miniſtri. Iſraelitæ cum Deus ſolemni ritu fœdus ad montem Sinai cum illis erigere vellet, biduo ante integrum corpus debebant abluere tum veſtes lavare, & Venere abſtinere Exod. XIX. dein mactatis victimis prælectisque verbis fœderis, Moſes dimidia parte ſanguinis altari & libro adſperſa, altera dimidia parte *vaſis aquæ* אגנות immiſſa, unde Paulus Heb. IX. 19. ἅιματος μετὰ ὕδατος meminit, populum conſperſit. Exod. XXIV. 6. A priori illa corporis immerſione baptiſmum Proſelytorum Judæi deducunt.

Sacerdotum & Levitarum. XIII. De immerſione atque conſperſione, qua Sacerdotes, ut & veſtium lotione, qua Levitæ in deſerto inaugurati,

gurati, supra (X. §. XI. & XI. §. VI.) ex professo actum est.

XIV. *Ordinariæ* quoque erant quam plurimæ, quibus propior ad cultum præparatio fieret: quoties enim quis in templum aut Synagogam intrare, aut sacrificium vel aliud donum offerre, aut de sacris comedere, aut domi preces fundere, vel serioribus etiam temporibus, quoties cibum sumere vellet, prævia lotione opus erat, Judith. XVI. 22. Ps. XXIV. 3. 4. 1 Sam. XVI. 5. Judith. XII. 7. 8. Marc. VII. 3. quin nec Sacerdotibus, licet antea lotis, sub metu mortis ad sanctuarium aut altare accedere ministerioque suo defungi licebat, nisi denuo ex labro, aut dein ejus loco ex mari æneo, manus pedesque abluissent. Exod. XXX. 20. Saganem quoque Vaccam rufam combusturum in monte Oliveti se prius lavasse Judæi asserunt. Pontifex vero uti ordinario una totius corporis lotione ad omnia munia peragenda se præparare poterat, ita in festo expiationis quinquies totum corpus, decies vero manus & pedes abluere tenebatur. *Ordinariæ.*

XV. Uti personæ in prima initiatione, ita & *res* ad cultum Dei consecraban- *Consecratio rerum*

divino cultui dicatarum. bantur; ſic tabernaculum cum omnibus vaſis, ſanguine ſacrificiorum adſpergebatur, oleoque ungebatur. Lev. VIII. 10. 11. Hebr. IX. 21. Altare autem præter adſperſionem expiatoriam ſanguine factam, conſpergebatur ſepties oleo atque ungebatur. Exod. XXXIX. 26. & Lev. VIII. 11. Ex quorundam ſententia etiam nova vacca rufa comburenda, aqua & cinere prioris conſecranda erat, conf. ſupr. §. V. De ablutionibus ablegminum in altari offerendorum, quibus mediantibus non ſolum a cruore & ſordibus purgabantur, ſed & ad immolationem præparabantur, ſupra (XIII. §. L.) actum eſt.

Luſtrationes expiatoriæ. XVI. *Luſtrationes expiatoriæ* faciebant ad typicam peccatorum expiationem applicandam, unde ſanguine ſacrificiorum mactatorum fieri ſolebant, erantque & ipſæ vel *rerum* vel *perſonarum*, ut & *extraordinariæ vel ordinariæ.* In Paſchate Ægyptiaco ſuperliminare cum poſtibus ædium, ſanguine imbui debebat, ne angelus percuſſor Iſraelitarum primogenitos tangeret: In feſto expiationis annuatim, non ſolum coram arca, ſed & velo Sancti ſanguis ſpargendus, quin & altare interius ſanguine

guine imbuendum & conſpergendum erat, &c. de quibus infra in cerimoniis Paſchatis & diei expiationis Cap. XXI. propius agetur. Aliorum ſacrificiorum piacularium interiorum ſanguis quoque ad expiationem in Sancto, & quidem ſepties verſus velum ſpargi, eodemque IV altaris aurei cornua imbua debebant, v. Lev. IV. 5. 6. 7. & 17. ſeqq. De variis affuſionibus atque adſperſionibus, aut aliis modis ſanguinem altari exteriori applicandi, vide ſupra (XIII. §. XLIX. ſeqq.) Nonnullæ quoque luſtrationes conſecratoriæ, ut altaris, aut purificæ, ut leproſi, aut ædium morbo hoc infectarum, ſimul erant expiatoriæ. v. Exod. XXIX. 36. Lev. VIII. 15. & XIV. 18. & 53.

XVII. Sequuntur tandem *Purificæ*, quibus immundities legis tollebatur, ad quas rectius intelligendas, obſervandum Judæos varios immunditiei gradus, variasque ſpecies numerare. Ad gradus quod attinet מעלות הטומאה dictos, in genere quidem diſtinguere ſolent inter אבות הטומאה & ולדי הטומאה *Patres & filios immunditiei*. Priorum, qui graviores erant, duos, poſteriorum quatuor, atque ita in univer- *Luſtrationes purificæ.*

versum, sex gradus numerant: sunt hi

Patres immunditiei
- I אבי אבות *Pater patrum.*
- II אב הטומאה *Pater immunditiei*

Filii
- III ראשון לטומאה *Primus in immunditie*
- IV שני *secundus*
- V שלישי *tertius*
- VI רביעי *quartus.*

Quæ rectius ex his Judæorum canonibus cognoscuntur: *Omnes Patres immunditiei polluunt homines, vestes & vasa, tam fusilia quam immersionis aut testacea, & quicquid homines aut vasa contactu ea ratione polluit, PATER IMMUNDITIEI dicitur: Omnes vero filii immunditiei nihil horum, sed tantum cibos & liquores polluunt,* præter liquorem immundum, qui etiam vasa polluit. Et iterum: *Quicquid tangit Patrem immunditiei appellatur primus* (filiorum) *quicquid tangit primum, appellatur secundus, quicquid tangit secundum, appellatur tertius, quicquid tangit tertium, appellatur quartus.* Quædam autem horum polluta erant, & simul alia polluebant,

bant טמאים ומטמאים quædam ineptas res reddebant ad esum, sed non polluebant ulterius פיסלים ולא מטמאים in quibus varium discrimen, inter res profanas, primitias & cibos sacros, Judæi statuunt.

XVIII. Respectu durationis quoque una immunditics altera erat gravior, dum quædam tantum usque ad vesperam, alia per integrum septiduum durabat, priorem טומאת ערב posteriorem טומאת שבעה appellant, imo quædam etiam per mensem aut adhuc ulterius continuabatur. Respectu *exclusionis* a locis magis vel minus sanctis, hic etiam non exiguum erat discrimen, lepra enim excludebat urbibus muro cinctis, fluxus seminis monte templi, pollutio a mortuo antemurali, immunditics τῶν טבולי יום atrio mulierum, & τῶν מחוסרי כיפורים atrio interiori. Hinc eadem immunditics in una relatione altera gravior, in alia vero levior esse poterat, ut adeo absolute & in omni relatione, nulla gravissima dici queat. *Alii gradus.*

XIX. *Species immunditiei* in ipsa Lege memoratæ *undecim* sunt, 1. *Immunditics reptilium* Lev. XI. 30. *commemoratorum*, 2. *Cadaveris bestiæ*, 3. *Hominis mortui*, *Species & Patres immunditiei ex Lege.*

 4. *Con-*

4. Concubitus seminis, *5. Aquæ cinere vaccæ rufæ mixtæ*, Rabbinis מי חטאת *6 Sacrificiorum piacularium*, *7 Viri fluxu laborantis*, *8. Mulieris fluxu laborantis*, *9. Menstruatæ*, *10. Puerperæ*, *11. Lepræ*. In his autem a Judæis XXXII *Patres pollutionis*, dicti אבות טומאה מדברי תורה numerantur, scilicet *1. Reptile ipsum*, *2. Cadaver*, *3. Mortuus*, *4. Homo pollutus mortuo*, *5. Vasa eodem polluta*, *6. Vasa quæ hominem mortuo pollutum tetigerunt*, *7. homo qui tetigit vasa mortuo polluta*, *8. Vasa hominem, qui talia vasa tetigit, tangentia*, *9. tabernaculum* (in quo mortuus erat) *10. sepulchrum*, *11. concubitus seminis*, *12.* מי חטאת *13. Vacca rufa*, *14. Juvenci comburendi*, *15. Hirci comburendi*, *16. Hircus emissarius*, *17. Fluxu laborans Vir*, *18. eodem laborans fæmina*, *19. Menstruata*, *20. Puerpera*, *21. Sedile*, *22. Lectus*, *23. Rem cum immunda habens*, *24. sanguis immundæ*, *25. saliva immundi*, *26. urina ejus*, *27. Fluxus* ipse Gonorrhæi, *28. concubitus* seminis ejus, *29. Leprosus* diebus quibus *seclusus erat*, *30. idem* diebus quibus *immundus pronunciatus*. *31. Vestis lepra infecta*, ut & *32. Domus*.

Quædam in illis ob- XX. Observandum tamen circa hæc est, per reptilia non intelligi nisi Lev. XI.

XI. 30. memorata, reliqua vero munda esse; dein ad cadaver bestiæ non referri animal mundum rite jugulatum, utpote quod mundum, nec polluit, quemadmodum nec adeps animalis mundi, tum quoque Gentes nec cadavere pollui, nec hac ratione, uti nec tentorio alios polluere, & מי חטאת non polluere nisi qui illas gestat aut tangit, nec tamen illis indiget, idque dum alius illis mundatus non est: porro sub immunditie fluxus etiam gentes comprehendi, atque adeo contactu polluere, unde quidam Judæos in Prætorium intrare noluisse censent conf. Joh. XVIII. 29. & Act. XI. 3. Denique nullam impuritatem majorem esse immunditie hominis, nihil enim in universa rerum natura, nisi postquam mortuum esset, sed homo solus etiam vivus polluebat. *seruanda.*

XXI. Rabbini vero & hac in parte onus legis aggravarunt v. Marc. VII. 3.4. & non solum multo plures *Patres pollutionis* ex V memoratarum specierum, scilicet immunditie mortui, fluxus, menstruatæ, puerperæ & cadaveris elicuerunt, sed & his adhuc sextam speciem addiderunt, nempe *im-* *Patres immunditie ex sententia Rabbinorum.*

munditiem idoli, in qua recenſent IV Patres pollutionis. 1. Idolum ipſum, 2. quicquid illi inſervit, 3. quicquid ei oblatum, unde in Eccleſia primitiva nata quæſtio de εἰδωλοθύτοις Act. XV. 20. 29. XXI. 25. & 1 Cor. X. 19. 28. 4. Vinum quod illi libatur. Talibus autem nomen אבות טומאה מדרבנן *Patrum pollutionis ex mente Rabbinorum*, vel מדברי סופרים *ex verbis Scribarum*, dare ſolent.

Immundorum mundatio. XXII. Quicquid autem ulla ratione inquinatum erat, mundari non poterat, niſi mediante *baptiſmo* טבולה ſeu *immerſione*, ad quem uſum Rabbini ad minimum requirunt menſuram XL ſatorum aquæ, etiamſi vel unica acus abluenda foret, exceptis aquis ſcaturientibus, quibus menſura conſtituta non eſt, modo tanta illarum quantitas ſit, ut integrum corpus abluendum iis obtegi queat.

Variæ ejus circumſtantiæ. XXIII. *Perſonæ* inquinatæ vel corpus una cum veſtibus abluere poterant, vel utraque ſeorſim. *Res* abluendas Judæi generaliori כלים ſ. *vaſorum*, nomine inſignire ſolent, quorum VII ſpecies numerant, *veſtes*, *cilicia*, vaſa *coriacea*, *oſſea*, *metallica*, *lignea* & *teſtacea*. Horum VI priora ubi pol-

luta

luta immergenda erant, quo respicit βαπτισμὸς τῶν ποτηρίων καὶ ξεςῶν καὶ χαλκίων καὶ κλινῶν Marc. VII. 4. vasa ex metallo nonnunquam per ignem prius transmitti Num. XXXI. 23. *testacea*, quo Judæi *vitrea* quoque referunt, confringi debebant. Lev. XI. 33. Immersio personarum æque ac rerum pro varia immunditiei duratione aut specie variis non solum fiebat temporibus, sed & vel sola sufficiebat, vel aliæ cerimoniæ eidem jungendæ erant.

XXIV. Contactu reptilis, cadaveris bestiæ, aut Viri vel fœminæ fluxu laborantis, vel gentium, (quas Rabbini illis similes faciunt, §. XX.) menstruatæ, horumve omnium sputo &c. nec non contactu leprosorum, vel etiam concubitu, casu nocturno קרי dicto, מי חטאת *aquis lustratoriis* aut sacrificiis piacularibus, inquinatæ *res* vel *personæ*, postquam ablutæ, puræ quidem erant, sed non nisi occaso sole, quod si jam de die aut primo mane lotæ essent; admittebantur quidem ad antemurale, sed vesperi demum prorsus mundæ habebantur, atque his Judæi nomen τῶν טבולי יום dare solent. Lev. XI. & XV. Num. XIX. 7 - 10. & 21. 22. *Mundatio leviorum imparitatum.*

 XXV.

Polluti ex mortuo. XXV. Immundities ex *homine mortuo* uti omnium certo respectu gravissima חומר כולן ita homines æque ac vasa quæ talem tetigerant, aut portaverant, aut in eodem cum illo tentorio fuerant, aut ad illud venerant, aut mortuum vel occisum in agro jacentem, aut sepulchrum tetigerant, per VII dies immundi erant. Num. XIX. 11. seqq. Nonnulla tamen contactu eorum, quæ mortuo polluta erant, inquinata, postquam lota, non manebant immunda, nisi usque ad vesperam.

Eorum mundatio. XXVI. Quæ graviori hac impuritate ex mortuo polluta erant, sive homines sive vasa aut tentorium, die tertio & septimo במי חטאת *aqua cinere vaccæ rufæ mixta*, a Viro puro, mediante fasciculo hyssopi conspergi, dein die VII ablui debebant, quo peracto occaso sole pura erant, ex quo ritu nonnulli illustrandum putant βαπτισμὸν ὑπὲρ τῶν νεκρῶν 1 Cor. XV. 29. Tanti autem momenti conspersio illa erat, ut ejus neglectus pœnam excidii mereretur. Num. XIX. 11-20.

Alius usus τῶν מי חטאת XXVII. Hic licet præcipuus τῶν מי חטאת usus esset, minus recte tamen illi sentiunt, qui nullum alium agno-

agnoſcunt, cum, ut Judæi docent, & Pont. M. & Sacerdos vaccam rufam comburus, iisdem aliquoties conſpergi debuerint.

XXVIII. *Menſtruæ* ut & *fluxu laborantes* tam *Viri* quam *fœminæ* זבים וזבות, non ſolum omni illo tempore quo morbus hic durabat, immundi erant, ſed & poſteriores, eo ceſſante adhuc *ſeptem dies* numerare debebant, quorum ultimo demum poſtquam ſe *abluiſſent*, ſub veſperam mundi evadebant, ita tamen ut *die octavo* inſuper duos turtures aut pullos columbarum, alterum in *ſacrificium* pro peccato, alterum in holocauſtum, offerre deberent. Lev. XV. 2. ſeqq. *Mundatio menſtruarum & fluxu laborantium.*

XXIX. *Puerpera* quoque ſi filium enixa eſſet VII, ſi filiam XIV dies impura erat, tum abluto corpore, priori in caſu adhuc per XXXIII, poſteriori autem per LXVI dies exſpectare, nec interea temporis ſanctum quid tangere, aut ad ſanctuarium venire, ſed illis demum elapſis, ſacrificia ſua, agnum anni unius in holocauſtum & pullum columbarum aut turturem in ſacrificium piaculare, vel ſi id facultas ejus non permitteret, duos turtures aut pullos columbinos, alterum in holo- *Puerperarum.*

cauſtum, alterum pro peccato, offerre debebat. Lev. XII. coll. Luc. II. 21. 22.

Lepra hominum.

XXX. Reſtat tandem inter immunditiеs graviores, non minima *Lepra*, צרעת aut *κατ' ἐξοχὴν* נגע *plaga* dicta, morbus non naturalis nec contagioſus, ſed extraordinarius, ſingularique Dei judicio immiſſus, idque vel *hominibus*, vel rebus inanimatis, *veſtibus* aut *ædibus*. Lepra homines occupans erat vel צרעת בעור בשר *lepra in cute carnis* vel בראש או בזקן *in capite aut barba*. *Lepræ cutis* ſuſpicionem præbebat שאת *tumor* coloris lanæ, ספחת *abſceſſus* coloris calcis, aut בהרת candoris nivei, *ſigna* autem *diagnoſtica erant*, *pilus albus* redditus, plagæ *adſpectus* reliqua cute *profundior*, ejusdem *diffuſio* & *vivacitas*, Lev. XIII. 2. ſeqq. *Lepræ capitis* aut *barbæ*, quas nonnulli pro diverſis ſpeciebus habent, indicia erant *maculæ adſpectus profundior*, & in illa *pilus fulvus tenuior*. Lev. XIII. 29. 20. Diſtinctio hæc in lepram capitis aut barbæ, & reliquæ cutis carnis, eo magis attendenda eſt, quia alterutra parte morbo hoc infecta, quis tantum impurus reddebatur, toto autem corpore, a capite ad pedes eodem

eodem correptus, purus habebatur. Lev. XIII. 12. 13.

XXXI. Uti judicium de omni immunditie ad *Sacerdotes* spectabat, Lev. X. 10. & Ezech. XLIV. 23. ita circa lepram præcipuæ illorum partes erant, tam in sententia de hoc morbo ferenda, quam illis peragendis, quæ ad purificationem spectabant. Scil. si signa illa diacritica in capite aut barba, vel corpore deprehendisset, protinus Sacerdos talem hominem immundum, si ὁλόλεπρος esset, mundum pronunciabat, quod si signa non satis paterent, secludebatur a Sacerdote, & post septiduum iterum examinabatur, si tum plaga se non diffudisset, altero septiduo secludi, tum quoque in lepra capitis aut barbæ se radere, excepto tamen loco infecto debebat, quod si & tum plaga sine ulteriori diffusione subsisteret, mundus declarabatur, & lotis vestibus, sub quo Judæi etiam lotionem corporis comprehendunt, pro tali habebatur: diffusa autem ulterius, exacto utroque septennio, plaga, immundus pronunciabatur. Lev. XIII. 3. seqq. *Judicium Sacerdotis de illa.*

XXXII. Hæc sententia Sacerdotis, omnino ad negotium hoc dirimendum *Leprosorum status*

& habitus. necessaria erat, atque illa lata statim leprosus vestibus scissis, more lugentis, capite incomto, velataque barba superiori, castris, aut urbibus tempore Josuæ muro cinctis exclusus, sine ulteriori consortio, præterquam aliorum leprosorum, 2 Reg. VII. 3. Luc. XVII. 12. degere, & obvios immunditiei suæ, clamando טמא טמא *immundus, immundus!* admonere debebat. Lev. XIII. 45. 46. Ceterum ad alia loca imo ad ipsas Synagogas accedere illi fas erat, ita tamen ut seorsim sederet, & primus veniret, ultimusque discederet.

Mundatio. XXXIII. Recuperata sanitate, se iterum Sacerdoti, eum in finem usque ad extrema castra aut portas Hierosolymæ ad ipsum exeunti, sistere debebat Matth. VIII. 4. a quo sanitate ejus deprehensa agnitaque, ad *mundationem duas aves* צפורים pares ut Judæi sciscunt, si tales haberi possent, statura, colore, pretio, dare debebat, quarum una, super aqua viva in vase testaceo, mactata, alterius alæ adspergillo ex ramo cedrino, hyssopo & lana coccinea circumpositæ, una cum adspergillo a Sacerdote, sanguini prioris, aquæ mixto intingebantur, eoque septies

septies *conspersus*, mundus pronunciabatur, ave simul viva dimissa, mortua vero sepulta. Tum vestes abluendæ, corpusque illi radendum atque lavandum erat, quibus omnibus peractis admittebatur quidem iterum in castra & urbes, sed ita ut lotionem hanc vestium corporisque, cum ejusdem rasura denuo *die septimo* repeteret. *Die* vero *octavo* lotus primum in conclavi leprosorum, cum logo oléi, sacrificia sua, agnum unum in holocaustum, alterum pro reatu, agnam vero pro peccato, cum ferto trium decimarum similæ oleo mixtæ, vel si pauperior esset, agnum pro reatu, decimam similæ oleo mixtæ, & duos turtures, unum pro peccato alterum in holocaustum dabat. Quibus in atrio interiori rite oblatis sanguineque sparso, Sacerdos qui sanguinem sacrificii pro reatu manu exceperat, (Supr. XIII. §. XLIII.) ad Leprosum ad portam atrii, quo ingredi nondum illi fas erat, progrediebatur, ejusque in atrium porrecta membra, aurem dextram cum pollice manus & pedis dextri, illo primum sanguine, dein oleo adducti logi, manui propriæ vel alterius infuso, postquam de eodem septies coram Domino sparsisset, imbuebat, reliquum-

que

que olei in manu supra caput purificandi dabat. Lev. XIV. 1-32.

מחוסרי כיפורים

XXXIV. Licet autem tam *Leprosus*, quam tres præcedentes, quibus sacrificia offerenda, *Vir & mulier fluxu laborans, cum puerpera*, etiam ante sacrificiorum oblationem, nulla amplius immunditie laborarent, non tamen plenam expiationem, nisi post eandem consequebantur, unde tamdiu מחוסרי כיפורים *indigentes expiatione* appellabantur: Interim tamen necessarium non erat, ut statim sua sacrificia offerrent, aut tam hi quam alii impuri se protinus abluerent, sed differre illud poterant, modo quamdiu factum non esset, locis, rebusque aut cibis sacris, singulis ipsorum interdictis, abstinerent.

Lepra vestium atque ædium.

XXXV. Ad lepram *vestium* atque *ædium* quod attinet, Prior non polluebat nisi lanam & linum, aut pelles, quibus aliquid horum adhæreret; indicia ejus erant *maculæ virides*, aut *rubræ*, signum diagnosticum, *diffusio*. Unde talibus maculis in veste quadam comparentibus, Sacerdos illam per VII dies secludebat, quibus elapsis si plaga diffusa esset, immunda igneque comburenda, sin minus aqua eluenda, & septiduo iterum secludenda erat, quod si

situm adspectus ejus mutatus non esset, licet plaga se non diffudisset, integra vestis, si vero colorem mutasset, pars cui plaga inerat, avulsa, igne comburi & reliqua vestis aqua elui atque mundari, debebat. Lev. XIII. 47. Posterioris, quam Judæi ad solam terram Canaan restringunt, ita tamen ut ædes Hierosolymæ ea nunquam infectas credant, suspicionem quoque excitabant *striges virides*, aut *rubræ*, reliquo muro *depressiores*, quibus apparentibus, Sacerdos domum claudebat VII dies, iisdemque elapsis, si plagam se diffudisse cerneret, lapides quos illa occuparat tollendi & extra urbem in locum impurum projiciendi erant, tum reliqua domus intus abradenda, pulvere quoque ad locum impurum elato, ruina vero novis lapidibus novaque *calce* reparanda, quod si tum denuo appareret plaga, universa domus dirui, omniaque ad locum impurum efferri, si autem nulla ejus amplius vestigia cernerentur, mediantibus duabus aviculis, iisdem cerimoniis ut Leprosus, septena adspersione lustrari debebat. Lev. XIV. 34. seqq.

CAP.

CAP. XIX.

De Templi custodia, musica, Lychnuchi adaptatione, suffitus oblatione & benedictione sacerdotali.

I.

Aliæ cultus partes. Præter enumeratas has cultus sacri partes, ad quas Israelitæ omnes concurrebant, aliæ solis sanctuarii ministris propriæ fuerunt, quarum quædam iterum Levitis æque ac Sacerdotibus communes, aliæ his solis demandatæ erant. Ad priores pertinet *custodia* & *musica* templi, ad posteriores *lychnuchi adaptatio*, *suffitus oblatio* & *benedictio Sacerdotalis*.

Custodia templi. II. Uti Deus in templo ceu Rex in splendido palatio habitabat, ita ad majus decus ordinemque servandum ministri constituti, qui in portis excubias agerent. Has multi de nocte tantum actas volunt, sed & res ipsa & testimonia Philonis, Josephi, & nonnullorum Rabbinorum, potius idem de die quoque obtinuisse evincunt: licet incer-

incertum ſit, an id omnibus in locis eodemque numero interdiu ut noctu factum ſit; ſaltem cuſtodia nocturna præcipua fuiſſe videtur. Pſ. XXXIV. 1.

III. *Stationes* harum excubiarum jam a Davide ordinatæ leguntur XXIV. vid. 1 Chron. XXVI. quas ſub templo II Judæi ita digerunt, *Loca.*

ad 5 portas montis templi	V.
in 4 angulis ejus intrinſecus	IV
ad 5 portas atrii interioris	V
ad 4 angulos ejus extrinſecus	IV
ad conclave *oblationis*, *veli* & poſt S. S.	III
ad portam *Nitzotz*, in conclavi *Aftines & beth moked*	III
	XXIV

IV. In omnibus his locis excubias agebant *Levitæ*, & quidem in XXI prioribus ſoli, in tribus ultimis ſimul cum *Sacerdotibus*, licet ſeorſim ab illis, ſcilicet Sacerdotes intra atrium, Levitæ extra illud, vel in locis ubi cœnaculum erat, ut conclave Nitzotz & Aftines, Sacerdotes in ſuperiori, Levitæ in inferiori parte. *Cuſtodes.*

V. *Numerus* cuſtodum erat in ſingulis locis X unde omnium Levitarum in excubiis ſtantium quotidie CCXL erant, *Eorum numerus & luſtratio.*

erant, Sacerdotum autem XXX. Unicuique horum statio sua assignabatur a præfecto montis templi איש הר הבית dicto, qui & de nocte custodias accensis facibus lustrabat, & si quem Levitarum dormientem inveniret, non solum eum verberibus male mulctabat, sed &, si vellet, vestes ejus adurebat, quo alluditur Apoc. XVI. 15.

Musica templi. VI. Ad attentionem in cultu sacro excitandam, Deumque publice celebrandum, faciebat Musica templi. Ps. XXX. 2. 3. LXXX. 3. & CL. 3. 4. Hæc partim quoque tractabatur a Sacerdotibus partim vero a Levitis.

Sacerdotum, cum instrumentis ipsorum VII. Instrumenta quibus Sacerdotes utebantur, sunt שופר *Buccina* & חצוצרה *tuba*. *Buccina* appellatur *cornu* animalis *incurvum* (excluso tamen vaccino quod nunquam שופר sed קרן dicitur Deut. XXXIII. 17.) quod plerumque *arietinum*, at in festo novi anni de *rupicapra* erat. Hujus usus extra templum etiam aliis quam Sacerdotibus, in illo his solis permittebatur, obtinebatque non solum in quibusdam festis, sed & jejuniis publicis Supr. (XVII. §. XVII.) Tuba ex metallo parata erat, recta, sed in inferiori parte latior, quo sonus diffundi posset. Tales Moses binas ex argento paravit,

pro

pro numero duorum filiorum Aharonis, Num. X. 2. Dein auctis Sacerdotibus etiam Salomon numerum turbarum usque ad CXX auxit 2 Chron. V. 12. unde Judæi colligunt in templo ad cultum publicum ad minimum semper duas, nunquam autem ultra CXX adhibendas fuisse. His non utebantur nisi Sacerdotes soli, idque aliquando in casibus extraordinariis, ad convocationem populi, signum migrationis castrorum dandum, in solemnioribus festivitatibus, jejuniis, bellis aut triumphis, tam in sanctuario quam extra illud Num. X. 2. 2 Reg. XI. 14. 1 Chron. XIII. 8. XV. 28. ordinario autem in eodem ad Sabbathorum aut festorum proclamationem vel celebrationem, & maxime in cultu quotidiano, ubi XXI vicibus clangebant, III cum portæ aperirentur, IX tempore sacrificii jugis matutini & IX tempore vespertini, 1 Chron. XVI. 39. scilicet cum libaretur vinum, in Paschate vero cum sacrificium jugularetur: alias quoque cum libatione vini in holocaustis quadrupedum & salutaribus clangor hic conjunctus erat, 2 Chron. XXIX. 27. 28. In solo autem cultu templi utebantur nonnunquam tubis & buccinis si-

mul 1 Chron. XV. 28. Pſ. XCVIII. 6: ſed extra illud non niſi alterutris.

Cantus Levitarum. VIII. Uti tubarum & buccinarum uſus Sacerdotibus, ita reliqua Muſica *Levitis*, demandata erat. Hi משוררים dicti tempore Davidis, numero M M M M, ex liberis Aſaphi, Hemanis & Jeduthunis, in XXIV claſſes æque ac cuſtodes diviſi, partim *ore canebant* ſumma ſuavitate, a qua ſequentibus temporibus præcipue celebratur *Hogrus Levita*, partim *inſtrumenta muſica* tractabant. 1 Chron. XXIII. 5. & XXV. 9-31.

Inſtrumenta muſica. IX. *Inſtrumenta* hæc præcipue tria erant צלצל aut מצלתים *cymbalum*, quod tantum unicum נבלין *nablia*, quorum duo, & כנורות *κιννύραι* vel *κιθάραι* quarum novem ad minimum ſimul adhibebantur 2 Chron. V. 12. XXIX. 25. Præter hæc tria nonnunquam & tibiis utebantur, & quidem non paucioribus quam duabus, nec pluribus duodecim, idque tantum duodecies in anno, cum mactaretur Paſcha primum & ſecundum, primo Paſchatis, die Pentecoſtes, & octo diebus tabernaculorum.

Locus ubi ſtabant. X. Ordinarius Levitarum tam ore canentium quam inſtrumenta muſica tractantium, locus erat דוכן של לוים

Jug-

ſuggeſtum Levitarum (Supr. VIII. §. XIII.) ubi ad minimum ſemper requirebantur XII, licet numerus hic ſine limitatione augeri poſſet. Nonnunquam tamen & in aliis locis, ut in feſto tabernaculorum in XV gradibus, quibus ad atrium interius adſcendebatur, ſtabant.

XI. *Argumentum* cantus conſtituebant *hymni ſacri* 2 Chron. XXIX. 30. quorum quidam caſibus extraordinariis inſerviebant, ut Pſalm. XXX. initiationi domus, nec non, ut Judæi aſſerunt, æque ac Pſalm. CXXII. 1. 2. & CL. receptioni primitivorum (Supr. XV. §. IX. & X.) alii concinebantur in cultu templi ordinario, ut cum ſacrificio jugi, quando vinum libaretur, primo die hebdomadis Pſalmus XXIV. ſecundo XLVIII. tertio LXXXII. quarto XCIV. quinto LXXXI. ſexto XCIII. ſabbatho XCII. cum parte cantici Moſis, Deut. XXXII. & cum ſacrificio veſpertino Sabbathi Exod. XV. In feſtis majoribus Hallel ſeu Pſalm. CXIII - CXVIII. in feſto tabernaculorum Pſalmi graduum CXX - CXXXIV. cum ſacrificiis addititiis ejusdem feſti die primo CXV. ſecundo XXIX. tertio L. quarto & quinto XCIV. ſexto LXXXI. 1-6. ſeptimo LXXXII. 1-5. In primo *Materia cantus.*

novilunio novi anni Pſ. LXXXI. & cum ſacrificiis תודה Pſ. C.

Præfecti cantoribus &c. XII. Omnes autem hi cantores & Muſici non ſolum tribus ſuis capitibus Aſapho, Hemani & Jeduthuno a Davide ſubordinati ſunt, ſed & idem ſimul pro numero ephemeriarum, XXIV præfectos conſtituit, quorum unusquisque uni ephemeriæ præerat 1 Chron. XV. 17, 19. XVI. 41, 42. XXV. 2. ſeqq. 2 Chron. V. 2. XXXV. 15. quo reſpici titulo מנצח, in inſcriptionibus pſalmorum adeo obvio, ſolet. Signum vero cantus plerumque a Sagane ab altari ſudario dabatur.

De cantoribus & cantatricibus ex populo. XIII. Nonnulli tam ad cantum quam muſicam inſtrumentalem, aliquando etiam Iſraelitas admiſſos eſſe, ex 2 Sam. VI. 5. colligunt. Inter Judæos quidam, ſolos genere claros ad poſteriorem concurriſſe volunt, ſed a cantu omnes præter Levitas excludunt. Sunt & qui Cantatrices משוררות in templo ſtatuunt ex Neh. VII. 67. ſed alii illas pro mulieribus cantorum, aut fœminis extra templum artem hanc exercentibus non immerito habent conf. Exod. XV. 20. Jud. XI. 34. 1 Sam. XVIII. 6. 7.

Lychnuchi adaptatio. XIV. Quæ ad Sacerdotes ſolos ſpectabant, partim in Sancto, partim in atrio

atrio peragenda erant. Priora ſunt *lychnuchi adaptatio*, *ſuffitus oblatio* & *panum facierum* in menſa aurea *diſpoſitio*. De poſteriori autem cum ſup. (XIV. §. XXII.) jam actum ſit, de reliquis quoque verbum ſubjungendum erit. Lychnuchus bis quotidie mane ac veſperi adaptandus erat. Miniſterium matutinum appellatur הטיב את הנרת veſpertinum העלות את הנרת Exod. XXX. 7. 8. unde oritur quæſtio, utrum Lychni interdiu æque ac noctu arſerint, an mane exſtincti ſint. Nobis veroſimile videtur ad minimum quosdam etiam interdiu arſiſſe, cum in tabernaculo ceteroquin Sacerdotibus lux, ad miniſteria in Sancto peragenda, neceſſaria defuiſſet, & Judæi de templo II idem conſtanter affirment, quin & λύχνος ejus ἀθάνατος etiam ſcriptoribus exteris celebretur. Ad adaptationem lychnuchi autem Sacerdos ſorte lectus cum vaſculo כוז oleo repleto intrabat, & lapidem trium graduum coram lychnucho, ſaltem in templo II conſcendens, ante ſuffitus oblationem prius quinque lychnos concinnabat, purgando ardentes & exſtinctos novis ellychniis ac oleo inſtruendo, atque incendendo, tum depoſito vaſe egreſſus, poſt accenſum

suffitum, duos reliquos adaptabat: Incensos autem ab iis qui adhuc ardebant, sed solum occidentalem igne ab altari exteriori petito, Judæi affirmant.

Suffitus. XV. *Suffitus* variis constabat aromatibus, quorum IV a Mose memorantur Exod. XXX. 34. 1. נטף *opobalsamum* 2. שחלת Judæis צפורן *unguis aromaticus*. 3. חלבנה *galbanum* & 4. לבנה זכה *thus purum:* Quibus a Judæis septem alia adduntur, 1. מר *myrrha*, 2. קציעה *Casia* 3. שבלת נרד *spica nardi* 4. כרכום *crocum* 5. קושט *Costum*, 6. קנה vel קילוף *calamus aromaticus* & 7 קנמון *Cinnamon*, nonnulli his jungunt בפת הירדן *spumam s. ambram Jordanis* מעלה עשן *herbam quæ fumum recta adscendere fecerit*, & מלח סדומית *salem sodomiticum*. *Parabatur* suffitus hic semel in anno, quantitate 368 librarum, quo in universum annum sufficeret, quem in finem, singularum quatuor specierum, in sacro codice commemoratarum, ut Judæi dicunt, sumebantur libræ 70. Sequentium quatuor priorum, singularum libræ 16. costi 12. calami aromatici 3. cinnami 9. libræ, trium vero ultimarum, ambræ Jordanis, herbæ fumi, & salis, quantum satis esset. Hæ species probe comminuebantur in mortario

rio Exod. XXX. 36. & in ſpecie unguis aromaticus fricabatur בבורית כרשינה *ſmegmate Carſchinæ*, lavabaturque ביין קפריסין *vino Capparis*. Quæ præparatio ſub auſpiciis *Præfecti ſuffitus* ממונה על מעשה קטרת fiebat in conclavi atrii interioris Aſtines dicto, (Supr. VIII. §. XX.) cujus nominis familiæ quoque ſub templo II præcipue opus hoc demandatum dicitur, quod illa herbam מעלה עשן & artem parandi ſuffitus præ aliis cognitam haberet.

XVI. Hujus ſuffitus pugillus, quantitate, ut Judæi aſſerunt, dimidiæ libræ, bis quotidie, mane ac veſperi adolendus erat. Quem in finem poſtquam altare interius purgatum & 5 lychni præparati erant, Sacerdos ſorte deſignatus, nec antea unquam hoc munere functus, ſumebat vas בזך ſuffitu repletum, operculo inſtructum, & vaſi majori כף inſiſtens, tum vel idem vel alius ad id a priori lectus, πυρείῳ argenteo מחתה 4. caborum, ex altari exteriori prunas petebat, & poſtquam deſcendiſſet, alteri πυρείῳ aureo 3 caborum immittebat: Dein prior, vas ſuffitu plenum gerens, alteroque πυρεῖον ferente comitatus, Sanctum intrabat, & prunis a poſteriori in ipſa altaris ſu- *Oblatio.*

 per-

perficie dispositis, prior ad vocem præfecti הקטר suffitum illis ex vase בזך injiciebat, fusisque simul precibus, quarum suffitus emblema erat Psf. CXLI. 2. coll. Apoc. V. 8. & VIII. 3. quibusque populus in atrio suas jungebat Luc. I. 10. semet incurvans exibat. De oblatione suffitus, in S.S. a Pontifice die expiationis facta, infra inter diei hujus solemnia agetur.

Benedictio Sacerdotalis. XVIII. Benedictio quoque solis sacerdotibus propria erat, ad quam omnibus in Sancto, nec non circa sacrificium juge matutinum rite peractis, Sacerdotes ephemeriæ ministrantis, præcipue qui in sanctuario fuerant, in gradibus Pronai consistebant, & manibus probe lotis conf. Psf. CXXXIV. 2. atque elatis, uno verba præeunte, reliquisque eadem repetentibus præscriptam formulam Num. VI. 23. super populo pronunciabant. Elatio hæc manuum loco impositionis erat, fiebatque a Pont. M. non nisi ad altitudinem humerorum, a gregariis, supra capita, idque utroque pollice & indice conjunctis, digitis vero minimo & annulari ita reliquis separatis. In templo solo Judæi nomen יהוה pronunciatum, tum quoque benedictionis formulam una serie recitatam

tatam volunt, populo demum illa absoluta respondente ברוך יהוה אלהים אלהי ישראל מעולם ועד עולם. Ad benedictionem vero pronunciandam sex rebus sacerdos illegitimus reddi poterat, *vitio corporis*, *transgressione graviori*, *ætate*, *vini usu*, *impuritate*, & *lingua*, quæ sex literis initialibus מעש״יטל innui solent. Denique benedictio hæc mane tantum non vesperi, saltem non semper, ex Judæorum sententia pronunciabatur.

CAP. XX.

De ordine cultus quotidiani, Sabbathici & in Noviluniis usitati.

I.

Sic tandem examinatis præcipuis *cultus sacri* partibus, in proclivi erit, ejus porro *ordinem* & *circumstantias* propius subnectere. *Ordo cultus ipsius.*

II. Et primo quidem ut a cultu quotidiano initium faciamus, ad illum obeundum Ephemeria hebdomadalis Sacer- *Ad cultum quotidianum ad-*

 do-

sendebant Ephemeriæ dotum, Levitarum & Virorum Stationariorum, quam ordo tangebat, appropinquante ministerii sui hebdomade mature Hierosolymam adscendebat, aut quotquot eorum illic habitabant, una cum his se ad opus suum rite præparabant.

Cautelæ illis observandæ. III. Ad præparationem hanc requirebatur ut se *raderent* & *lavarent*, hoc enim, Judæis testibus, integra ministerii sui hebdomade illis interdictum erat, excepto die quinto in honorem Sabbathi. Sacerdotibus quoque ejus ephemeriæ *vinum* interdiu, imo אנשי בית אב *classi diurnæ* etiam de nocte bibere, non licebat.

Ut & his qui domi manserant. IV. Qui autem ex statione hebdomadali longius Hierosolymis aberant, quam ut commode eo adscendere possent, eandem septimanam domi in Synagogis, lectione sacri Codicis, & in specie Genes. capp. I & II. nec non precibus, & jejuniis, die secundo, tertio, quarto & quinto institutis, pie transigebant & fratribus suis Hierosolymis in cultu occupatis, apud Deum succurrebant.

Initium cultus quotidiani. V. Uti apud Judæos ordinario nox præcedit diem, ita appropinquante vespera, classis die sequenti ministratura, in templo comparebat, & postquam sacri-

crificium vespertinum, quo ministerium diei praecedentis finiebatur, oblatum, omniaque ad cultum crastino mane peragendum disposita essent, qui ex Sacerdotibus & Levitis excubias acturi, loca eum in finem assignata (Supr. XIX. §. III. & IV.) occupabant, reliqui Sacerdotes in conclavi בית מוקד cubitum ibant, Levitae in urbem descendebant.

VI. *De* nocte *Praefectus montis templi* cum quibusdam, accensis facibus custodias, ut visum (XIX. §. V.) lustrabat; primo autem mane alio *Praefecto* conclave beth Mokad pulsante, Sacerdotes qui illic excubias egerant, ejusque adventum, jam loti & vestes sacerdotales induti exspectabant, una cum illo duabus facibus atrium ingressi inque duas turmas divisi, illud circumibant, visuri num omnia ad cultum rite parata essent, tandemque ad conclave crustulariorum iterum concurrentes, hos ad opus suum excitabant. *Lustratio custodum & atrii.*

VII. Postquam interea temporis & reliqui Sacerdotes se abluissent, vestesque sacras induissent, omnes in conclavi Gazith conveniebant, ubi sorte munera illius diei distribuebantur. *Sortitio* haec ita se habebat: Praefectus sortibus, corona Sacerdotum, jussu ejus digitos at- *Sortitio.*

attollentium cinctus, uni illorum tiaram capitis auferebat, & ab hoc initio numerandi facto, omnes ordine percurrebat, ita ut in quem constitutus numerus desineret, is sorte designatus haberetur. Talis sortitio singulis diebus quater instituebatur, *1. de purgando altari* exteriori, *2. de sacrificio jugi* mactando, partibus ad clivum altaris deferendis, & quæ cum his conjuncta erant peragendis, ad quæ tredecim Sacerdotes requirebantur; decem circa sacrificium juge, fertum & libamen occupati, unus qui altare interius purgaret, unus qui adaptaret lychnuchum, & unus qui crustula Pont. M. offerret. 3. de suffitu adolendo Luc. I. 10. de quo sors non ducebatur nisi inter illos, qui nunquam ante hoc munere functi erant, & 4. de membris sacrificii altari imponendis. Cui vero nullum munus obtigerat, vestes sacras exuens, privatas induebat.

Purgatio altaris exterioris.

VIII. Nemini autem ullo munere licebat fungi, nisi postquam primum, manus & pedes ex labro, vel ejus loco sub templo I ex mari æneo, etiamsi antea lotus, iterum abluisset, Exod. XXX. 18. & XXXVIII. 8. Quo peracto cultum ipsum incipiebat is cui sors purgandi altaris exterioris לתרום את המזבח cecide-

ciderat, πυρείῳ argenteo ex altari prunas quasdam in locum cineris ad ortum altaris (VIII. §. XXIX.) deferens. Hunc ſequebantur alii Sacerdotes eadem ſorte deſignati, qui palis & fuſcinis partes in altari nondum conſumtas ad latus removebant, cinerem in medio altaris in pomum congerebant, & ſuperfluum tollebant.

Focorum inſtructio, altaris interioris purgatio, &c.

IX. Tum allatis lignis focus primum major, dein ſecundus in altari inſtruebatur, & duo ſegmenta ligni foco majori imponenda adducebantur, dum Præfectus temporibus ortui auroræ diligenter attendens, deque illo voce ſpeculatoris ברקאי certior redditus, Sacerdotes ad opera ſua, Levitas ad pulpitum & Iſraelitas ad ſtationem evocabat. Protinus Sacerdotes manus & pedes loti opus aggrediebantur; adductoque agno ſacrificii jugis, & adaquato ex poculo aureo, is cui *altare* interius purgandum, cum illo cui *lychnuchus* adaptandus, duabus clavibus, & vaſculis miniſterii ſui, aperto oſtiolo ad ſeptentrionem portæ magnæ in conclave laterale תא & per illud in Sanctum, ejus quoque porta aperta, ingrediebatur, & poſtquam prior cineres altaris interioris in vas aureum טני col-

collegisset, & alter lychnos quinque concinnasset (XIX. §. XIV.) uterque exibat.

Agni jugulatio & קשׁ

X. Dum hi in Sanctum intrabant, statim audito stridore, quem porta magna inter aperiendum edebat, *agnus* in atrio *jugulabatur*, & sparso, inter altaris interioris decinerationem & quinque lychnorum adaptationem, sanguine ejus, membra ad clivum deferebantur & sale condiebantur, sicque tandem Sacerdotes priori hoc opere ante exortum solem defuncti, in conclave Gazith conveniebant, & קריאת שמע seu pericopas Deut. VI. 4. 9. XI. 13-21. & Num. XV. 37-41. legebant.

Continuatio & absolutio cultus matutini.

XI. Postquam ex conclavi Gazith rediissent, is cui suffitus adolendus, socio suo comitatus, ad templum tendebat, cui quamprimum appropinquarent, signo per מגרפה dato, omnes ad preces in atrio interiori se componebant, & caput stationis etiam impuros mundandos ad portam Nicanoris adducebat. Postquam suffitus, populo interim in atrio preces fundente, in Sancto, eo quo (XIX. §. XVI.) vidimus modo, oblatus, tum quoque reliqui duo lychni (ib. §. XIV.) concinnati essent, Sacerdotibus ex sancto reversis, & in-

gradibus pronai exſpectantibus, membra ſacrificii jugis in ignem mittebantur, tum fertum ſacrificio huic junctum, & poſt hoc cruſtula Pontificis M. (XIV. §. XV. & XIX. ſeqq.) tandem vero inter ſonitum tubarum, & concentum Muſicum a Levitis excitatum, libamen vini offerebatur, (XIV. §. XXXII.) quo peracto, crematis membris ſacrificii jugis, Sacerdotes (XIX. §. XVII.) benedictionem pronunciabant, viriſque ſtationariis cum illis qui ex reliquo populo aderant Deum celebrantibus, Sacerdotibus atque Levitis denuo tacitas preces fundentibus, quin & omnibus ſine diſcrimine ſe coram DEO incurvantibus, cultus matutinus finiebatur.

XII. Hoc finito *ſacrificia privata*, ſive debita ſive ſpontanea, ſi quæ eſſent, offerebantur, quem in finem ignis in foco majori adaugebatur, quo ſacrificium juge eo citius conſumeretur, quæ ad impurorum mundationem aut alias in templo fieri æquum erat, peragebantur, tandemque Sacerdotes & Levitæ prandium ſumebant. *Oblatio ſacrificiorum privatorum &c.*

XIII. Poſt meridiem ad *cultum veſpertinum* omnia præparabantur, cui ſcriptura tempus בין הערבים *inter duas veſpe-* *Cultus veſpertini tempus.*

vesperas assignat Exod. XXIX. 39. seqq. quo omnium optime intelligitur tempus, ex quo sol occidere incipit, usque ad ejus occasum, seu inde a nona circiter aut nostra tertia pomeridiana, usque ad undecimam seu nostram quintam, unde & Judæi asserunt, ordinario agnum vespertinum mactatum hora octava cum dimidia, nona vero cum dimidia oblatum, quod tempus a munere in eo oblato מנחה appellari solet. Esr. IX. 4. 5. coll. Dan. IX. 21.

Personæ illum observantes. XIV. *Personæ* cultum hunc exercentes, eædem erant quæ matutinum obierant, præterquam quod ad suffitum, si qui nunquam antea munere hoc functi adessent, novus sorte eligeretur, tali vero non exsistente, prior & ad hanc functionem revertebatur.

Cultus ipse. XV. Cultus ipse cum matutino in plerisque conveniebat, ordo tamen nonnihil variabat, cum sacrificium juge vespertinum suffitum, suffitus concinnationem lychnuchi præcederet, hunc autem demum oblatio libaminis sequeretur, nec semper finito hoc cultu, ut mane benedictio (XIX. §. XVII.) pronunciaretur.

Ministrorum ... XVI. Vasis mundatis, omnibusque in locum suum ordine repositis, quin & con-

consumtis a Sacerdotibus תרומות qui die illo ministraverant, accedenti novæ domui Patrum claves tradebant, munereque discedentes, in urbem descendebant, relicto in altari sacrificio jugi, quod per totam noctem ardebat. Lev. VI. 9. Sacerdotibus tamen si vellent etiam in templo pernoctare licebat.

Stationariorum ex templo discessus.

XVII. Dum hæc Hierosolymis in templo gerebantur, eodem tempore in locis a templo remotis, singulis diebus in Synagogis quoque cultui sacro vacari solebat: imo illo destructo, ad has omnis publicus cultus, qui extra templum exerceri potest, translatus est. Ordinarius cultus consistit in precibus mane, post meridiem, & vesperi fusis, quarum priores sacrificio jugi matutino, pomeridianas & vespertinas seu nocturnas vespertino, & quidam illas oblationi has combustioni per totam noctem duranti respondere volunt.

Cultus quotidianus in Synagogis.

XVIII. Precum matutinarum tempus proprie est ab ortu solis, usque ad horam tertiam, seu nostram nonam matutinam, quo antequam quicquam gustarunt, aut ulla negotia tractarunt, summo studio purgati, loti, bene compositi

Preces matutinæ.

 positi

positi & ציצית seu *fimbriis* instructi, ad Synagogas cum strepitu currunt, easque purgatis calceis, aut crepidis depositis, cum tremore & horrore, recitatis quibusdam versiculis psalmorum ingressi, tum quoque dato minimum obolo pro pauperibus, ad preces se præparant. Harum varias formulas, stantes *phylacteriis* תפלים manui & fronti applicatis, capite vero tecto & טלית velato, partim secum tacite, partim præeunte שליח צבור, una cum שמע, formula קדיש variisque benedictionibus nec non diris in apostatas & Christianos, recitant, aut a Ministro prælectas particula *Amen* vel δοξολογίαις quibusdam confirmant.

Benedictio. XIX. Peracto hoc officio matutino quondam *Sacerdotes* stantes in gradibus coram armario prælectam a שליח צבור *Legato Ecclesiæ*, ordinariam *benedictionis* formulam, vel Sacerdotibus deficientibus, eorum loco ipse *Legatus* pronunciabat, ubi tamen Judæi observant, in Synagogis in hoc actu, manus non ultra humeros elevatas, nec nomen יהוה sed אדני pronunciatum, nec integram formulam sine intermissione, sed tria ejus membra, tribus distinctis intervallis, populo ad unumquodque

Amen

Amen reſpondente, recitata eſſe. Tandem ſubjuncta adhuc a שליח צבור alia oratione concio dimittebatur, & unusquisque vel ſcholam prius adibat, vel domi ſtudio legis operam dabat, antequam ad negotia ſua ſe conferret.

XX. Poſt meridiem iterum conventus agebatur in Synagogis, ubi tempore *minchæ* (Supr. §. XIII.) poſt decantatum ſedente populo Pſal. LXXXIV. 5. & CXLV. 1. &c. & recitata, ſtante legato Eccleſiæ & cœtu, formula קדיש variisque precibus & ſupplicationibus convenienti corporis habitu fuſis, ſacra veſpertina aut nocturna ſequebantur, conſtantia præter varias formulas & benedictiones, recitatione *Schema* cum eulogiis veſpertinis, nec non precibus, quæ tandem omnes ſolemni formula kaddiſch claudebantur. Hæc autem ſacra veſpertina, uti a veſpera ad auroram usque per totam noctem celebrari poterant, ita cum maxime ordinario cum ſacris pomeridianis, proxime ante ſolis occaſum celebratis, conjungi ſolent, quibus peractis domum revertuntur. *Preces pomeridianæ & veſpertinæ.*

XXI. Præter hunc ordinarium cultum non ſolum Sabbatho, ſed & ſecundo *Lectio S. Scripturæ*

 cundo

tribus septimanæ diebus. cundo & quinto hebdomadis die, qui a solemniori conventu ימי הכניסה *dies conventus* appellantur, lectio sacri codicis in Synagogis instituebatur, quod ab Esra introductum asserunt, ne tres continui dies absque legis studio præterirent. Lectio his diebus tantum mane, fusis precibus ordinariis & subjuncta formula קדיש ex lege peragebatur, & quidem ex Parascha sequentis Sabbathi, cujus decem ad minimum versiculi, plerumque a tribus lectoribus, prælegebantur. Cum autem vel hinc pateat, illam quasi præparatoriam ad sequens Sabbathum fuisse, de circumstantiis in legendo observandis, inter cerimonias Sabbathicas propius agemus.

Præparatio ad celebrationem Sabbathi. XXII. Ad Sabbathum die præcedenti sc. veneris, qui idcirco ערב שבת *vespera Sabbathi* audit, solemnis fiebat præparatio. Exod. XVI. 5. Quo pertinet *lotio*, *unguium resectio*, in Viris quoque *tonsura*, in mulieribus *capillorum pectinatio & concinnatio*, *cultrorum politio*, *vestium Sabbathicarum perquisitio*, præcipue vero *ciborum exquisitissimorum potusque* ad triplices epulas *præparatio* Exod. XVI. 23. & caloris illorum conservandi cura, *mensæ instructio*, maturus

turus

turus ad omnia hæc peragenda *reditus* in domum, unde die veneris non nisi 3 milliarium iter permittitur, & denique *lucernarum* Sabbathicarum *accensio*, quæ a fœminis, subjuncta singulari benedictione, fieri consuevit.

Mixturæ Ciborum, terminorum & atriorum.

XXII. Quod si vespera Sabbathi incideret in diem festum, quo cibos parare non licebat, die Jovis tam in hunc quam subsequens Sabbathum parandi erant, atque tum cibos Sabbathicos, ipso festi die coquere licebat, quod עירוב תבשילין *mixturam ciborum* vocant. Si quis etiam Sabbatho ulterius quam per 2000 cubitos progredi cuperet, die Veneris cibum pro duabus epulis, ad locum quendam intra iter Sabbathicum, ab ædibus suis dissitum, deferebat, ubi Sabbatho cibum sumeret, unde tum adhuc ipso Sabbatho iter 2000 cubitorum instituere licebat, atque hoc עירוב תחום vel עירובי תחומין *mixturam terminorum* appellare solent. Denique si omnes diversarum ædium commune atrium habentium, incolæ, ab una domo aliquid in aliam, die Sabbatho educere vellent, quo alias Sabbathi quies violaretur, in uno loco communem cibum, quo omnes Sabbatho uterentur,

 de-

deponebant, quo credebant se ex variis locis privati Dominii, locum Dominii communis efficere, quale quid עירוב חצרות *mixturam atriorum*, & si integræ urbis incolæ id faciant שיתוף *associationem* nuncupant. Invertio harum mixturarum עירובין Salomoni tribuitur. Ut autem Paterfamilias certus esset, in præparatione ciborum *placentam* sublatam, tum quoque ut justo tempore candelæ incenderentur, appropinquante Sabbatho, sed cum adhuc aliquantum diei superesset, interrogabat עשרתם *decimastisne?* dein jubebat הדליקו את הנר *accendite lucernam*, nonnunquam & priori interrogationi subjungebat עירבתם *instituistisne mixturam?*

Sabbathi proclamatio.

XXIV. Postquam tempus illud advenisset, quod בין הערבים *inter duas vesperas* appellant (v. Supr. §. XIII.) sexies *clangore tubæ* signum dari solebat; & quidem ter ad quietem ab operibus annunciandum, scilicet 1. ad cessandum a fodiendo & arando, 2. ad claudendas officinas, 3. ad ollas ab igne removendas, ter vero להבדלה seu ad discrimen inter tempus sacrum & profanum indicandum, quod in templo e מוסך השבת *tecto Sabbathi* (c. VIII. §. XXI.

§. XXI.) fieri solebat, cum maxime vero ejus loco ædituus circumire & proclamando omnes admonere solet, ut a labore cessent & להכנסת כלה *ad ingressum sponsæ* se præparent.

XXV. Ad Sabbathum debite transigendum, Judæi non solum in ejus honorem vestes pretiosissimas, quas habent, induunt, sed & animo læto & a curis libero se totos gaudio tradunt, genio largiter indulgent, ter lautissime epulantur, sæpe quoque illo nuptias celebrant, tristitiam vero & jejunium (nisi forte ob infaustum somnium) plane exsulare jubent, atque hac ratione se Sabbathum appellare ענג Jes. LVIII. 13. existimant. ***Sabbathi celebratio.***

XXVI. Ex lege autem divina Sabbathi celebratio præcipue in sanctificatione & quiete ab omni *opere servili*, consistebat Exod. XX. 10. Jer. XVII. 22. atque hæc quidem tanto rigore observari debebat, ut violatio ejus morte punienda esset. Exod. XXXI. 14. 15. XXXV. 2. & Num. XV. 32. Sub hac quiete Hillelis schola intelligit שביתת אדם *quietem hominum* & שביתת בהמה *quietem pecudum*, quibus Schammæi sequaces שביתת כלים *quietem vasorum* addunt. Alias Judæi opera Sabbatho ***Sanctificatio & quies.***

 probi-

prohibita duplicis generis faciunt, graviora, dicta אבות מלאכות *patres operum*, ut ſunt *ſerere*, *arare*, *metere &c.* quorum XXXIX numerant, & leviora תולדות *proles* appellata, quæ prioribus quodammodo ſunt ſimilia, ut *fodere*, quod ſpecies arationis, *ſpicas vellere*, quod meſſi ſimile eſt &c. conf. Matth. XII. 1. 2.

Nonnulla opera licita. XXVII. Excipiuntur tamen ab hac quiete opera cultus publici Sabbatho non minus quam reliquis diebus obſervanda, unde Judæi aſſerunt אין אסור שבות במקדש conf. Matth. XII. 8. Eadem illorum ratio eſt, quæ ab ipſo Deo certo tempori alligata ſunt, ut *Paſchatis*, *circumciſionis*, unde talia ut Magiſtri loquuntur, דו היום את השבת *pellunt Sabbathum*. Quid quod extra cultum ſacrum quoque, non tantum ad opem ægrotis ferendam, ſed & hominem in vita conſervandum, aut quædam amoris officia proximo exhibenda, imo ipſis beſtiis aliquo modo ſuccurrendum conf. Luc. XIII. 15. & XIV. 5. aut ſemet ipſum contra hoſtium vim defendendum, quietem hanc violare licebat, quod ultimum, cum quondam Judæi admittere nollent, magna tandem ſuorum clade edoctus

edoctus Mattathias licitum pronunciavit.

XXVIII. Cum opere quoque *iter* prohibitum erat Exod. XVI. 29. ita tamen ut ad certam distantiam progredi fas esset, quæ *σαββάτου ὁδὸς via Sabbathi* dicitur, Actor. I. 12. & a Judæis ad *bis mille cubitos* determinatur. Origo ejus ex deserto repetenda videtur, ubi Sabbatho ad tabernaculum conveniendum erat, quod æquali spatio a castris Israelitarum distabat Jos. III. 4. eadem autem ratione dein ab omni loco aut urbe, sive majore sive minore, tanto intervallo progredi licebat, non annumerato spatio quod quis per ipsam urbem prius emensus esset. Iter hoc ad mensuram aliorum populorum exactum, pro varia stadiorum magnitudine 6. 7. vel 8. stadia æquat, pro nostra autem supputandi ratione, *quadranti horæ* vel *octavæ parti milliaris Germanici* respondet, quod qui excederet, flagellationis pœnam incurrebat. Lucem hinc accipit Matth. XXIV. 20. nonnulli tamen Judæorum urgente necessitate fugam etiam longiorem Sabbatho licitam esse, Davidis exemplo probare satagunt.

Iter Sabbathicum.

Cultus Sabbathicus in templo. XXIX. Sabbatho in templo, porta Nicanoris aperta, cultus paulo serius quam alias, scilicet orto jam die incipiebat. Post oblatum sacrificium juge matutinum, sequebatur *addititium Sabbathi*, duo agni unius anni in holocaustum cum fertis & libaminibus suis, qui ad septentrionem mactati, sparso sanguine, a XVI Sacerdotibus offerebantur, quorum VIII, circa unumquemque agnum occupabantur, ita ut sex agni membra, unus fertum, unus vero libamen offerret. Inter libandum hoc die, ut ordinario, tubæ inflabantur, & symphonia musica audiebatur, in specie vero in memoriam Sabbathi, Psalmus XCII concinebatur.

Illatio panum facierum & remotio veterum. XXX. Oblato sacrificio addititio *Panes* novi *propositionis* præcedenti die, nisi is festus esset, parati, a quatuor Sacerdotibus una cum acerris novi thuris in Sanctum inferebantur, eodemque tempore, quo quatuor alii Veteres cum thure de mensa tollebant, in eorum locum reponebantur. Lev. XXIV. 8. Elati, postquam thus geminis acerris a totidem Sacerdotibus sorte designatis, ad altare delatum, & in foco unde prunæ ad suffitum petebantur,

bantur, crematum esset, Sacerdotibus solis, excepto casu plane extraordinario 1 Sam. XXI. 6. & Matth. XXII. 4. in cibum cedebant, ita ut Pontifex si vellet, 4 aut 5 saltem non ultra dimidiam partem caperet, reliqui, aut si Pontifex, (ut plerumque faciebat) nihil inde sumeret, omnes inter ephemeriam discedentem & accedentem dividerentur, & ab illa quidem ad meridiem, ab hac ad septentrionem comederentur. Remotio autem calamorum, novaque eorum dispositio non pellebat Sabbathum, unde prior vespera Sabbathi, posterior die Sabbathum sequente fiebat. Sabbatho quoque ephemeria, quæ proxima hebdomade ministerio functa erat, pronunciata singulari benedictione ex templo discedebat, & nova succedens munus suum auspicabatur. 2 Reg. X. 6. & 2 Chron. XXIII. 4.

Inchoatio Sabbathi in Synagogis.

XXXI. In Synagogis non minus cultus sacer Sabbatho maxime vigebat, quem in finem se quoque vespera diei Veneris eo, jam mature conferebant, & recitatis precibus, imprimis decantata oratiuncula ברכו Sabbathum inchoabant, qua animabus in purgatorio non leve refrigerium afferri,

ferri, stulta sibi superstitione, Judæi in hunc diem persuadent. In nonnullis locis & vini cyathus in gratiam pauperum & peregrinorum consecrari solet. Tandem sacris finitis, sibi mutuo *faustum Sabbathum* precati, domum redeunt. Ubi vero Synagogæ non sunt, קבלת שבת *receptio Sabbathi* in ædibus privatis fieri debet.

Primæ epulæ Sabbathicæ.

XXXII. Hinc sine mora mensæ, jam antea poculo vini, duobus panibus linteo tectis, & apposito sale instructæ, accumbunt. Ubi statim Paterfamilias, oculos in ardentes candelas dirigens, cyatho vini Sabbathum consecrat, dein accepto pane benedictionem pronuncians, eundem inter convivas dividit, primasque cum illis epulas celebrat, quibus absolutis denuo preces fundunt, tandemque lectum petentes, in multam lucem dorminunt.

Lectio Legis in Synagogis.

XXXIII. Sequenti mane populo ad Synagogas reverso, precibusque finitis, celebris illa jam ἀφ᾽ ἡμερῶν ἀρχαίων Act. XV. 21. *legis lectio* instituebatur, & quidem ex volumine summa veneratione ex armario deprompto, a septem successive lectoribus, quibuscunque quidem, at legendi peritis, &

a Cha-

a Chaſane evocatis, inter quos tamen dignitatis ordo obſervabatur, ita ut 1. legeret *Sacerdos*, 2. *Levita*, 3. ח״ח *diſcipuli ſapientum* qui cœtui præerant, 4. ח״ח *diſcipuli ſapientum* alii, munere hoc digni, 5. priorum *filii* 6. ראשי כנסיוש *capita Synagogarum* 7. כל העם *quivis ex populo.* Horum quisque certam Paraſchæ Sabbathicæ partem legebat, quod ſi ſeptem legendi periti non adeſſent, officium hoc a paucioribus, quin & ab uno, per ſeptem intervalla peragi poterat.

XXXIV. Cum autem Antiochus Epiphanes lectionem legis ſevere interdixiſſet, ejus loco הפטרות ſ. *Pericopas Prophetarum* Sectionibus legis quodammodo reſpondentes legi cœptas volunt, dein vero interdicto hoc ceſſante, morem ſervatum, ut poſt abſolutam Legis lectionem, Pericopa prophetica prævia δοξολογίᾳ ſubjungeretur. Act. XIII. 15. *Lectio prophetarum.*

XXXV. Lectio tam legis quam Prophetarum fieri quidem debebat *ſermone hebraico*, ſed cum is tractu temporis apud Judæos in deſuetudinem veniſſet, introducta eſt conſuetudo, ut המתרגם *Interpres*, Lectori adſtans, *Interpretatio.*

ſtans, verba prælecta, lingua populo cognita redderet, & quidem ea ratione, ut in Lectione Legis, ſingulis commatibus, Prophetarum autem tribus demum commatibus lectis, interpretatio adderetur. Cum autem origine Judæi aut proſelyti ex gentibus, qui Græce tantum non hebraice ſcirent, ad hanc interpretationem æque ac in vulgari ſermone, lingua Græca uterentur hinc illis ἑλληνιςῶν *Helleniſtarum* nomen datum videtur. Act. VI. 1. IX. 29. & XI. 20.

Oratio ad populum. XXXVI. Peracta lectione Prophetarum, nonnunquam ſtatim ſubjunctis 4 δοξολογίαις & benedictione, cœtus dimittebatur, nonnunquam vero ante harum pronunciationem adhuc ab הדרשן *Oratore* quodam, ſermo ad populum habebatur. Luc. IV. 16. & Act. XIII. 15.

Finis Sabbathi. XXXVII. Matutinis ſacris finitis, quæ ultra horam ſextam ſeu meridiem protrahenda non erant, domi ſecundæ epulæ celebrabantur, poſt quas nonnulla opera ſtudio legis impendebatur, tempore Minchæ autem Synagoga iterum frequentabatur, ubi quod aliis diebus non fiebat, denuo in gratiam tabernariorum lex prælegebatur,

preces

preces vespertinæ fundebantur, tum singulis domum reversis durante adhuc Sabbatho tertiæ epulæ agitabantur. Tandem Sabbatho exeunte, accensa נר הבדלה *lucerna separationis*, ut & præparata pyxide aromatibus plena, Paterfamilias domi, & in gratiam pauperum atque peregrinorum præcentor in Synagogis, cyatho vini הבדלה *separationem* inter tempus sacrum & profanum faciebat, qua peracta, nova septimana precibus quibusdam inchoabatur, & ad opus redire licebat. Mensam quæ exeunte Sabbatho denuo instruitur & pernoctem relinquitur, cantilenas precesque nocturnas & alias minoris momenti cerimonias non moramur.

XXXVIII. In Noviluniis æque ac Sabbathis, tubis clangebatur, tum quoque porta Nicanoris aperiebatur. Ezech. XLVI. 1. Eadem habebant sacrificia addititia, post sacrificium juge matutinum offerri solita. Sunt hæc duo juvenci, aries cum VII agnis in holocausta & hircus caprarum pro peccato, cum fertis & libaminibus suis Num. XXVIII. 11. Circa singulos juvencos XXIV. circa arietem XI. circa singulos agnos VIII Sacerdotes occupaban-

Noviluniorum celebratio in templo.

pabantur: cum oblatione libaminum æque ac alias concentus musicus conjunctus erat. Num. X. 10. omnibus autem his sacrificiis oblatis immolabantur & alia quæ privati sive ex voto sive peculiari pietate adduxerant.

In Synagogis. XXXIX. In Synagogis, recitatis precibus ordinariis, nec non addititiis noviluniorum, quatuor Lectores a ministro evocati legem prælegebant, at sine haphtara prophetica.

In ædibus privatis. XL. Præcipue autem gaudio Novilunia transigenda erant, unde jam inde ab antiquissimis temporibus, domi suæ læta instruebant convivia 1 Sam. XX. 5, 18. 25. imo cum maxime Judæi luctu atque jejunio procul facessere jussis, ludendo, jocando, genioque indulgendo tempus terunt, cessationem autem ab omni opere fœminis tantum concedunt, viris minus necessariam credunt, abstinere tamen & hi ab operibus gravioribus solent.

CAP.

CAP. XXI.

De Ritibus atque cerimoniis in reliquis feſtis uſitatis.

I.

Præparatio ad tria feſta majora.

Uti præcipua trium feſtorum majorum (XII. §. X.) erat ſanctitas, ita jam XXX diebus ante, ſeu integro menſe, ad illa fiebat præparatio, & de ritibus ſequentis feſti differebatur. Quinto decimo autem die ante feſtum (quem quod dimidium horum XXX dierum conſtitueret, פרוס ſequentis feſti appellatum volunt) decimatio pecorum inſtitui & pecunia ex Gazophylacio, in uſum publicum ad inſtans feſtum, peti ſolebat. (vid. I. XIII. §. XXXII. & VIII. §. XV.)

Inprimis ad feſtum Paſchatis.

II. Inprimis inde a XV menſis Adar ſ. XXX diebus ante feſtum Paſchatis, pontes, viæ, aliaque publico uſui adſcendentium ad feſtum, inſervientia reparabantur, ſaxa a puteis removebantur, ſepulchra calce pingebantur, quin & mulieres adulterii ſuſpectæ, ſi quæ eſſent, potabantur, vacca rufa, ubi opus erat, comburebatur, & au-

res ſervorum perforabantur. Propior autem præparatio duobus aut tribus diebus ante, per vaſorum ſedulam mundationem הגעלת כלים inſtitui ſolebat.

Solemnia feſtis bis communia. III. Ad ſolemnia feſtorum horum quod attinet, quædam omnibus tribus communia, alia ſingulis propria erant. Priora, quæ lex exigit, Judæi ad tria capita redigunt, quæ ſunt 1. ראייה *Præſentia*, qua omnes mares ex univerſa terra tenebantur Hieroſolymis in templo ſemet Deo præſentes ſiſtere, & quidem cum holocauſto ex quadrupedibus עולת ראייה dicto. Exod. XXIII. 14. ſeqq. Excipiebantur autem ab hac obligatione mulieres, ſurdi, cœci, ſtulti, ægroti, pueri, decrepiti & quotquot pedibus Hieroſolymam ire non poſſent 2. הגיגה *Celebritas* aut *feſtivitas*, qua feſtum hoc tranſigendum, & primo feſti die ſacrificia ſalutaria שלמי חגיגה ex quadrupebibus, ſive maſculis ſive fœminis, offerenda, quæ ab obligatione etiam חובת חגיגה *debitum celebritatis* audiunt. 3. שמחה *Lætitia, hilaritas* coram facie Dei Deut. XVI. 14. & XXVII. 7. ad quam promovendam faciebant convivia ex ſacrificiis *ſalutaribus hilaritatis*

שלמי שמחה, quæ poterant inſtrui non ſolum ex rebus profanis, ſed & votis & decimis animalium. Ad hæc ſacrificia præter mares etiam fœminæ tenebantur, nec tantum primo feſti die, ſed &, ſi illo neglecta eſſent, ſex ſequentibus legitime offerebantur. Tribus his ſacrificiorum generibus nulla quidem in lege, prioribus tamen duobus מדרבנים *a magiſtris* certa menſura ſtatuta eſt.

IV. Privati quoque oblationes ſuas differre ſolebant usque ad unum ex tribus feſtis majoribus, quo ipſis Hieroſolymam adſcendendum erat, & præcipue ad Paſcha, quin & rei ad illud potiſſimum tempus ſervabantur, quo in majori hominum frequentia, his exemplis major aliis metus incuteretur. Deut. XVII. 13. & XIX. 20. Dimiſſio vero rei Matth. XXVII. 26. ſive ad lætitiam feſti augendam, ſive in memoriam liberationis ex Egypto, ſerioribus demum temporibus introducta videtur.

Sacrificia privata & ſupplicia eo usque dilata.

V. Omnes porro ephemeriæ tribus his majoribus feſtis miniſterio fungi poterant, præterquam quod ephemeria hebdomalis ſacrificia pro univerſo cœtu, ut juvencum ob errorem populi

Ephemeriarum omnium in illis æquale jus.

puli offeret. Hinc omnes quoque ad portiones ſacrificiorum feſtalium, ac fertorum, imo & ipſorum panum propoſitionis, æquale jus habebant.

Ritus in feſto Paſchatis.

VI. *Ritus* in feſto *Paſchatis* alii erant *privati*, a ſingulis Iſraelitis eorumque familiis, alii *publici*, univerſi populi nomine obſervandi. Priores duo ſunt, & partim circa *panes azymos*, partim circa *agnos Paſchales*, poſteriores circa oblationem manipuli verſantur.

Panes azymi.

VII. Cum Deus omne omnino *fermentum* in Paſchate proſcripſiſſet, Exod. XII. 15. 19. Paterfamilias nocte diem XIV Niſan præcedente ſumma cura ad lumen candelæ totam ædem luſtrans, illud conquirebat, conf. 1 Cor. V. 7. quod ſequenti die circa meridiem comburebatur, a quo tempore, amplius fermentato veſci, ſub pœna verberum nefas erat. Mane quoque hujus diei *placentas azymas* מצות plerumque ex farina triticea ſine ſale & oleo, affuſa tantum מי מצוה *aqua præcepti*, & ſeparata prius חלה *placenta*, mulieres parabant. Integrum hunc diem primogeniti jejunio tranſigebant, reliqui hora matutina quarta ſeu noſtra 10, ultimum prandium cum pane fermentato ſumebant, uſus azymorum

rum autem cum cœna paſchali nocte diei XV incipiebat, & per ſeptem continuos dies ſequentes durabat.

VIII. Ad agnos Paſchales quod attinet, ſingulæ Iſraelitarum familiæ, aut ubi illæ conſumendo agno pares non eſſent, duæ aut plures in unam ſocietatem חבורה Φρατριὰν coëuntes, pecudem maſculam annuam ex agnis aut capris, inter duas veſperas die XIV Niſan mactabant, & detracta pelle integram, nullo etiam oſſe fracto Exod. XII. 46. Num. IX. 12. coll. Joh. XIX. 36. ad ignem torrebant, ſicque nocte ſequenti cum pane azymo & oleribus comedebant, Exod. XII. 2 Chron. XXXV. 13. Unde ex numero agnorum, haud difficulter numerus Iſraelitarum colligi potuit. *Agni Paſchales.*

IX. Non leve tamen in his diſcrimen ſe offert inter *Paſcha Ægyptiacum*, & *ſequentium generationum* (XII. §. XV.) Nam *in Ægypto* agnus jam 10 die Niſan ſeparatus, & dein poſt mactationem, ſanguis mediante faſciculo hyſſopi, ſuperliminari & duobus poſtibus ædium eſt adſperſus, adeps vero in altari non combuſtus, tum quoque de carne promiſcue puri æque ac impuri comederunt, idque cum ſumma feſti- *In Ægypto.*

 natio-

natione, accincti, calceati & baculis inſtructi, ſed ſine hymno, ſine cœtu, & in loco profano, denique nemini nocte illa domo ſua egredi licuit. v. Exod. XII.

Generationibus ſequentibus. X. In *Paſchate* autem *ſequentium generationum* ſeparatio ſæpe ſecundo demum vel tertio die ante feſtum, mactatio vero non niſi in atrio poſt ſacrificium juge veſertinum, ab ipſis Iſraelitis, ad id tribus catervis per vices eo intromiſſis, fiebat, ſacerdotibus interea temporis tubas inflantibus, Levitis vero hymnum ſeu Pſalmos CXIII - - - CXVIII concinentibus, Jugulati agni, ſanguine altari adſperſo, baculis tenuibus ex humeris ſuſpenſi excoriabantur, exemtisque & crematis ablegminibus, pellibus iterum involuti, ad locum cœnæ Paſchali deſtinatum, a Dominis portabantur, ubi ut Judæi teſtantur, ſinguli transmiſſo a ſummo ad imum veru ex ligno malogranati, alioque ligno transverſo, in formam crucis, per armos adacto, in furnis lateritiis, ollæ formam referentibus, & in ſuperiori parte פה *ore*, in inferiori *foramine* עין inſtructis, ſuſpenſi, propendentibus viſceribus, ad ignem aſſabantur.

XI.

XI. Poſtquam tenebræ obortæ eſſent, menſæ accumbebant, idque non niſi puri, ubi ſtatim primum calicem vini, gratiis per Patrem familias, aut alium quendam ad id electum convivii præſidem, quem קורא הגדה appellant, actis, exhauriebant, tum ablutis convivarum manibus, menſa dapibus paſchalibus onerabatur. Conſtabant illæ placentis quibusdam *panis azymi*, tum *herbis* quinque generum חזרת· עולשין· תמכא· הרחבינה· מרור·, præcipue vero גופו של פסח *corpore agni Paſchalis* toſto, quibus tandem Judæi alios *cibos elixos*, nec non *pulmentum* craſſum חרוסת ex *ficubus*, *piſtaceis*, *dactylis*, *uvis* aliisque fructibus, cum quibusdam *condimentorum*, fruſtis, in memoriam luti Ægyptiaci & paleæ, jungunt. ***Cœna Paſchatis apparatus.***

XII. Sic adornata menſa guſtatis herbis amaris cum oxybapho, pueris in rituum rationem inquirentibus, Pater familias aut Præſes convivii illos fuſe exponebat, tum paſchatis, herbarum amararum & panis azymi, quæ Patres in Egypto comederant, mentione ad ſingulas patinas horum recordationi dicatas, injecta, recita- ***Cœna ipſa.***

bat Psalmum CXIII & CXIV. subjunctaque benedictione secundum poculum vini bibebat: Dein ablutis iterum manibus sumtisque duabus placentis azymis, alteram in duas partes fractam alteri imponebat addita *εὐλογία* conf. Matth. XXVI. 26. tum iisdem inter convivas divisis, a singulis portio sive nuda sive involuta herbis amaris, condimento crasso חרוסת immissa, comedebatur, conf. Matth. XXVI. 23. Hoc peracto caro sacrificii חגיגה diei XIV, & post illam denique agnus Paschalis prævia benedictione dividebatur, ita ut hujus ad minimum singuli magnitudinem olivæ, ut Judæi sciscunt, acciperent, qua absumpta nihil amplius degustabatur, sed Præses denuo lotis manibus prævia benedictione tertium calicem כוס הברכה *ποτήριον τῆς εὐλογίας* dictum conf. Matth. XXVI. 27. 1 Cor. X. 16. & tandem recitatis ultimis quatuor Psalmis *τοῦ Hallel*, sc. CXV - - CXVIII. & ברכת השיר *benedictione cantici*, quartum כסא הללה *calicem Hallel* propinabat: Si quis vellet, poterat adhuc quintum poculum cum recitatione *magni Hallel* subjungere. Omnibus his ante mediam noctem peractis, cœnæ finis impone-

ponebatur, quod ſi quid de agno manſiſſet reliquum, cum oſſibus & quicquid porro eſui minus aptum erat, igne comburi debebat.

Hodierni ritus. XIII. Hodie ſacris in Synagoga peractis, ſera nocte domum reverſi, ad menſam ſimili modo inſtructam, eadem ratione cœnam celebrant, niſi quod cum nec agnum Paſchalem nec ſacrificia חגיגה cum maxime habeant, duas carnis ſpecies, in nonnullis etiam locis armum agni vel hœdi tenerioris aſſum, cum ovo indurato apponunt, tum quoque particulam placentæ aſſervatam לאפיקומן εἰς ἐπίκωμον ſeu ad *menſas ſecundas* poſt reliqua omnia deguſtant.

Paſcha ſecundum. XIV. Si quis leviori & ad occaſum ſolem tantum durante impuritate eſſet inquinatus, ejus nomine alius purus Paſcha mactare, Dominus vero de nocte id comedere poterat. Si autem graviori impuritate laboraret, aut ob cauſſus ſonticas Hieroſolymis comparere non poſſet, die XIV menſis ſequentis *Paſcha ſecundum* (ſupr. XII. §. XIV.) illic celebrare debebat. Num. IX. 9. Differt autem hoc ex ſententia Rabbanitarum, in eo quod non omnes maſculi eum in finem adſcendere tenebantur, nec

omne fermentum antea abolendum, nec cum ſacrificio חגיגה conjunctum erat, nec inter comedendum hymnus canebatur, tum quoque quod partem quandam agni ex ſocietate efferre licebat, & non niſi unicum diem durabat.

Septem dies azymorum.

XV. Paſchatis primi feſtivitas autem per VII ſequentes *dies azymorum* continuabatur, quibus omnibus poſt ſacrificium juge matutinum, addititia feſti hujus, duo juvenci, aries & ſeptem agni unius anni cum ariete pro peccato, nec non fertis & libaminibus, & poſt illa, ſacrificia ſpontanea immolabantur. Lev. XXIII. 8. & Num. XXVIII. 19. Horum autem dierum primus & ultimus ימים טובים *maxime feſti*, & omnimoda quiete tranſigendi erant, & primo quidem poſt addititia, a ſingulis Iſraelitis in atrio comparentibus, ſacrificia ſalutaria *præſentiæ*, *feſtivitatis* & *hilaritatis* (ſupr. §. III.) offerebantur, hisque demum ſpontanea ſubjungebantur. Ex ſacrificiis ſalutaribus dein Domini epulas (ſupr. XIII. §. LVI. ſqq.) inſtruebant. In Synagogis quoque deſtructo templo cultus ſacer precibus, hymnis & Lectione ſacri

cri codicis a quinque lectoribus instituta observari solet.

XVI. Cerimoniæ universi cœtus nomine obeundæ, sersabantur circa *manipulum paschalem* עומר dictum. Constabat is ex frugibus illo tempore maturis, hordeo scilicet (ut Judæi docent) & quidem ex proventu novo illius anni, in terra Israelitica nato, cujus tria sata publico ære empta, delegati a Synedrio M. circa finem diei XV, Hierosolymis cum falce & corbe exeuntes, transgressique torrentem Kedron, in agro urbi, quantum fieri poterat, vicino, sub initium noctis demetebant, uno ex illis ter interrogante *num sol occidit? num hac falce? hoc corbe? metam?* & si dies esset Sabbathi, *num hoc Sabbatho?* reliquis autem ter ad singulas quæstiones הין *ita* respondentibus. *Manipulus Paschalis.*

XVII. Manipulo hoc ad Sacerdotes in atrium delato, grana excutiebantur, igneque in vase foraminibus instructo אבוב tosta, & vento exposita, probe commolebantur, tum farina per XIII cribra transmissa, decima pars Ephæ floris optimi & tenuissimi educebatur, quæ die XVI, post sacrificia festiva publica, cum logo olei mixta, superimposito thure agitata at- *Ejus oblatio.*

que

que ad altare adducta, postquam pugillus inde sumptus, salitus & cum thure crematus, tum quoque agnus in holocaustum cum fertis & libaminibus suis immolatus esset, Lev. XXIII. 11. & seqq. sacerdotibus omnium ephemeriarum in cibum cedebat, (vid. supr. XIV §. IX. seqq.) Manipulus hic primitias messis constituebat Lev. XXIII. 10. totamque messem sanctificabat (conf. 1 Cor. XV. 20.) ita ut non nisi post ejus oblationem de proventu novo illius anni edere liceret. Post templi excidium, hic dies in Synagogis eadem cerimonia ut præcedens transigitur.

Finis festi hujus. XVIII. Celebrato Paschate singuli Israelitæ domum revertebantur, quod nonnulli ex Deut. XVI. 6. 7. statim mane diei XV, alii nonnisi die tertio festi azymorum, idque tantum in casu necessitatis, ordinario autem demum post septimum azymorum diem factum volunt conf. 2 Chron. XXX. 21. & XXXV. 17. Discedentes autem hospitibus in signum grati animi *pelles* agnorum paschalium relinquere solebant.

Ritus festi Penteco- XIX. Festi Pentecostes in quinquagesimum diem ab oblato manipulo (supr.

(Supr. XII. §. XVI. & XVII.) & 5, 6. vel 7 menſis Sivan incidentis præcipua ceri-monia in oblatione duorum panum *triticeorum* conſiſtebat. Lev. XXIII. 17. ſqq. Hi æque ac manipulus Paſchalis ex proventu novo terræ Iſraeliticæ adduci debebant, quem in finem veſpera diei Pentecoſtes, vel ſi illa in Sabbathum incideret veſpera Sabbathi, ex tribus ſatis tritici, publico ære empti, probe commoliti, & XII cibris cribrati, duæ decimæ farinæ tenuiſſimæ ſeparaban-tur, ex quibus cum aqua calida ſub-actis, addito fermento, duo panes longi 7 palmos, lati 4 & utrinque cor-nibus 4 digitorum inſtructi, cujus nu-meri μνημόσυνον eſt זכ״ר formabantur, qui in atrio dein cocti, in ſubſequens feſtum ſtudioſe aſſervabantur.

ſtes, Præparatio duorum panum.

XX. Ipſo feſti die poſtquam ma-ture ſatis Iſraelitæ, ex univerſa terra Hieroſolymis congregati, in atrio comparuiſſent, ſacrificia publica cum jugi matutino, in univerſum XXV, aut cum jugi veſpertino XXVI offere-bantur, ſcilicet poſt ſacrificium *juge matutinum*, *addititia* XI feſti, eadem quæ in novilunio Num. XXVIII. 27: dein cum panibus, *ſeptem agni* annui, *juven-*

Sacrificia feſti hujus.

juvencus & *duo arietes* in holocaustum, cum fertis suis & libaminibus, *hircus* caprarum in sacrificium pro peccato & *duo agni* annui in salutare. Lev. XXIII. 17. Publica autem hæc, dein sacrificia privata ordinaria supr. §. III. atque illa tandem votiva & spontanea excipiebant.

Oblatio duorum panum.

XXI. *Oblatio panum* inter hæc sacrificia, scilicet post juge matutinum & addititia fiebat, idque ita, ut una cum pectore & femore duorum agnorum salutarium, qui jam antea vivi agitati erant, ad orientem atrii interioris, circa portam Nicanoris, a Sacerdote agitarentur (Supr. XIII. §. XXXVIII. & XIV. §. XIX.) ad altare vero ob additum fermentum non adducerentur, sed uno, Pontifici si vellet dato, altero inter omnium ephemeriarum Sacerdotes diviso, æque ac duo agni, ablegminibus in altari crematis, ut sanctissima a Sacerdotibus in atrio die uno & nocte comederentur. Lev. XXIII. 22. conf. supr. XIV. 23, 24. Panes hi בכורים *primitiva* erant, quibus oblatis demum licebat ferta ex frugibus illius anni ad templum adducere. Lev. XXIII. 17, 20.

XXII.

XXII. Cum maxime in Synagogis bis ex armario librum Legis depromunt, & per quinque lectores præcepta de oblationibus hoc festo fieri solitis, nec non Haphtaram Propheticam prælegi curant. A meridie etiam pro concione in laudem Legis nonnunquam dici, tum quoque historia Ruth die hoc legi solet. *Hodierni ritus.*

XXIII. Nullius festi major celebritas erat, quam *tabernaculorum*. Huc facit primo quod universus Israel per septem dies habitare deberet in tabernaculis (Lev. XXIII. 34, 42.) ex frondibus arborum sub dio structis, & quidem secundum Rabbanitas altis ad minimum X ad summam XX cubitos, tribus parietibus nec non foramine, per quod radii solares incidere possunt, instructis, quarto autem latere aperto: verum hæ circumstantiæ, ut præter scripturam excogitatæ, a Karræis rejiciuntur. *Cerimoniæ festi tabernaculorum.*

XXIV. *Sacrificia* publica addititia quoque hoc festo plura quam ullo alio anni tempore offerebantur, scilicet primo die post sacrificium juge matutinum *juvenci* XIII, *arietes* II & *agni annui* XIV in holocausta cum fertis & libaminibus suis, & *hircus* caprarum in sacri- *Sacrificia ejus.*

sacrificium pro peccato, comedendus a Sacerdotibus. Sacrificia hæc omnibus septem festi hujus diebus repetebantur, præterquam quod singulis successive diebus numerus juvencorum uno semper imminueretur & septimo, non nisi septem juvenci immolarentur. Num. XXIX. 13. seqq. Ex his sacrificiis primo die XVI, scil. XIII juvencos, II arietes & unum hircum, secundo XV &c. a totidem ephemeriis sacerdotum, XIV agnos autem ab octo reliquis, oblatos volunt Sacrificiis publicis, ut in reliquis festis, privata debita, votiva & spontanea subjungebantur.

Gestatio לולב *& mali citrei &c.*

XXV. Non ultima quoque solemnitas consistebat in gestatione פרי עץ הדר seu אתרוג *mali citrei* ut Rabbanitæ explicant, quod sinistra, לולב *fasciculi ramorum*, *Spatha palmæ*, *duobus ramis salicis* & *tribus myrti* constantis, quem in hoc festo dextra gerebant, sicque, singulis septem diebus, si primus esset Sabbathum, alias autem non nisi sex, altare הושענה clamantes semel, at septimo die הושענה רבה dicto, septies circumibant. Quæ quidem Rabbanitæ ex Lev. XXIII. 40. eliciunt, at Karræi illa, licet minus pro-

probabiliter ad constructionem tabernaculorum adhibenda fuisse volunt. A fasciculis illis adhuc distinguunt *ramos salignos*, XI. cubitos altos, quos singulis quoque *septem* diebus, si septimus esset Sabbathum, at sex tantum si alius, altari circumponebant, quo applicant. Ps. CXVIII. 27.

XXVI. Nulla autem festi hujus cerimonia in Rabbanitarum scriptis magis celebratur, quam ניסוך המים *libatio aquæ*, singulis quoque septem diebus instituta. Erat hæc conjuncta cum sacrificio jugi matutino, unde IX circa illud occupatis Sacerdotibus addebatur decimus, qui cantharum aureum צלוחית trium logorum ex fonte Siloah, in magno populi confluxu, aqua replebat, hancque per portam aquarum in atrium interius deferens, clivumque altaris conscendens, ad angulum notozephyrinum simpulo occidentaliori, clamante (saltem serioribus temporibus) populo הגבה ידך *attolle manum tuam*, ordinarium vero vini libamen simpulo orientaliori infundebat. Hunc ritum, licet sub templo II obtinuisse indubium sit, conf. Joh. VII. 37, & nonnulli Jes. XII. 13. alii etiam 2 Sam. XXIII. 16. eo respici velint, *Libatio aquæ.*

X Kar-

Karræi tamen pro humano invento habent.

Cantus, Musica &c. XXVII. Ad oblationem ſacrificii jugis matutini& libationem aquæ, concinentibus tibiis, Levitæ omnibus ſeptem feſti hujus diebus nec non octavo, Hallel ſeu Pſ. CXIII - - CXVIII. alta voce decantabant: ubi cūm ad Pſal. CXVIII. verſ. 25. & ultimum perventum eſſet, populus לוּלָבִים agitabat atque concutiebat. Poſt oblatum ſacrificium juge immolabantur addititia & cum his quoque ſingulis diebus peculiares pſalmi (Supr. XIX. §. XI.) concinebantur. Poſt Sacrificia addititia & primo die etiam poſt ſacrificia feſti privata (§. III.) ſolemnis illa proceſſio populi (§. XXV.) circa altare inſtituebatur, ſicque tandem privata votiva aut ſpontanea offerebantur. De Pſalmis ſingulis diebus cani ſolitis, vid. ſupr. cap. XIX. §. VII.

Gaudium nocturnum. XXVIII. Cum autem ſummo gaudio, quod inprimis ob libationem aquæ requirunt, propter reverentiam feſti de die non ſatis litare poſſent, noctes illi præcipue deſtinarunt. Unde ſtatim poſt oblatum ſacrificium juge veſpertinum primi diei, conveniente in atrio mulierum univerſa multitudine,

dine, quatuor ingentis magnitudinis lychnuchi L cub: alti, & ellychniis ex detritis sacerdotum braccis oleique 120 logis instructi, accendebantur, & tibia resonante, Levitæ in XV gradibus atrii interioris, cum Sacerdotibus artis Musicæ peritis, XV psalmos graduum, tam ore quam instrumentis concinebant: Proceres summæque dignitatis Viri, in conspectu mulierum & plebis accensas faces manibus tenentes, certasque benedictionum formulas pronunciantes, saltabant, nocte intempesta duo Sacerdotes ex interiori in atrium mulierum descendentes ter tubis canebant, canendoque porro ad portam Orientalem progressi, vultu ad templum directo, *Patres quidem illi terga obvertisse, se vero illud respicere* profitebantur. Sic in summam lætitiam, שמחת בית השואבא *gaudium domus haustionis* dictam, quæ tanta erat, ut proverbio locum dederit, effusi, noctem hanc cum sex sequentibus transigebant, præterquam quod nocte Sabbathum & octavum diem antecedente, non canerent aut saltarent.

XXIX. *Octavus dies* a quibusdam festo Tabernaculorum annumeratus (Supr. XII. §. XXI.) nonnulla ut ex dictis *Octavus dies.*

patet, cum septem diebus præcedentibus communia habebat, in quibusdam tamen ab illis differebat, sunt hæc secundum Judæos sex sequentia, voce memoriali פו״ר קש״ב comprehensa, פייס *sors*, qua Sacerdotum opera distribuebantur, זמן *tempus*, רגל *festum*, קרבן *sacrificia*, quæ erant præter sacrificium juge, *juvencus unus*, *aries unus & septem agni annui* in holocausta, cum fertis & libaminibus suis, & *hircus pro peccato*, Num. XXIX. 36. seqq. שיר *Canticum*, ברכה *Benedictio*.

Hodierna festi hujus celebratio.

XXX. Cum maxime, licet quæ templo alligata erant, Judæi observare amplius nequeant, tabernacula tamen struunt inque illis habitant, in Synagogis non solum die XIV sub vesperam, sed & omnibus festi hujus diebus conveniunt, precibus, cantu, lectione Sacri codicis & in specie Paraschaarum legalium, festum hoc respicientium & Haphtararum Propheticarum; Deum colunt, mala quoque citrea & fasciculos gestantes, arcam in medio synagogæ constitutam, ut quondam in templo altare circumeunt. Die septimo festi in primis Deum obsignare sententiam diebus novi anni & expia-

tionis

tionis de ſingulis hominibus latam & de pluviis annique fertilitate ſtatuere, nocte etiam per lunam totius anni eventa ſignificare, ſtulta ſibi credulitate perſuadent, & corporis umbram ad lunæ lumen examinantes fatorum ſuorum auguria impia ſuperſtitione captant.

XXXI. *Feſtum clangoris* ſeu *novi anni* (Supr. XII. §. XXIII.) longe majori ſolemnitate, quam reliqua novilunia celebrabatur. Cum enim in his tantum uterentur tubis, in illo contra per univerſam terram *buccina* שופר ſeu *cornu arietino incurvo* Conf. Pſ. LXXXI. 4. in templo vero *buccina* & *tubis* a mane ad veſperam clangebatur, cujus rei uti variæ rationes redduntur, ita hæc procul dubio veriſſima longeque præcipua eſt, quod triſtior hic buccinæ ſonus hominibus ad reſipiſcentiam excitandis, & ad diem expiationis præparandis, eſſet deſtinatus. Sacrificia hujus diei quoque plura erant quam aliis noviluniis oblata, præter hæc enim inſuper *juvencus* unus, *aries* unus & 7 *agni* annui in holocauſta cum fertis & libaminibus, & hircus caprarum pro peccato immolabatur. Num. XXIX. 2-6. *Ritus Feſti Clangoris.*

X 3 XXXII.

Ejusdem hodierna celebratio.

XXXII. Hodie ex hypothesi, quod Deus hoc festo ad judicium de unoquoque ferendum consideat, integro jam mense, & in primis in quibusdam locis quatriduo ante, peccatorum inquisitione, confessione, precibus, & sono buccinæ mane ac vesperi in Synagogis resonantis, se præparant. Pridie nonnulli, visitata schola fusisque precibus matutinis, sepulchretum suum adeunt, a meridie viri capillos resecant, & in balneo, fluvio aut piscina certis cerimoniis se lavant, vesperi in schola ad noctem usque precibus vacant, tum festum ipsum cyatho vini consecrant, domumque reversi cœnam, in qua caput arietinum, pisces & fructus dulces apponuntur, sumunt. Crastino mane tunicis linteis שרגנים amicti, Synagogam solito maturius adeunt, crebrisque cantilenis & precibus, tum lectione Legis ex libro bis ex arca deprompto, nec non Haphtharæ propheticæ, aliisque cerimoniis matutinum tempus transigunt, domum reversi læto animo prandium sumunt, a quo mox pontem aut aquam adeunt, ut peccata sua eo projiciant. Nocte quoque genio indulgent. Sic duos dies celebrant, cornu

nu arietino in Synagogis ab oriente usque ad occasum solem resonante, nisi si unus horum dierum Sabbathum sit, cornu enim novi anni Sabbathum non pellit.

XXXIII. Postquam octo dies, primum Tisri sequentes, excepto שבת תשובה Sabbatho pœnitentiæ (Supr. XII. §. V.) quod in illos incidit, ulteriori exinanitioni & præparationi ad instans *festum expiationis* (Supr. XII. §. XXVII.) impendissent, tandem ultimo eorum seu nono jam præcipiti, jejunium & quietem, quibus dies expiationis celebrandus, incipiebant. Præparatio autem Pont. M. cujus præcipuæ in festo expiationis partes erant, septem diebus ante fiebat. His enim seclusus in conclavi Parhedrin (supr. c. VIII. §. XX.) quotidie non solum certas cultus sacri partes peragebat, quo in illis redderetur exercitatior, sed & præcipue sub templo II a senioribus Sacerdotibus propius instituebatur, tum etiam in *conclavi Abtines* adjurabatur, ne mores Sadducæorum imitaretur. Die tertio & septimo quoque cinere vaccæ rufæ conspergebatur, denique nocte diem expiationis præcedente parca & sobria cœna excipiebatur, somnusque per

Præparatio ad diem expiationis.

Sacerdotes juniores illi, ob metum pollutionis nocturnæ, excutiebatur.

Sacrificia diei expiationis. XXXIV. Ipsum diei expiationis *ministerium* solito maturius incipiebat, nocte enim media, altare jam decinerabatur, quo ad plurima diei hujus negotia tempus non deficeret. *Sacrificia* in universum offerenda erant XV, quorum XII *holocausta*, *duo nempe agni* sacrif. *jugis*, *juvencus*, *aries*, 7. *agni* festi hujus causa atque *aries* Pontificis, & III *piacularia*, *hirci* duo, quorum unus cujus sanguis in ædem illatus, comburendus, alter cujus sanguis extra ædem sparsus, comedendus erat, & *juvencus* Pontificis. Lev. XVI. & Num. XXIX. 8-11. Omnia hæc erant publica, exceptis duobus ariete & juvenco Pontificis, quæ tamen publicis habebantur similia (supr. XIII. §. XII.) atque adeo immunditiem & Sabbathum pellebant.

Munia Pont. M. XXXV. Omnia hæc sacrificia offerebat, reliquoque simul ordinario cultu fungebatur, claudente utroque latere ejus *Sagane* & ראש בית אב *Capite familiæ ministrantis*, ipse *Pontifex M.* vel eo immundo reddito, qui ipsi substitutus erat (supr. X. §. IV.) idque partim in albis vestibus, quas quinquies per-

mu-

mutabat, totiesque integrum corpus & decies manus & pedes abluebat: posterius hoc non ut alias ex labro æneo, sed מן הקיתון של זהב ex *cothone aureo* factum Judæi asserunt.

XXXVI. Universa autem cultus hujus ratio atque series, se ita, ut Judæi tradunt, habebat. Cum dies illucesceret Pont. M. in *conclavi Happarvæ* communibus vestibus depositis abluto-que integro corpore aureas induebat, dein manibus quoque & pedibus lotis, sacrificium *juge* matutinum mactabat; & adolito *suffitu*, *lychnisque* adaptatis offerebat, cum *crustulis* suis & *libaminibus*, tum *juvencum* & *7 agnos* diei festi causa immolabat, manusque & pedes abluebat. *Cultus ordinarius per illum peractus.*

XXXVII. Postquam vestes aureas exuisset, & loto corpore byssinas induisset, manusque ac pedes abluisset, cultum diei huic proprium incepturus, impositis *juvenco* suo inter pronaum & altare manibus, peccata tam sua quam familiæ confitebatur, tum ad *duos hircos* per omnia quantum fieri poterat sibi similes, & ex ærario publico comparatos inque parte atrii euroaquilonari constitutos progressus, sortem super illis (duos scil. nummos ex pyxide *Oblatio juvenci, projectio sortis super hircis & primus introitus in S.S.*

קלפי ut Judæi testantur) ducebat, qua unus ליהוה *Jehovæ*, alter לעזאזל *secessioni*, Græcis idcirco ἀποπομπαῖος dictus, destinabatur, tum posteriorem alligata capiti *lingua coccinea* לשון זהורית in loco unde emittendus, priorem simili lingua cervici alligata in loco ubi mactandus sistebat. Hinc ad juvencum rediens, nova etiam pro reliquis Sacerdotibus confessione edita, illum mactabat, sanguineque excepto, & alteri ad movendum dato, prima vice in S.S. intrabat cum *suffitu*, cumque illum in πυρείῳ inter duos vectes, coram arca, vel sub templo II super אבן שתיה deposito adolevisset, fusis precibus retrorsum egrediebatur.

Secundus & tertius introitus &c.

XXXVIII. Mox secunda vice cum *sanguine juvenci* ingressus, de illo coram arca digito semel sursum, septies deorsum על הכפרת ולפני הכפרת sub templo II autem deficiente arca, eodem in loco spargebat, vasculoque in Sancto relicto egressus, hircum qui Jehovæ ceciderat, mactabat, & cum ejus *sanguine* mox in S. S. reversus, illo easdem octo sparsiones peragebat, vaseque mox post egressum in Sancto deposito, primum sanguine juvenci & dein hujus quoque hirci, octies coram

velo

velo פרכת spargebat, tum utroque commixto, quatuor altaris aurei cornua, incipiendo ab euroaquilonari, imbuebat; tandemque & ipsam altaris hujus superficiem conspergebat, reliquum autem ad basin altaris exterioris foramini occidentaliori infundebat; sparsiones hæ in universum XLIII numerantur.

XXXIX. Hinc ad emittendum *hircum* לעזאזל *ἀποπομπαῖον* progrediebatur, cui postquam manus imposuisset, & cum peccatorum Israelis confessione, pro universo populo deprecatus esset, Sacerdotesque cum populo benedictionem subjunxissent, illum peccatis populi onustum tradebat *Viro opportuno* איש עתי a quo ex lege educendus אל ארץ גזרה LXX *εἰς γῆν ἄβατον*, quod Judæi stante templo super clivo ex ærario structo, inter vellicationes hirci & convitia in eundem a populo sparsa, ad locum צוק, XC stadiis ab urbe in deserto situm, factum fuisse contendunt, unde retrorsum præcipitatus, & in frusta collapsus sit, ductore ejus ad vesperam usque immundo reddito. Adventum autem hirci in desertum nonnulli statim in templo per agitationem sudariorum, *Emissio hirci ἀποπομπαίου.*

alii

alii per alteram linguam coccineam hirco ליהוה primum alligatam, dein ſuper porta pronai ſuſpenſam, ultimis autem templi II annis in duas partes fiſſam, quarum una inter hirci jam jam cum illa præcipitandi cornua, altera rupi alligata ſit, innotuiſſe volunt, utpote quam impetrata peccatorum remiſſione albam evaſiſſe contendunt. Quicquid autem de lingua coccinea dicitur, non ſcripturæ auctoritate, ſed traditione nititur, licet eo trahatur Jeſ. I. 18. notatu tamen dignum eſt, quod ipſis Judæis fatentibus miraculum albeſcentis hujus linguæ, XL annis ante templi II excidium ceſſaverit.

Combuſtio hirci & juvenci piacularis.

XL. Dum hæc in deſerto gerebantur, Pont. M. eximebat ablegmina *juvenci* & *hirci*, quorum ſanguis in æde ſparſus erat, *carnem* vero inciſam cum pelle, fimo &c. vectibus a Viris puris ad בית שריפה ſupr. XIII. §. LVIII.) portari illicque comburi curabat, qui & ipſi hoc actu polluebantur. Interea temporis quamprimum Pont. M. hircum in deſertum appuliſſe intelligeret, in atrio Mulierum coram populo unam alteramque ſectionem, ut Levit. XVI. & XXIII. 27-32. ex pulpito *legebat* atque VIII. benedictiones pronunciabat.

XLI.

XLI. Lectio illa vel in vestibus byssinis vel in stola alba communi fieri poterat, depositurus autem vestes byssinas, manus & pedes abluebat, tum ad ulterius ministerium totius iterum corporis immersione se præparabat, indutusque vestes aureas post novam manuum & pedum lotionem, offerebat more consueto *hircum piacularem* a Sacerdotibus comedendum, §. XXXIV. &c. c. XIII. §. XX & LVI. & *arietem suum* cum *ariete populi*, tum ablegmina juvenci & hirci qui combusti erant, tandemque sacrificium juge vespertinum, quo peracto manus & pedes iterum abluebat.

Oblationes pomeridianæ & vespertinæ.

XLII. Post depositionem novam vestium aurearum & βαπτισμὸν corporis, byssinis denuo amictus, manusque & pedes lotus *in Sanctum Sanctorum intrabat*, & relictam tempore matutino thuris acerram cum thuribulo repetebat. Atque sic in universum quater secundum Judæos in S. S. est ingressus, quod non pugnat cum Lev. XVI. 34. & Hebr. IX. 7. quia hic ad unum anni diem, non varias ejusdem diei vices, variosque actus respicitur. Reversus autem mox manibus & pedibus, & post byssinarum depositionem, integro cor-

Quartus introitus in S. S. & ministerii hujus finis.

corpore abluto, aureis ultima vice amiciebatur, ut *suffitum* vespertinum adoleret, & *lychnos* accenderet, quod simul ac factum esset, & postremum manus & pedes abluisset, aureasque vestes cum communibus permutasset, ipsum quoque diei hujus ministerium ad finem perductum erat.

Jejunium & pœnitentia hoc die observanda.

XLIII. Integer autem hic dies ab orto sole usque ad occasum omnimoda quiete, rigidissimo jejunio, severissimaque pœnitentia & afflictione sui ipsius a populo transigendus erat Lev. XVI. 29, 31. ita ut qui vel minimum opus faceret aut cibum sumeret, excidii pœnam incurreret, & cum cibo ac potu etiam lotio, unctio, res venerea, & calceorum indutio essent prohibitæ, imo vel ipsis Judæis fatentibus, nullis peccata nisi vere resipiscentibus remitterentur.

Hodierna ad hunc diem præparatio.

XLIV. Cum maxime post templi excidium id in præparatione ad festum expiationis singulare est, quod postquam pridie jam summo mane in Synagoga crebris cantilenis precibusque vacarunt, inde domum reversi, (saltem in quibusdam regionibus, in aliis enim id abrogatum est) mares gallum, fœminæ gallinam, gravidæ utrumque

variis

variis cerimoniis in expiationem mactant, dein cum hac ave ad ſepulchretum ſuum progreſſi, multumque illic precati, pretium galli hujus pauperibus diſtribuunt, a meridie corpus aquæ immergunt, nonnulli candelas in Schola & domi accendendas præparant, tempore Minchæ in Synagoga preces veſpertinas & nocturnas fundunt, offenſorum apud alios veniam rogant, eaque ſibi invicem remittunt, peccata confitentur, ſe mutuo loris cedunt, domum reverſi gallos aut gallinas ſuas cœna ſatis lauta comedunt, qua ante occaſum Solem finita, pretioſiſſimis veſtibus, ſed ſuper illis lineo induſio grandi latoque amicti, Synagogam repetunt, ubi ſceleratis venia datur, vota, interdicta, jurejuranda atque anathemata; ſolvuntur, protractoque in ſeram noctem cantu & lectione domum redeunt, vel in Synagoga pernoctant.

XLV. Primo mane ante lucem omnes illuc reverſi, integro die ibidem manent, preces fundunt, velataque facie in terram ſæpius procidentes, & pectora palmis tundentes, peccata confitentur. Legatus Eccleſiæ cum feſtinatione preces matutinas præit, illisque *Ejusdem celebratio.*

addi-

corpore
amicieb
adoler
simul
manu
veste
ipsu
ad f

Jejunium & pœnitentia hoc die observanda.

o
d
r

Hodi ad b diem par

& XXXIV. 12. instituitur: Pauperibus nummi מעות פורים vel alia dona mittuntur, quo & ipsi læti festum hoc agere queant, imo & ad ipsos Christianos se Judæorum liberalitas extendit.

XLVII. Festum ipsum vespera & nocte, XIV Adar præcedente, in Synagogis inchoant, ubi candelis accensis Legatus Ecclesiæ מגלת אסתר *volumen Esther* singulari ratione scriptum, ab initio ad finem sine intermissione prælegit, omnibus sine discrimine Judæis æque ac proselytis, liberis & servis; senibus & pueris, maribus & fœminis attendentibus, & ad singulam Hamanis mentionem dicentibus ימח שמו *deleatur nomen ejus* aut שם רשעים ירקב *nomen impiorum putrescat!* pueris vero manuum complosione aut scamnorum percussione, ingentem strepitum excitantibus aut ligna vel lapides, quibus nomen *Hamanis* inscriptum, donec id exstinguatur, collidentibus, quin & omnibus, lectione finita maledictionem in *Hamanem Zerasch* & *Idololatras*, benedictionem in *Mardochæum Israelitam* & *Charbona* pronunciantibus. Lectio tamen hæc Megillæ non omni in loco eodem tempore instituitur, [b] sed בכרך die XV, in עיר XIV, in כפר se-

Festi ipsius celebratio.

cundo aut quinto hebdomadis die, festo huic proximo, quod si festum in Sabbathum incidat, lectio Megillæ quoque præcedente quinto hebdomadis die anticipatur. Sequenti mane Paraſcham de Amaleko legunt Exod. XVII. 8. Quod reliquum est, integrum hoc festum in otio & conviviis ad exemplum Esther IX. 18. transigunt, imo semet adeo ingurgitant, ut non amplius inter ארור המן *Maledictus Haman* & ברוך מרדכי *Benedictus Mordechai*, distinguere queant. Inter celebrationem *Purim parvi & magni* (supr. XII. §. XXXIV.) non est discrimen, nisi quoad lectionem Megillæ & dona pauperibus danda.

Solemnia festi Encæniorum. XLVIII. Festum *Encæniorum* (supr. XII. §. XXXVI.) quondam jam summo gaudio, & quidem in templo, cantu τοῦ Hallel per omnes VIII dies, extra illud accensis noctu luminibus, eorumque numero de nocte in noctem adaucto, celebratur. Hæc lucernarum accensio etiamnum, tam ad fores ædium privatarum, quam in Synagoga, ubi & primo die Paraſcha de tabernaculi dedicatione Num. c. VII. prælegitur, cum variarum benedictionum recitatione, observatur, quin & per totum hoc festum, valere jusso luctu atque jejunio, otiando,

do, helluando, ludendo, omni ex parte genio ſtrenue indulgent.

XLIX. Reliqua feſta ab hominibus introducta (ſupr. XII. §. XVIII - XLI.) plerumque tantum in læta obſervatione aut ἀναμνήσει rerum, quarum cauſa inſtituta erant, & abſtinentia a jejunio atque luctu conſiſtebant. Præcipue inter illa colebatur, & in hunc diem uſque colitur חג שמחת התורה *feſtum gaudii Legis* (ſupr. XII. §. XL.) nam veſpera ſ. nocte diem hunc præcedente poſt preces veſpertinas, depromptis ex arca omnibus libris legis, eorum uno, recitatis quibusdam precibus lector ſequente populo, ſuggeſtum circumit, dein in ſuggeſtu tria volumina convolvuntur uſque ad 3 paraſchas, ſequenti die legendas, tum poſt preces & pſalmos quosdam cantatos ex tabernaculis ad ædes redeunt. Proximo mane populo in Synagogam reverſo, & precibus a Legato Eccleſiæ præmiſſis, exempti iterum ex arca omnes libri circumferuntur, reliquisque in arcam repoſitis, exceptis tribus, ex horum uno, ultima Paraſcha Legis per חתן תורה *ſponſum Legis*, ex altero nulla mora interpoſita, prima per חתן בראשית *ſponſum Bereſchis*, ne Satan eos ſtudium Legis abjeciſſe

Ritus in aliis feſtis obſervandi.

cisse calumnietur, ex tertio Parascha de oblationibus Num. XXIX. 35. per המפטיר *qui cœtum dimittit*, legitur. Plures quoque Lectores quam alias hoc die evocantur; pueri objectis pomis aliisque fructibus ad gaudium invitantur, & tandem munera publica in Synagoga plus licitanti venduntur; quando autem libri omnes ex arca exempti sunt, ardens candela illuc reponitur.

Ritus & jura anni Sabbathici. L. Restant ritus & jura festorum post plurium annorum seriem redeuntium, anni nempe *Sabbathici* & *Jubilæi* (XII. §. XLIII. sqq.) Prioris jura ad hæc duo redigi possunt שמיטת הארץ aut הקרקע *quies terræ* & שמיטת כספים *remissio debitorum*. Et terra quidem nec seri nec meti aut alia ratione coli debebat. Exod. XXIII. 10, 11. Lev. XXV. 4. Ceterum ספיחים *sponte nata*, ut communis juris, in agro omnibus & præcipue pauperibus & pecudibus erant relinquenda Exod. loc. cit. & Lev. XXV. 5, 6. præterquam quod quædam horum pars, ab hominibus mercede ex ærario publico ad id conductis, ad manipulum Paschalem & panes Pentecostales servari deberet, & aliquam etiam portionem liceret in proprium usum

do-

domi recondere, ea tamen conditione, ut si nihil amplius horum fructuum in agro inveniretur, illa denuo omnibus exponeretur, quod ביעור *pollucturam* vocant. Debita autem omnia, sex annis proximis contracta, a creditoribus remittenda erant Deut. XV. 2. sqq. quam tamen Legem Hillel per פרוזבול suum magna ex parte elusit. Incipiebat cyclus hujus haptaëridos mense Tisri & quidem exacto primo festi tabernaculorum die, quo tempore lex a Rege publice prælegebatur, (infr. Part. II. cap. III. §. XI.)

LII. Annus *Jubilæus* (supr. XII. §. XLVII. postquam a Synedrio consecratus, buccina IX vicibus in festo expiationis inflata, proclamabatur, qua audita statim privilegia ejus initium sumebant. Hæc ad tria capita referri commode possunt, 1 *Terræ quietem*, quam cum anno Sabbathico communem habebat; 2 *Servorum dimissionem*, etiam illorum qui anno servitutis septimo exire noluerant; & 3 *agrorum* aliis dono datorum aut venditorum, nec intra biennium redemptorum, ut & ædium in vicis & pagis, (in urbibus enim tempore Josuæ muro cinctis, ni anni spatio redimerentur, in perpe- *Ritus & jura Jubilæi.*

 tuum

tuum emptori manebant) quarum eadem hic, quæ agrorum ratio eſt, *ad priſtinos dominos reditus* Lev. XXV. 8. ſeqq. Quo ipſo Deus cavere voluit, ne avita bona in diſtributione Canaanis hæreditario jure conceſſa, a familia abalienarentur.

Locus & tempus quo jura annorum horum obtinuerunt.

LIII. Utraque Lex de anno Sabbathico æque ac Jubilæo ad terram Canaan tantum relationem habebat, nec prior vim obtinebat, niſi anno XXI, poſterior LXIV ab ingreſſu in eandem. Illa quoque ſub templo II quidem obtinebat, ſed tantum tamen terræ colere permittebatur, quantum ad pendendum tributum neceſſarium, quin & in terra transjordanica ſerebant & metebant in gratiam pauperum. Hodie quoque Judæis adhuc in terra & regionibus a reducibus ex Babele ſanctificatis, ne quidem ſponte natis veſci, in regionibus vero ab adſcendentibus ex Egypto occupatis, agrum colore integrum non eſt, ſed in aliis locis id æque ac reliquis annis licet. Annos autem Jubilæos inde ab excidio templi I non amplius obſervarunt, licet illos adhuc ad conſtitutionem annorum Sabbathicorum numerarent.

CAP.

CAP. XXII.

De Sacramentis cultui huic additis.

I.

Hæc cultus ſacri inter Judæos erat ratio, cui confirmando *Sacramenta* præcipue inſerviebant. *Sacramenta.*

II. Erant illa potiſſimum duo, *Circumciſio* & *Paſcha:* Prius recipiendis primum in Eccleſiam Judaicam membris, cultuique ſacro initiandis, poſterius in eodem confirmandis inſerviebat. *Eorum numerus.*

III. *Circumciſio* מילה Abrahamo ejusque poſteris in ſignum & ſigillum fœderis cum illis erecti data eſt, Gen. XVII. 10. ſeqq. Rom. IV. 11. *Circumciſio.*

IV. Conſiſtebat in reſectione carnis *præputii* Gen. XVII. 11. quæ eum in finem retracta glande antrorſum contrahi & fricari ſolet, quo ſenſus obturetur, dolorque minus percipiatur. *In quo conſiſtebat.*

V. Hanc peragebat ipſe *Paterfamilias*, vel alius quicunque *artis ejus* ſatis *gnarus* מוהל, quamvis in caſu extremæ neceſſitatis etiam incircumciſis, ſer- *Circumciſor.*

vis, fœminis & minorennibus, exclusis solis gentibus, permitteretur, conf. Exod. IV. 25.

Instrumentum. VI. Ad hunc actum legitimum censetur quodcunque satis aptum *Instrumentum*, novacula aut culter cujusvis generis, lapideus, vitreus, ferreus, Exod.IV.25.&Jos.V.2,3.modo satis acutus sit, nullasque crenas habeat. Arundinem tamen adhibere Judæi vetant.

Tempus. VII. *Tempus* illi a Deo ipso præstitutum, est dies octavus a nativitate, tam rigide observandus, ut nullam ob caussam, ne ob ipsam quidem Sabbathi quietem illum prætermittere liceret. Gen. XVII. 12. Lev. XII. 3. & Jos. VII. 22. Ob morbum tamen & paucas quasdam alias caussas differri potuisse Judæi asserunt.

Locus. VIII. *Locus* eidem certus determinatus non est, unde nonnunquam in privatis ædibus, aliquando & in Synagogis peragi solet.

פריעה *s. laceratio.* IX. Circumcisioni indivulso nexu jungunt Judæi פריעה *lacerationem*, qua reliqua cutis pars, unguibus ita discerpitur, ut glans plane denudetur. Hanc metu ἐπισπασμοῦ 1 Cor. VII. 18. introductam, Judæi adeo necessariam faciunt, ut illa neglecta tota circumcisio nulla sit.

X.

X. Eeandem circa hos, qui *circumcisi nati* sunt, quorum Judæi XIV numerant, nec non circa gentes jam circumcisas, quando Judaismum amplectuntur, observandum esse statuunt. *Circumcisi nati.*

XI. Præter hanc aliæ insuper cerimoniæ cum circumcisione apud Judæos conjunctæ sunt, collocatur enim sedes Eliæ, מוהל Canticum Exod. XV. canit, susceptore cum puerulo locum occupante, acclamant qui præsentes sunt ברוך הבא, resectam partem circumcisor in patinam arena repletam injicit, membrumque vino conspergit, post פריעה sanguinem exsugit, quod מציצה appellant, & vulnus sollicite obligat. Variæ quoque benedictiones a circumcisore, Patre aut reliquis adstantibus, ante hunc actum, sub eodem, vel post illum recitantur, in quarum una simul circumcisor infanti nomen imponit. conf. Luc. I. 59. Denique lauto convivio omnia finiuntur. *Alii ritus cum circumcisione conjuncti.*

XII. Tantæ circumcisio erat necessitatis, ut ejus neglectus כרת seu *excidii* pœnam attraheret. Genes. XVII. 14. *Circumcisionis necessitas.*

XIII. Quemadmodum autem fœderis cum Abrahamo initi, ita & dein illius quod in monte Sinai erectum signum *Circumcisio sacramentum.*

fœderis Sinaitici. & sigillum fuit, unde circumcisi obligati erant universam Legem Mosis observare Gal. V. 3.

Circumcisio Proselytorum. XIV. Quod si *Proselyti* ex gentibus Legem hanc recipere, & in communionem populi admitti cuperent, præter circumcisionem sacrificio quoque & baptismo initiandi erant, quibus tribus mediantibus ipsi primum Israelitæ in fœdus transierunt. Exod. XII. 48. XIX. 10, 14. & XXIX. 5. seqq.

Conjuncta cum sacrificio. XV. *Sacrificium* huic rei destinatum erat בהמה *pecus* aut *duo turtures* vel *pulli columbarum*, & quidem omnia in holocaustum, quod tamen hodie æque ac omnia reliqua sacrificia cessat.

Et baptismo. XVI. *Baptismus* in totius corporis immersione consistebat, quæ præsentibus tribus testibus (conf. Matth. XXVIII. 19. & 1 Joh. V. 7.) peragebatur, tantaeque necessitatis & quondam reputabatur & etiamnum habetur, ut sine illa circumcisio proselyti nil valeat.

Baptismus fœminarum. XVII. Imo *fœminarum proselytarum*, quæ circumcidi non poterant initiatio quondam tantum sacrificio, & baptismo, nunc posteriori solo fieri consuevit.

Et infantum. XVIII. Si *Proselytus* cum familia sua ad Judæorum sacra transiret, non ipse solum sed etiam liberi atque infantes, bapti-

baptizari solebant, quod Pædobaptismo Christianorum non leve pondus addit.

XIX. Qui autem hac ratione initiati erant, ut recens nati infantes considerabantur conf. Joh. III. 5. Tit. III. 5. & 2 Cor. V. 17. nec pristinam amplius gentem aut consanguineos habere, sed ex illa gente, cui inserti erant, esse censebantur.

Proselytorum transitus in novam gentem.

XX. De paschate cap. præced. abunde dictum est, hic tantum observamus, illud quoque sacrum fœderis signum atque sigillum fuisse, quo qui in illud jam intraverant, in eodem confirmabantur.

Sacramentum paschatis.

XXI. Præter hæc duo, omnia sacrificia, quin & plures aliæ cerimoniæ, extraordinariorum sacramentorum vim quodammodo habebant.

Sacramenta extraordinaria.

CAP.

CAP. XXIII.

De cultus hujus imperfectione, depravatione & abrogatione.

I.

Cultus hujus imperfectio.

Licet Deus ipſe hanc cultus, quem hactenus contemplati ſumus, normam præſcripſerit, eodem tamen omnia Oeconomiæ illorum temporum ſapienter attemperante, multifariis imperfectionibus non carebat. Heb. VIII. 7.

Moleſtia, peccatorum exprobratio &c.

II. Nam & moleſtus admodum erat durumque onus imponebat, Act. XV. 10. & multa continebat in ſe λογικῇ λατρέια minus convenientia, & veram peccatorum expiationem adducere non poterat, ſed eorum potius ἀνάμνησιν quotidie faciebat meliorumque bonorum umbram tantum, non rem ipſam habebat, neque adeo conſcientiam tranquillare aut perficere valebat Heb. X. 1. ſqq.

Corruptio.

III. At fœdiſſimum in modum eundem depravavit immoriger duriſſimaeque cervicis populus, dum vel illum cum turpiſſima gentium idololatria com-

commutare, vel hanc eidem jungere sæpissime sustinuit.

IV. Uti enim in Egypto, quæ qualia demens portenta coluerit quis nescit? mature huic insaniæ assueverat, Jos. XXIV. 15. & Ezech. XX. 6. ita vix, dum inde egressus, cum Moses in monte moras necteret, per Aharonem vitulum aureum, ad formam ut videtur Apidis Egyptiaci, fabricavit, divinoque honore coluit Exod. XXXII. 1. seqq. & Ps. CVI. 20. *Idololatria in Ægypto & statim post exitum.*

V. Et licet impietatis hujus gravissimas pœnas dederit, (quas & in hunc diem semet ferre posteri sibi persuadent) mox tamen ad aliorum quoque gentium idola delapsus, jam in deserto portavit tabernaculum *Molochi* & astrum *Ciun* seu ῥεμφὰν Amos V. 26. Act. VII. 43. & Baal-Pebris cultu novam sibi plagam attraxit, Num. XXV. 38. & Deut. IV. 3. *In peregrinatione in deserto.*

VI. Post ingressum in Canaanem, non solum quidam sibi privatos Deos, *Teraphim* & simulacra fecerunt Jud. XVII. 5. XVIII. 14, 17. seqq. sed & plurimi alii omnium vicinorum populorum aut cum quibus aliquod commercium haberent, Deos coluerunt, quorum præcipui præter *Molochum* & *Milchom* Ammoni- *In terra Canaan.*

monitarum, 1 Reg. XI. 7, 33. cui ipsos liberos immolaverunt, Lev. XX. 2. sqq. & *Baal* aut *Baal Berith* Jud. II. 13. VIII. 33. erant *Camos* Moabitarum 1 Reg. I. c. *Astharoth* & *Baal Zebub* Philistæorum Jud. II. 13. 1 Reg. XI. 5, 33. & 2 Reg. I. 2, 3. 6. Huc pertinent quoque *Miphlezet* Maachæ 1 Reg. XV. 13. *Vituli aurei* in Dan & Bethel 1 Reg. XII. 28. & 2 Reg. X. 29. instructio mensæ לגד ומני Jes. LXV. 11. præparatio panum, suffitusque & libaminis oblatio *Reginæ cæli* facta Jer. VII. 18. & XLIV. 17. sqq. planctus *Thammuz* Ezech. VIII. 14. Reverentia soli exhibita cum *equis* & *curribus* illi dicatis Ezech. VIII. 16. 2 Reg. XXIII. 11. suffitus eidem ut & *lunæ*, *planetis* & universo *exercitui* cœli accensus ib. X. 5. cultus ignis cujus Sacerdotes nomine כמרים veniunt ibid. Hos. X. 5. & Zeph. I. 4. aliaque peregrina sacra & ritus ab ethnicis mutati. Ut alios gentium & præcipue coloniarum a Rege Assyrio Samariam missarum Deastros 1 Reg. XVII. 30. seqq. de quibus non satis certo constat, utrum Judæi se iis commaculaverint, silentio præteream.

Universo tempore templi I. VII. Sic universo templi I. tempore, præeuntibus ipsis Regibus suis, & quod mireris, eorum sapientissimo Salomone præ-

præcipuo insaniæ Auctore 1 Reg. XI. 5. seqq. 2 Reg. XXIII. 13. perpetuo detestanda gentium κακοζηλία cultum veri Dei vel spreverunt, vel adulterarunt; unde tandem & justissimo judicio terra incolas evomente, in Assyriam & Babyloniam captivi abducti sunt.

VIII. Inde autem quarta generatione, quousque Deus vindictam extenderat (conf. Exod. XX. 5.) restituti, sub templo II adeo ab idololatria, peregrinisque sacris abhorruerunt, ut nudatas cervices strictis militum gladiis objicere, quam vel militaria Romanorum signa in urbem admittere maluerint.

Desiit tamen sub templo II.

IX. At aliud prioris loco irrepsit tum temporis malum, quo non minus misere universus cultus corruptus est, dum amisso plane nucleo corticem lambere cœperunt, oblitique finis legis, literæ adhæserunt, & ex externis ejus operibus justitiam quærentes, imo loco legis divinæ traditionibus commentisque humanis semet submittentes, omnia in theatralem pompam meramque hypocrisin converterunt. Rom. IX. 31, 32. Matth. XV. 3, 6. XXIII. 23.

Studium justitiæ propriæ, ἐθελοθρησκεία, Hypocrisis.

X. Sic excæcatis mentibus, mirum non erat, quod manifestatum in carne Messiam non agnoscerent, quin contra se-

Cultus Levitici abrogatio.

ſevera corruptorum ſacrorum & perditorum ſeculi ſui morum exprobratione atque redargutione exaſperati, per Romanos in crucem agerent, quod ſcelus cum Deus altero graviſſimoque templi atque urbis excidio ulciſceretur, totum ſimul prioris cultus choragium penitus eſt abrogatum.

Subſtitutio cultus melioris. XI. Quod eo magis locum habebat, quia ipſa ejus imperfectio ſatis arguebat, illum tantum ad tempus διορθώσεως usque fuiſſe impoſitum Hebr. IX. 10. umbraeque legis in Chriſto jam impletæ corpori cedere & cum ſpirituali N. Fœderis cultu commutari debebant, Col. II. 17. quale quid in diebus Meſſiæ futurum, non pauci Judæorum miniſtri ipſimet teſtantur.

Reſtitutio prioris nunquam exſpectanda. XII. Ut adeo vana omnis, quæ de ejus reſtitutione etiamnum fovetur, ſpes ſit, cujus rei Deus ipſe plus ſemel non obſcura documenta dedit, præcipue cum urbis templique inſtaurationem, ſub Juliano Apoſtata a Judæis cœptam & ab ipſo Imperatore approbatam omnique niſu promotam, prorumpentibus ex fundamentis flammarum globulis irritam redderet.

PARS



PARS SECUNDA,

DE

STATU POLITICO.

CAP. I.

De Terra Israelitica & urbe Hierosolyma.

I.

Judæi totum terrarum orbem nonnunquam dispescunt in duas partes הארץ *terram* & חוצה לארץ *extra terram:* quarum illa proprie regionem inter Jordanem & mare mediterraneum sitam, & a Jocobi posteris inhabitatam, hæc quidquid terrarum extra illam est, denotat. **Totius orbis divisio.**

II. Prior a singulari Dei dominio & ad eandem relatione ארץ יהוה *terra Jehovæ* Hos. IX. 3. & ארץ אחזת יהוה *terra possessionis Jehovæ* Jos. XXII. 19. a præstantia ארץ צבי *terra decoris*, Dan. XI. 16. dicitur. Eadem pro vario temporum incolarumque discrimine aut **Terra cis Jordanem.**

Z diver-

diverſa relatione, variis inſuper nominibus appellatur.

Canaan. III. Antiquiſſimis temporibus maximam ejus partem tenuerunt *Canaanis poſteri*, Gen. X. 19. & XII. 6. a quibus terra *Canaan* ſæpiſſime audit. Gen. XI. 31. XII. 5.

Regio Philiſtæorum. IV. Maritimam regionem occuparunt *Philiſtæi* Exod. XXIII. 31. & Ezech. XXV. 16. a quibus eadem *Palæſtina* dicta, quod tamen nomen, uti & *Syriæ Palæſtinæ*, *Phœnices* & *Idumeæ*, illi primum a ſcriptoribus ethnicis datum eſt.

Terra promiſſa. V. Terram hanc Deus Abrahami poſteris ex Jacobo, ut ſingulare bonum hæreditario jure poſſidendum pollicitus eſt, unde & *terræ promiſſæ* γῆς ἐπαγγελίας Hebr. XI. 9. titulo venire ſolet.

Limites ejus. VI. In hac promiſſione Deus limites ad auſtrum ſtatuit *deſertum*, vel quod illud pertranſibat *flumen Ægypti* (quo non intelligitur Nilus, ſed fluvius prope urbem Rhinocoluram, ita dictus quod eſſet על פני מצרים Joſ. XIII. 3.) ad ſeptentrionem *Euphratem*, ad orientem *mare algoſum*, ad occidentem *mare Philiſtæorum* ſ. *mediterraneum*, Gen. XV. 18. Exod. XXIII. 31. Non tamen

tamen ſtatim univerſus ille tractus Iſraelitis in peculium ceſſit, ſed ſucceſſive, unde & pro temporum ratione fines modo arctiores modo latiores ponuntur.

VII. Antequam Deus populum in ipſam hanc terram introduceret, primum per Moſen duabus tribubus *Gad*, *Ruben* & dimidiæ *Manaſſis* regiones Emorræorum trans Jordanem inhabitandas dedit Num. XXI. 25. quæ licet jam memoratis nominibus proprie non comprehendantur, una tamen cum reliquis cis Jordanem ſæpius titulo ארץ ישראל *terræ Iſraeliticæ* venire ſolent. 1 Chron. XIII. 2. Atque hac ratione integra duodecim tribuum terra ad utrumque Jordanis latus ſita fuit. *Terra trans-Jordanica.*

VIII. In terram cis-Jordanicam tandem introduxit Joſua eandemque inter novem reliquas cum dimidia tribus ſorte diſtribuit, ſeptem annis ut Judæi teſtantur, ſubjugationi totidemque diſtributioni inſumtis, unde & præcepta in hac terra obſervanda, non niſi ſucceſſive variis temporum articulis valorem ſuum nacta ſunt. Lex enim de placenta, præputio arborum, & non guſtandis ante oblatum mani- *Occupatio terræ promiſſæ.*

pulum novis frugibus, ſtatim poſt tranſitum Jordanis, de manipulo paſchali eodem anno die XVI Niſan, de panibus pentecoſtalibus L diebus poſt, de decimis poſt XIV occupationis & diſtributionis annos, jura anni Sabbathici anno XXI, Jubilæi autem anno LXIV ab ingreſſu demum obſervari cœperunt.

Ejectio priorum incolarum.

IX. Priores incolæ partim occiſi ſunt, partim expulſi novas per univerſum orbem ſibi ſedes quæſiverunt, ita ut nonnulli in extremo Africæ angulo, inſculptam columnis Tingitanis fugæ ſuæ memoriam, reliquiſſe dicantur.

Eorundem in terra reliquiæ.

X. Manſerunt tamen pauci eorum in ipſa terra reliqui, quos ex parte Joſua in ſervitutem redegit, alios dein æque ac Idumæos David perdomuit, unde cum idem regni pomœria ad Euphratem usque extenderet, & Salomon victorias Patris ulterius proſequeretur, quin & Joſaphat, Uzias & Hiskias Philiſtæos ſubigerent, tandem illi regio, quam Deus Abrahamo promiſerat, poſteris ejus ſubjecta eſt, 2 Sam. VIII. 1. ſeqq. 1 Chron. XVIII. 1. ſeqq. 1 Reg. V. 1. 2 Chron. XVII. 11. XXVI. 6, 7. 2 Reg. XVIII. 8.

XI.

XI. Regiones a Davide adjectæ, Judæis *Syriæ* סוריא nomine veniunt, quarum cum distincta tam a terra Israelis quam aliis regionibus jura essent, iidem hoc respectu orbem in tres partes ארץ ישראל *terram Israelis*, סוריא *Syriam*, & חוצה לארץ *extra terram* dispescere solent. ***Syria.***

XII. Terram Israelis Judæi iterum distinguunt in illam quam Ægypto profecti, & quam reduces ex captivitate Babylonica occuparunt. Prior dividitur in eam quæ *trans* & quæ *cis Jordanem* sita, quarum illa quondam regnum *Sichonis* inter fluvios *Arnon* & *Jabock* Num. XXI. 13. 24. & *Ogi* a fluvio *Jabock* ad montem *Hermon* Jos. IX. 10. constituebant, hæc a montanis Antilibani ad desertum Tzin, aut a Dan ad Berseba CLX milliarium Romanorum s. XL horarum itineris spatio protendebatur. Num. XIII. 20. XXXIV. 3, 4. Jos. XV. 1. Jud. XX. 1. & 1 Sam. III. 20. ***Divisio terræ Israeliticæ.***

XIII. Facta dein inter Israelitas distributione, pro numero tribuum XII partibus constabat, quarum duas cum dimidia trans Jordanem, Ruben Gad & dimidia Manassis, reliquas cis Jordanem novem aliæ cum dimidia Manassis ***Ejusdem inter tribus distributio.***

nassis occuparunt: Singularum descriptionem & limites vid. Jos. XV. 1. seqq. Salomon ad alimenta aulæ ordine subministranda, terram Israeliticam in XII præfecturas distinxit. 1Reg. IV. 7. seqq.

Divisio in terram Judæ & Israelis. XIV. Postquam decem tribus a duabus reliquis secesserunt, discrimen introductum inter *terram Judæ & Israelis* Jer. XLIV. 9. & Ezech. XXVII. 17. quod tamen non nisi ad captivitatem Assyriacam usque duravit.

Divisio post reditum ex Babylone introducta. XV. Post reditum ex Babylone non solum tota terra aliquando *Judææ* nomine insignita, sed & propius terra cis Jordanem, divisa fuit in tres partes, *Judæam* ad austrum in regione tribuum Judæ, Benjaminis, Simeonis & Danis, *Samariam* in medio, in ditione Ephraim & dimidiæ Manassis, & *Galilæam* ad Septentrionem. Galilæa iterum erat vel *superior*, dicta גליל גוים *Galilæa gentium* (Jes. IX. 1. & Matth. IV. 5.) quæ tribum Aser & maximam partem Naphtali cum urbe Dan, vel *inferior*, quæ Isaschar, Zabulon & reliquam partem Naphtali complectebatur. Regio trans Jordanem dispescebatur in *Peræam, Giliaditin, Gaulonitin, Batanæam, Trachonitin*, quibus *Auranitis* (quam nonnulli

nulli & *Ituræam* dictam volunt) addi solet.

XVI. Respectu *polluturæ* ביעור Judæi quoque terram Israeliticam in tres partes distinguunt יהודה עבר הירדן והגליל *Judæam*, *Peræam* s. trans-Jordanicam & *Galilæam*, & harum singulas iterum in ההר שפלה ועמק *montanam*, *campestrem* & *vallem*, Galilæam autem in specie in *superiorem*, *inferiorem* & *vallem*. In terra cis-Jordanica variæ insuper partes minores memorantur, ut *Daromas* דרום, *Geraritica*, *Sephela* שפלה, *Saronas* gemina, *Thamnitica*, *Gophnitica*, *Acrabattene*, *Gennesaritis*, quarum pleræque a situ aut conditione locorum nomen acceperunt. *Alia in partes minores.*

XVII. Sub familia Herodum integra terra Israelitica *Tetrarchias* distributa est. Celebratur quoque divisio in *Toparchias*, quarum nonnulli X alii XII recensent. *In Tetrarchias & Toparchias.*

XVIII. Denique sub Imperatoribus Christianis triplicis *Palæstinæ*, *primæ*, *secundæ* & *tertiæ* fit mentio, quarum ultima tamen se ultra terram Israeliticam usque ad sinum Arabicum extendit. *In Palæstinam primam, secundam & tertiam.*

Terræ hujus sanctitas.

XIX. Variis terra hæc gaudebat prærogativis, quarum præcipua erat *Sanctitas* a qua אדמת קדש audit. Zach. II. 16. Cujus sanctitatis decem gradus numerant, ex quibus sunt, quod licet aliæ oblationes ex omnibus locis adduci possent, manipulus tamen Paschalis & Panes Pentecostales non nisi ex terra cis-Jordanica, primitiva etiam ex trans-Jordanica, cui hac in parte Syria æqualis censetur, quemadmodum & quoad primitias & decimas Ægyptus, Babylonia, Ammon & Moab.

Eadem theatrum gratiæ fuit.

XX. Eadem terra & Messiæ manifestatione & negotii salutis per ipsum exsecutione nobilitari debebat, unde & ארץ עמנואל *terra Immanuelis* audit. Jes. VIII. 8.

Situs ejus opportunus

XXI. *Situm* quoque nacta est maxime *opportunum* inter gradus XXXI & XXXIV latitudinis borealis, unde nec æstate nimio ardore, nec hyeme intensiori frigore urebatur, sed aëre plerumque temperato, sereno & salubri gaudebat. Accedit quod ex hac terra facillimo negotio per omnes mundi plagas commercia institui possent.

XXII.

XXII. Imprimis illam commendabat mira *fertilitas*, qua non ſolum ager tricena, ſexagena imo centena ferebat Matth. XIII. 23. ſed & vinum generoſiſſimum, oleum, mel, balſamum, linum, dactylos, ficus, omnisque generis lectiſſimos fructus uberrima copia producebat, armenta & greges, unde vellera, lac & lana, maximo numero alebat, & quicquid denique ad vitam commode & jucunde tranſigendam facit, ex divite penu ſuppeditabat, Deut. VIII. 8. 9. ut adeo merito ארץ זבת חלב ודבת *terra fluens lacte & melle* cluat Exod. III. 8, 17. & XIII. 5. *Fertilitas.*

XXIII. Cui laudi nihil derogat hodierna ſterilitas, cum præter certiſſima priſtinæ fertilitatis veſtigia, quæ etiamnum ſuperſunt, & primariam tantæ mutationis cauſam divinam maledictionem, qua terra hæc premitur, plurimæ quoque aliæ cauſæ ſecundæ haud difficulter oſtendi queant. *Cui non obſtat hodierna ſterilitas.*

XXIV. Priorem illam felicitatem, non parum promovebat ipſa terræ hujus *conditio & ſtatus*, nam & *maribus* alluebatur, & *fluminibus torrentibusque rigabatur*, & cœleſti *rore* affatim humectabatur, & *fontibus* vivis reficiebatur, *Terræ hujus conditio.*

tur, & *montium*, *vallium*, *camporumque* grata atque utilissima varietate distinguebatur. Deut. VIII. 7.

Maria. XXV. Maria (quo nomine & lacus comprehendunt) septem Judæi numerant 1. ימא רבא *Mare magnum*, 2. ימא דטבריא *mare Tiberiadis*, 3. ימא דמלחא *mare salsum*, 4. ימא דסמכו *lacum Samochonitem*, 5. ימא דחולתא. 6. ימא דשליית vel דשלחת & 7. ימא דאפמיא.

Fluvii & torrentes. XXVI. Fluvii *torrentesque* celebriores sunt *Jordanes* ex lacu Phiala originem ducens, plurimisque miraculis inclutus, & cis Jordanem *Sichor* aut *fluvius Ægypti*, *Besor*, *Schoreck*, *Kana*, *Kischon*, *Crith*, *Kedron*, trans Jordanem *Arnon*, *Jabbock*, *Jarmoch*, præter alios vel minoris momenti vel incerti situs, quin & horum nonnulli ex imbribus aut nivibus hyemalibus tantum oriuntur, æstate vero sicci sunt.

Fontes & thermæ. XXVII. *Fontes* præcipue memorantur *Siloah*, *Charod*, *Nephtoach*, *Etham*, *fons Jacobi &c.* His jungi possunt *thermæ*, quarum illustriores sunt חמי דטבריא *thermæ Thiberiadis*. Denique & hominum industria *puteos*, *cisternas* atque piscinas addidit.

XXVIII.

XXVIII. *Montes* maxime inclyti sunt, præter *Hierosolymitanos*, *Garizim*, *Ebal*, *Gilboa*, *Tabor*, *Chermon*, *Carmel*, *Libanus*, *Nebo* montana: *Gilead*, *Basan*, &c. *Valles* autem, *Kedron*, *Josaphat*, *filiorum Hinnom*, *Regis*, *benedictionis*, *Rephaim*, *Ajalon*, *Achor*, *Schittim*, *Salis*, *Botri*: *Campi* denique *μέγα πεδίον campus magnus*, ad utramque ripam Jordanis, *campus Megiddo &c.* *Montes, Valles, Campi.*

XXIX. Hinc mirum non est, quod licet & terra hæc quædam loca minus culta habuerit, ut מדברות *solitudines* & יערים *Sylvas*, maximam partem tamen urbibus pagisque sive jam ante Israelitarum in illam introitum structis, sive ab his demum conditis aut exornatis, velut consita fuerit. *Solitudines, sylvæ, loca habitata.*

XXX. Urbes celebriores tribus Simeon habuit *Berseba* & *Tziklag*, Juda *Engaddi*, *Chebron*, *Bethlehem*, *Tekoa*, Dan *Tzora*, *Ir Schemesch*, *Ajalon*, *Timnatha*, Benjamin *Jerusalem*, *Jericho*, *Gibeon*, *Rama*, Ephraim *Bethel*, *Sichem*, *Bethchoron*, *Lydda*, dimidia Manassis, *Bethschean*, *Endor*, *Thirza*, *Gath Rimmon*, Isaschar, *Engannim*, *Schunem*, *Tabor*, Zabulon, *Gath hachepher*, *Rimmon*, Naphtali, *Kedesch*, *En Chatzor*, *Chammat*, *Rakkat*, *Cinnereth*, Aser *Chelkath*, *Urbes insigniores.*

Cana

Cana &c. eidem aſſignantur *Sidon*, *Sarepta*, *Tyrus*, *Ecdippa*, *Acco* ſ. Ptolemais & aliæ, quas tamen non occupavit. Trans Jordanem Rubeni tribuuntur *Medaba*, *Cheſchbon*, *Dibon*, *Kirjathaim*, *Bethpeor*, tribui Gad *Aroër*, *Jaëzer*, *Ramoth in Gilead*, *Machanaim*, dimidiæ Manaſſis, *Aſtaroth*, *Edrëi*, *Golan*, *Boſtra* & ſexaginta *urbes Jair*. Alias vel minoris momenti, vel ſatis inſignes ſed ſitus incerti, quarum multæ præcipue in N. T. memorantur, non moramur.

Urbes Sacerdotales & Leviticæ.

XXXI. Cum autem tribui Levi nulla hæreditas in Canaane obtigiſſet, Sacerdotibus a tribu Juda, Simon & Benjamin XIII urbes, Levitis vero a reliquis tribubus XXXV, & quidem Kahathitis X, Gerſonitis XIII, Meraritis XII inhabitandæ datæ ſunt Joſ. XXI. 13. ſeqq. qui tamen numerus 1 Chron. VI. 42. ſeqq. non nihil variat. Urbibus his ſuburbia alendis pecoribus addita ſunt M. cubitorum inde a muro urbis, ad ſingula autem latera MM. cubitorum. Num. XXXV. 4.

Urbes refugii.

XXXII. Harum urbium in Specie ſex ad id Deus ſeparari juſſit, ut tutum homicidis involuntariis refugium præberent, de quibus infra propius agetur.

XXXIII.

XXXIII. Omnium autem totius terræ Israeliticæ clarissima urbs erat Hierosolyma, dicta antiquitus שלם *Schalem* Gen. XIV. 18. & Ps. LXXVI. 3. & יבוס *Jebus* Jos. XVIII. 27. & Jud. XIX. 11. dein ירושלים & ירושלם *Jeruschalaim* & *Jeruschelem*, a sanctitate vero qua omnes reliquas urbes superabat עיר הקדש ἡ ἁγία πόλις *urbs sancta* Neh. XI. 18. Matth. IV. 5. XXVII. 53. & ירושלים הקדושה *Hierosolyma sancta* & Muhammedanis قدس *Sanctitas* قدس مبارك *Sanctitas benedicta* aut قدس شريف *Sanctitas nobilissima*. *Urbs Hierosolyma.*

XXXIV. Hanc uti Abrahami ævo Melchisedeck Rex & sacerdos Dei altissimi inhabitavit Genes. XIV. 18, 19. coll. Hebr. VII. 1. ita dein Jebusæi tenuerunt, qui nec penitus nisi a Davide demum expulsi sunt. Jos. XV. 63. Jud. I. 21. 2 Sam. V. 6. *Pristini ejus incolæ.*

XXXV. Nonnulli illam in tribu Juda, alii in Benjamin sitam fuisse volunt. Convenientissimum autem est in utriusque parte ubi se mutuo tangunt eam collocare, unde utrique tribuitur, & utraque in ejus expugnatione occupata fuit. Jos. XVIII, 28. Jud. I. 8. Quia tamen *Ejusdem situs.*

men

men major pars in regione Benjamin erat, ejus in ſpecie urbibus annumeratur. Jos. XVIII. 28.

Nulli tribui aſſignata. XXXVI. Interim tamen nulli tribui in hæreditatem erat aſſignata, ſed Deus illam ſibi reſervavit, unde & עִיר אֱלֹהִים *urbs Dei* audit Pſalm. XLVIII. 2. tum vero omnium tribuum metropolis cunctisque adeo Iſraelitis æquale ad eandem jus erat.

Montes Zion & Akra. XXXVII. Superſtructa erat urbs *duobus montibus ſ. collibus immenſum editis* & intermedia valle τυροποιῶν diviſis, quorum major altiorque, *Zion* nomine, *urbem David* ſeu *ſuperiorem*, τὴν ἄνω πόλιν, minor *Akra* dictus, *urbem inferiorem* τὴν κάτω πόλιν ſuſtinebat. Prior ſitus erat ad auſtrum, poſterior ad ſeptentrionem, cui diſpoſitioni non obſtat. Pſalm. XLVIII. 3. & Ezech. XL. 2.

Moria & Bezetha. XXXVIII. Appendix quædam Zionis erat mons aut collis *Moria* eidem ponte & Xyſto junctus, qui ſplendidiſſimo templi ædificio ſuperbiebat, vid. Part. I. cap. VIII. §. VI. Collis *Bezetha*, ad aquilonem templi e regione turris Antoniæ, ſerioribus demum temporibus urbi adjectus eſt, unde & καινόπολις audit.

XXXIX.

XXXIX. Totius urbis *ambitus* dicitur XXXIII ſtadiorum fuiſſe. Circumdata autem erat *triplici muro*, *turribus* ex candido marmore inſtructo. Interior, qui vetuſtiſſimus, habebat turres LX. medius XIV. exterior XC. quarum præſtantiſſima Pſephina dicta, ad angulum ſeptentrionalem & occidentalem LXX cubitos alta erat, latiſſimumque undequaque proſpectum dabat. *Urbis ambitus.*

XL. Portarum decem diverſa nomina recenſentur Neh. III. 1. ſeqq. שער Porta, 1. הצאן *gregis* 2. הדגים *piſcium*, 3. הישנה *vetus*, 4. הגיא *vallis* 5. האשפות *ſterquilinii*, 6. העין *fontis*, 7. המים *aquarum*, 8. הסוסים *equorum*, 9. המזרח *orientalis*, 10. המפקד *mandati*. Alibi numerantur Porta *cuſtodiæ*, *Ephraim*, *Benjamin*, *anguli &c.* Sed an hæ a prioribus diſtinctæ, tum quoque ubi ſingulæ ſitæ fuerint, non ſatis conſtat. *Portæ ejus.*

XLI. Eadem urbs montibus cingebatur. Pſalm. CXXV. 2. Horum altiſſimus *Mons Oliveti* הר הזיתים 2. Sam. XV. 30. ad orientem erat, cujus radices ab urbe V ſtadiis aberant, & in quo *Bethphage*, *Bethania* & *Gethſemane* celebrantur. 2 Sam. XV. 30. Matth. XXI. *Mons Oliveti & Golgotha.*

XXI. 11. Marc. XI. 1. Act. I. 12. Ad occasum erat *collis* Γολγοθὰ a *cranio* גלגלתא nomen adeptus, ordinarius supplicii extremi locus & Servatoris præcipue *σταυρώσει* inclytus Matth. XXVII. 3. Valles & fontes in hac regione supra §. XXVII. & XXVIII. jam memoravimus.

Prærogativæ urbis hujus. XLII. *Privilegia* urbis hujus Judæi varia recensent, ut quod cadaver illic non pernoctet, nec ossa mortui eo inferantur, ædes ibi non elocentur, aut habitatio concedatur peregrino, nec sepulchra ulla sint, exceptis domus Davidis & Prophetissæ Chuldæ, nec horti; quod non seratur vel aretur, nec arbores illic plantentur, nec sterquilinia permittantur, aut meniana ædium aut fornaces calcariæ, nec alantur galli gallinacei aut pavones, multo minus porci, ædes non vendantur ex lege Lev. XXV. 30. sed semper redimi queant, nec lepra inficiantur, aut de ea suspectæ claudantur; quod urbs hæc nunquam ob idololatriam anathematizanda, nec vitula pro illa decolletur, nec tribui cuidam assignata sit; quod nunquam in ea serpens aut Scorpio nocuerit, aut hospes dixerit, arctus nimis mihi locus est, vel

non

non inveni clibanum ad assandum Pascha, aut lectum ubi recumbam.

XLIII. Hæc præcipua sunt, quæ circa terram hanc ejusque metropolim Hierosolymam monenda erant, restant variæ, quas utraque experta est *vicissitudines*, dum non solum sæpius a vicinis populis infestata, sed & bis penitus subacta atque devastata est. *Variæ terræ urbisque vicissitudines.*

XLIV. Prima vice id factum ab Assyriis & Babyloniis, quorum illi sub Tiglath Pilesere & Salmanassare regionem X tribuum, hi sub Nabuchodonosore terram Judæ & Benjamin occuparunt, urbem Hierosolymam obsidione cinctam, ultricibus flammis deleverunt, montique Moriah aratrum superinduxerunt. *Vastatio per Assyrios & Babylonios.*

XLV. Dein soluta captivitate Babylonica terra quidem reducibus est restituta & Hierosolyma instaurata Esr. I. II. III. VI. VII. VIII. Neh. II. III. tandem vero ob crescentia indies populi scelera summamque imprimis perfidiam in Messiam manifestatum commissam, terra anathemate a Deo percussa Mal. IV. 6. & per Romanos igne ferroque vastata, urbs vero plane exusta & solo æquata est. *Per Romanos.*

Occupatio per Saracenos. XLVI. Postquam Romanum imperium Christo nomen dedit, terra quidem hæc in Imperatorum Christianorum potestatem venit; mox vero a Saracenis occupata, frustraque iisdem ad breve tempus bello, quod sacrum vocant, erepta, plurimorum jam seculorum tractu, sub infidelium tyrannide ingemiscit.

Restitutio adhuc exspectanda. XLVII. Non obstante tamen hac tristiori facie, illam in fine dierum N. T. cum urbe Hierosolyma restituendam, quo quemadmodum quondam gratiæ atque iræ, ita tandem & gloriæ divinæ in ecclesia ultimorum temporum in terris manifestandæ theatrum evadet, prophetarum oracula nos dubitare non sinunt. vid. Psal. LXXXV. Jer. XXXI. & Zach. XIV.

CAP.

CAP. II.

De Statu populi Judaici & forma reipublicæ ejus.

I.

Populus, cui Deus terram hanc hæreditario jure possidendam dedit a generis sui auctore, ישראל *Israelis* nomine primum insignitus est. *Israel.*

II. Hic pro numero XII Patriarcharum in XII שבטים *tribus* divisus est, ubi tamen observandum, quod cum Deus tribum Levi sibi segregaret & cultui suo destinaret, tribus Josephi in duas distincta est, quibus a binis Josephi filiis *Ephraim* & *Manassis* nomina imposita fuerunt. *Divisio ejus in XII tribus.*

III. Populum hunc Deus ex Egypto potenti brachio per manum Mosis in libertatem asseruit, & per eundem XL annorum spatio in invia Arabiæ solitudine circumduxit, donec omnes illi qui Ægypto egressi erant, excepto Josua & Calebo, ob inobedientiam & ἀπιϛίαν in deserto cecidissent. *Liberatio & iter per desertum.*

Castra metatio. IV. Omni illo tempore populus in tentoriis, elegantissimo ordine instar bene instructi exercitus, eo quo (P. I. cap. VII. §. XXXVII.) visum modo dispositis, degebat, ipsiusque Dei jussu castra metabatur aut movebat.

Segregatio a reliquis gentibus. V. Postquam in Canaanem ingressus esset, seorsim habitavit, nec inter gentes numeratus est, tam lege divina, quam peculiari interdicto de commercio cum illis non colendo, omni eas communione excludente, vid. supr. P. I. c. I. §. X.

Admissio proselytorum justitiæ. VI. Nihilominus ad eam admittebantur quotquot ipsius sacra amplecterentur, qui inde *Proselytorum justitiæ* nomen ferunt (I. c. I. §. XIII.)

Toleratio proselytorum portæ. VII. Quin & in communione civili tolerabantur qui spreta gentium superstitione, X præcepta Noachica servanda susciperent, dicti גרי שער *Proselyti portæ*, vid. ib.

Mercenariorum. VIII. Ex horum numero ad minimum quoque erant שכירים *mercenarii*, neque enim ullis ethnicismo adhuc deditis, locus inter Judæos concedebatur; unde quod serioribus temporibus tales in Canaane habitarunt, non juris sed facti est, & a gentium, Judæis prævalentium, dominio originem traxit.

IX.

IX. Ad Israelitarum cum gentibus permixtionem, & confusionem tribuum atque familiarum vitandam, quin & hæreditaria bona in prima terræ divisione cuique assignata, penes eandem conservanda, *catalogi genealogici* in urbibus patriis summo studio custodiebantur Neh. VII. 5. 1 Chron. II. seqq. Luc. II. 3, 4. sed quos tandem Herodes M. flammis tradidisse dicitur.

Catalogi Genealogici Judæorum.

X. Ad statum populi civilem quod attinet, is pro temporum fatorumque discrimine se varie habuit.

Status populi civilis.

XI. Antiquitus in hac gente summa potestas penes Patres familias erat; qui non solum de bonis disponebant, sed & reos variis pœnis, & pro re nata enim ultimo supplicio afficiebant Gen. XXI. 14. XLIX. 5. & XXXVIII. 24. ab his autem præcipua auctoritas ad primogenitos devolvebatur. vid. Gen. XLIX. 3.

Auctoritas Patrum famil. & Primog.

XII. Ab eductione vero ex Ægypto non levis mutatio contigit. Summum enim in populum imperium Deus sibi reservavit, & in medio ejus, velut in augusto palatio habitans, leges ferendo, populo de necessariis benigne prospiciendo, in dubiis sæpe

Status Theocraticus.

immediate judicium ferendo; tum & contra hostes eundem potenter defendendo, semet ut Rex gerebat & a populo agnoscebatur Exod. XV. 18. Jud. VIII. 23. 1 Sam. VIII. 7. X. 18. 19. & XII. 12. contra Israel עם יהוה *populus Dei* audiebat Num. XI. 29. Deut. XXXII. 9. ut adeo eo respectu *status* populi *Theocraticus* esset.

Moses dux populi.

XIII. In ejus tamen gubernatione placuit sapientissimo Numini, hominum opera uti, inter quos primum præcipuumque locum, fœderis mediator Moses obtinuit, qui ut vicarius Dei populum duxit eidemque jus dixit, potestate quidem non absoluta, nulli tamen inter homines subjecta, und & ut Dominus, imo latiori vocis מלך usu, quodammodo ut *Rex in Israele* consideratus, quo a multis refertur, Deut. XXXIII. 5.

Seniores & alii præfecti.

XIV. Præter Mosen non exigua auctoritas τῶν זקנים *seniorum* erat. Exod. XII. 21. XIX. 7. Memorantur quoque שטרים *præfecti* (conf. Arab. سطر *præfuit rei ut inspector*) & נגשים *exactores* (conf. Æthiop. ነገሠ) qui cum minori potestate populo præerant Exod. V. 6, 10. Deut. I. 15. Jos. I. 10.

XV. Ex his senioribus & præfectis, Moses cum ipsemet solus tot negotiis in numerosissimo populo subeundis impar esset, suasu soceri Jethronis, at Deo ipso rem approbante, LXX Viros sibi socios legit, qui partem muneris suscipientes, jus in populo dicerent; Num. XI. 16. quod institutum Synedrio magno Judæorum ortum dedit, ut infr. cap. IV. videbimus. Sic itaque status populi hujus *forma* externa *Aristocratia* fuit. *LXX Viri.*

XVI. Interea autem temporis, dum Moses adhuc clavum tenebat, *Josuam* sibi ministrum adscivit, procul dubio ut mature populi moderamini adsuesceret, unde & fato imminente illum sibi successorem constituit, quam dignitatem dein, populum in requiem terræ promissæ introducens, ad mortem usque obtinuit. *Josua.*

XVII. Defuncto Josua ad tempus rei summa penes seniores fuit, donec tandem nova oriretur dignitas Ducum, qui non solum populo in bello ubi opus esset præirent, sed & eundem in pace moderarentur & a præcipua muneris sui parte שופטים *Judices*, ut apud Carthaginenses *Suffetes* appellabantur. *Judices.*

immediate judicium ferendo, tum & contra hostes eundem potenter defendendo, semet ut Rex gerebat & a populo agnoscebatur Exod. XV. 18. Jud. VIII. 23. 1 Sam. VIII. 7. X. 18. 19. & XII. 12. contra Israel עם יהוה *populus Dei* audiebat Num. XI. 29. Deut. XXXII. 9. ut adeo eo respectu *status* populi *Theocraticus* esset.

Moses dux populi. XIII. In ejus tamen gubernatione placuit sapientissimo Numini, hominum opera uti, inter quos primum praecipuumque locum, foederis mediator Moses obtinuit, qui ut vicarius Dei populum duxit eidemque jus dixit, potestate quidem non absoluta, nulli tamen inter homines subjecta, und & ut Dominus, imo latiori vocis מלך usu, quodammodo ut *Rex in Israele* consideratur, quo a multis refertur, Deut. XXXIII. 5.

Seniores & alii praefecti. XIV. Praeter Mosen non exigua auctoritas τῶν זקנים *seniorum* erat. Exod. XII. 21. XIX. 7. Memorantur quoque שטרים *praefecti* (conf. Arab. *praefuit rei ut inspector*) & נגשים *exactores* (conf. Aethiop. נגש) qui cum minori potestate populo praeerant Exod. V. 6, 10. Deut. I. 15. Jos. I. 10.

XV. Ex his senioribus & præfectis, Moses cum ipsemet solus tot negotiis in numerosissimo populo subeundis impar esset, suasu soceri Jethronis, at Deo ipso rem approbante, LXX Viros sibi socios legit, qui partem muneris suscipientes, jus in populo dicerent; Num. XI. 16. quod institutum Synedrio magno Judæorum ortum dedit, ut infr. cap. IV. videbimus. Sic itaque status populi hujus *forma* externa *Aristocratia* fuit. *LXX Viri.*

XVI. Interea autem temporis, dum Moses adhuc clavum tenebat, *Josuam* sibi ministrum adscivit, procul dubio ut mature populi moderamini adsuesceret, unde & fato imminente illum sibi successorem constituit, quam dignitatem dein, populum in requiem terræ promissæ introducens, ad mortem usque obtinuit. *Josua.*

XVII. Defuncto Josua ad tempus rei summa penes seniores fuit, donec tandem nova oriretur dignitas Ducum, qui non solum populo in bello ubi opus esset præirent, sed & eundem in pace moderarentur & a præcipua muneris sui parte שופטים *Judices*, ut apud Carthaginenses *Suffetes* appellabantur. *Judices.*

Horum successio. XVIII. Qui semel hanc dignitatem obtinuit eandem per omnem vitam retinuisse videtur, demortuo vero priori non semper immediate multo minus hæreditario jure alius succedebat, sed vel singulari Dei jussu aut instinctu excitabatur, vel a populo eligebatur, idque durioribus plerumque temporibus, ubi Israelitæ a populis vicinis premebantur. Jud. II. 16, 18.

Defectus. XIX. Hinc sæpius intervalla evenerunt ubi judex nullus erat, sed quæ plerumque ob intrinsecam corruptionem & externam hostium vim reipublicæ admodum funesta exstiterunt. Jud. II. 19.

Judices fœminæ. XX. Non Viros semper, sed & fœminas munere hoc singulari Dei providentia functas esse, exemplo Deboræ patet. Jud. IV. 4.

Auctoritas judicum. XXI. Judicum auctoritas licet magna, minime tamen absoluta erat, unde & talem ut statui Theocratico minus convenientem, cum ab Israelitis sibi offerretur, Gideon laudabili exemplo repudiavit. Jud. VIII. 23.

Populi Libertas. XXII. Sic populus gratissima libertate diu gavisus fuit, præcipue cum in gravioribus negotiis, comitia procerum, aut pro re nata universi quoque populi

populi convocarentur, resque communibus suffragiis agerentur, Exod. XIX. 7. Jos. XVIII. 1. Jud. XX. 1.

XXIII. Uti autem nihil in humanis perfectum est, ita & Israelitæ nonnunquam libertate hac ad effrenem licentiam abutebantur, unde toties ducibus suis obmurmurabant, contra illos rebellabant, quin & unusquisque faciebat, quod bonum erat in oculis ejus. Jud. XVII. 6. *Abusus ejus.*

XXIV. In hoc statu res manserunt inde ab egressu ex Ægypto sub Mose, Josua, Judicibus ab Othniele illorum promo, usque ad Samuelem eorundem ultimum, cum quo & libertas, & status Theocraticus tandem exspiravit. *Libertatis duratio & finis.*

CAP. III.

De Regibus.

I.

Dignitatis regiæ origo.

Samuele ſenio fere confecto, Iſraelitæ prioris regiminis formæ pertæſi, & κακοζηλίας gentium ſtimulis acti *Regem* petierunt, ipſa hac petitione, non vero ejus ſolum cauſa, modo & fine, Deum graviter offendentes, qui non Samuelem, ſed ſemet ipſum ea ratione rejici teſtabatur. 1 Sam. VIII. 6, 7.

Non ex præcepto divino.

II. Ut adeo multi Judæorum minus recte dignitatis hujus originem ex præcepto divino Deut. XVII. 14. ſeqq. deducant, cum hoc loco non Regis conſtitutio, ſed potius cautelæ, ſi forte populus eum expeteret, obſervandæ præſcribantur, unde & Deus illum in ira indulſit.

Requiſita in rege eligendo.

III. In ~~rege eligendo ad~~ tria potiſſimum attendendum fuiſſe Judæi monent, *1. Sexum*, ut mas eſſet non fœmina, *2. natales*, ut eſſet Iſraelita, non alienigena aut proſelytus, vel proſelytis ortus, niſi tandem matre hebræa natus, *3. Vitæ genus*, ne ex ſutrina aut obſcuro

obſcuro loco ad tantam dignitatem eveheretur.

IV. Primum Reges ab ipſo Deo deſignati ſunt, dein dignitas hæc hæreditaria facta eſt, ita ut filii, & in ſpecie, ceteris paribus, primogeniti Patribus defunctis ſuccederent, nonnunquam & ſucceſſor Patre jam vivo conſtitueretur, aut in ſocietatem regni adſciſceretur. Non conſtituebatur autem Rex, ſecundum Judæos, niſi ex ſententia Synedrii M. aut Prophetæ. *Electio & Succeſſio.*

V. *Inauguratio* fiebat variis cerimoniis, quas tamen omnes non conſtat ſemper obſervatas fuiſſe. Huc facit impoſitio diadematis regii, traditio teſtimonii 2 Reg. XI. 12. ſolemnis deductio ſuper mula regia ad fontem Gichon 1 Reg. I. 33. ad unctionem peragendam, &c. *Inauguratio.*

VI. Omnium præcipua erat *Unctio* a qua Reges *Uncti* audiunt 2 Sam. I. 14, 16. XIX. 21. verum & hæc non ſemper, ut Judæi haud ſine ratione affirmant, locum habuit, ſed in illis ſolis, qui primi ex familia aliqua ad Regnum evehebantur, aut quibus lis de regno mota eſſet 1 Reg. I. 18, 39. 2 Reg. XI. 12. XXIII. 30. Reliqui parenti- *Unctio.*

rentibus tranquille ſuccedentes, in iisdam jam æque ac Sacerdotes, uncti cenſebantur.

Oleum. VII. Fiebat hæc *oleo unctionis* שמן המשחה & quidem ſacro Pſ. LXXXIX. 21. atque adeo eodem quo Pontifices inaugurati (P. I. c. X. §. XII.) idque מן הקרן *ex cornu* 1 Sam. XVI. 1, 13. quod tamen Judæi de ſolis Regibus ex familia Davidis intelligunt, alios oleo אפרסמון *opobalſami* מן חפך ex lenticula delibutos cenſent. vid. 1 Sam. X. 1.

A quibus & quomodo unctio peracta. VIII. Peragebatur autem ordinario publice ſemel tantum, idque a Pontifice 1 Reg. I. 39. ſed extraordinario a Propheta, 1 Sam. X. 1. 1 Reg. XIX. 16. nonnunquam plus ſemel repetebatur 1 Sam. XIV. 13. 2 Sam. II. 4. & V. 3. Modum ejus Judæi hunc tradunt, quod oleum modica quantitate capiti inditum, digito in formam circuli aut coronæ circumductum fuerit.

Proclamatio &c. IX. Unctionem aliquando ſequebatur exoſculatio novi Regis, 1 Sam. X. 1. coll. Pſ. II. 12. præcipue autem publica *proclamatio*, ut & *agnitio* & *receptio* homagii vicem habens. Adhibebatur eum in finem ſolemnis formula

המלך

יחי המלך *Vivat Rex!* comitabaturque hanc ſolemnitatem tubarum ſonitus, nonnunquam & manuum complosio, atque omnis generis alia lætitiæ signa 1 Reg. I. 40. & 2 Reg. XI. 12.

X. *Insignia* Regni præcipua erant עטרה vel נזר *corona* שבט *ſceptrum* & כסא *ſella ſ. thronus Regius*, qualem insignis magnitudinis, ingentisque pretii Salomon Hieroſolymis parari curavit. 1 Reg. X. 18. Veſtibus quoque Reges ſplendidiſſimis regiamque majeſtatem referentibus בגדי המלכות amiciebantur, ex quibus facile ab aliis dignoſci poterant vid. Matth. VI. 29. Actor. XII. 21. 1 Sam. XXVIII. 8. & 1 Reg. XXII. 30. ***Insignia regni.***

XI. Nihil magis Regem ornat quam *pietas*, unde ut illi perpetuo tam in omni vita, quam in regni adminiſtratione ſtuderet, juſſit Deus ut propria manu משנה תורה *exemplar legis* (alii de gemino exemplari phraſin accipiunt) deſcriberet, illud ubicunque eſſet ſecum ferret & legis ſtudio perpetuo incumberet. Deut. XVII. 8. ſeqq. Eundem ſub initium novæ heptaëridos ſabbathicæ, exacto primo feſti tabernaculorum die (P. I. c. XXI. §. XLVI.) aliquas legis pericopas, ſedentem in ***Pietas Regis.***

atrio

atrio mulierum e suggesto ligneo, populo prælegisse Judæi ex Deut. XXXI. 10. docent.

Alia eidem observanda. XII. Idem debebat operam dare *temperantiæ* Prov. XXXI. 4. non *multiplicare equos*, nec *opes sibi nimias corradere*, aut *se supra fratres efferre* Deut. XVII. 17, 20. sed contra summam Mosis *mansuetudinem* & *comitatem* sibi imitandam proponere.

Matrimonium. XIII. Quod ad matrimonium attinet, nonnulli Judæorum afferunt illum nec *repudiatam* nec *viduam*, ne quidem Regis duxisse, quemadmodum nec vidua ejus alteri etiamsi Regi nubere potuerit, alii tamen exemplo Davidis Regi viduam permittunt. Eundem legi Leviratus adstrictum fuisse negant. Multiplicatio autem mulierum Lege ipsa illi interdicta erat. Deut. XVII. 17. quam Magistri de non ducendis ultra XVIII tam conjugibus quam pellicibus interpretantur. Hæc atque alia plura numero triginta Judæi de regibus tam ex scriptura quam ex *πατροπαραδόσει* tradunt.

Regis dignitas. XIV. Maxima Regis erat dignitas, subditorumque erga eundem reverentia Prov. XXIV. 21. ita ut ad illum in solio sedentem accedentes, quod non nisi

nisi illo concedente licebat, starent, seque coram ipso in terram prosternerent. 2 Sam. IX. 6. XVI. 4.

XV. Magna idem gaudebat *potestate*, quam tamen justo nimis extendunt, qui eandem per משפט המלך 1 Sam. VIII. 11. intelligi existimant, cum verbis illis, non quid faciendum, sed quid facturus sit Rex, atque adeo tyrannicus potestatis abusus describatur. *Potestas.*

XVI. Ab altera tamen parte multi Judæorum nimium eandem infringunt, dum non solum Regem nihil nisi ex sententia Pontificis & Senatus valuisse, sed & Synedrio ita subfuisse, ut & verberum pœna variis de causis affici posset, statuunt. *Nimium a Judæis imminuta.*

XVII. Ut Rex sumptus ad tuendam dignitatem aulamque sustinendam haberet, Judæi illi *decimas* & *vectigalia*, quin & jus in casibus extraordinariis *tributa* exigendi assignant. Non parum quoque illi bonis occisorum (§. XIX.) nec non spoliis & opibus (§. XXII.) devictorum hostium augebantur. *Reditus.*

XVIII. Duo præcipue erant munia quæ populus a Rege exspectabat, & quorum causa illum a Deo flagitabat, *Munia Regis.*

1. ut

1. *ut populum judicaret*, 2. ut eidem *in bello præiret* 1 Sam. VIII. 5, 20.

Judicium. XIX. *Judicium* Regi competens, non ſolum in cauſarum civilium & criminalium cognitione, & ſententiæ prolatione conſiſtebat 1 Reg. II. 16. ſeqq. ſed & cum poteſtate reos plectendi, pœnamque pro re nata, etiam mortis infligendi conjuncta erat, hanc autem Judæi ad ſolam pœnam gladii reſtringunt, ita tamen ut varias ſimul prærogativas Regi præ aliis judicibus, & ipſa bona occiſorum tribuant. Ab altera vero parte jus hoc imminuunt, dum *Regem nec judicare nec judicari affirmant*, quod tamen alii de ſolis Regibus Iſraelis accipiunt, qui contra e ſtirpe Davidis *judicare & judicari*, quin & in ipſum Synedrium aliquando cooptatos eſſe aſſerunt.

Officia & jura in bello varia. XX. In bello pro vario ejus diſcrimine, varia Regis officia atque jura erant. *Bellum* enim *lege mandatum* מלחמת מצוה contra ſeptem populos & Amalek, aut ad populum contra hoſtium vim defendendum, ipſemet propria auctoritate, ſed מלחמת רשות *bellum arbitrarium* ad dilatandos regni fines, aut gloriam famamque ejus augendam, ex mente Judæorum, non niſi

nisi consulto & consentiente Synedrio M. gerebat.

XXI. *Officia* ejus erant milites conscribere & lustrare, duces & præfectos constituere, summam totius belli curam gerere, exercitum in aciem educere, & una cum illo contra hostes strenue dimicare. *In bello gerendo.*

XXII. Deletis aut devictis vel semet dedentibus hostibus, *finem* bello faciebat, *pacem* concedebat, aut *tributa* imponebat. De *præda* vero ita statuunt Judæi: omnes thesauri subactorum Regum Regi cedunt, nec non omnes regiones, has autem, sibi quas vult servatis, dividit servis & militibus suis: reliquæ prædæ partem dimidiam capit, altera inter milites & arma custodientes dividitur: Rex autem unctus ex omnibus terris, quas Israel subegit, partem capit tertiam decimam. *In eodem finiendo.*

XXIII. Uti Reges in vita maxime erant honorati, ita eosdem quoque, & præcipue bonos piosque, in *morte* tenerrimi amoris summæque venerationis signis prosequebantur. Hanc enim variis intensissimi luctus testimoniis acerbissime plangebat universus populus 1 Reg. XIV. 18. 2 Chron. XXXV. *Morte Regis.*

24. corpus pretiosissimis aromatibus pollinctum, nonnunquam & lecto splendidissimo ad tempus expositum, insigni pompa superbissimo tumulo, appositis aliquando immensis thesauris inferebant, & Regum quidem Davidicorum, monumento in hunc usum Hierosolymis structo. 1 Reg. II. 10. XI. 43. In eorundem honorem omnem regiam supellectilem combustam, equos enervatos, tum ministrorum, servorum ancillarumque defuncti usum, nemini nisi successori concessum, denique & ad tumulum nonnunquam scholam studio Legis erectam, Judæi testantur.

Primus Rex Saul. XXIV. Hæc præcipua sunt circa Regiam Hebræorum dignitatem observanda. Ad eam autem primum ipsius Dei designatione evectus est Saul ex tribu Benjamin 1 Sam. VIII. quo dein ob inobedientiam rejecto, eadem ad tribum Judæ translata, Davidique & familiæ ejus hæreditario jure concessa est. 1 Sam. XV. 23. & XVI. 7.

Dein David & filii ejus. XXV. Vix autem sub illo & filio Salomone summum gloriæ majestatisque culmen attigerat, cum mox, nimio filii ejus Rehabeami rigore, decem tribus deficerent propriumque sibi

bi Regem Jeroboamum constituerent, reliquis duabus tantum in fide erga Rehabeamum & domum Davidicam permanentibus. 1 Reg. XII. Non leves tamen Regum familiæ Davidicæ præ reliquis prærogativæ fuerunt.

XXVI. Ab hoc tempore divisum imperium, geminumque regnum, alterum *Judæ*, cui duæ tribus Judæ & Benjamin, alterum *Israelis*, cui X reliquæ superant, exsistere cœpit. Prioris ordinaria sedes Hierosolyma, posterioris Samaria erat. 1 Reg. XVI. 24, 29. Duo hæc regna infensissimo semet odio prosequebantur, gravissimisque cladibus se mutuo afficiebant. *Regni divisio.*

XXVII. Hæc regiminis forma inde a Salomonis temporibus (si interregna quæ nonnunquam ad breve tempus evenerunt, excipias) locum habuit, donec tandem Hosea per Salmanassarem devicto & in Assyriam captivo abducto, Regnum Israelis, Zedekia vero per Nebucadnezarem Babelem transportato, Regnum Judæ exspiraret, Gedalja, ad tempus, relictis in Canaane, a Nebucadnezare præfecto. 2 Reg. XXV. 7, 22, 25. *Regni utriusque finis.*

XXVIII. Post restitutionem ex captivitate Babylonica, sub Regibus Per- *Principatus.*

 sarum,

ſarum, quibus & tributa pendebantur Eſ. IV. 13. VII. 24. Neh. V. 14. populo præfuerunt Principes deportationis, quorum Judæi ſucceſſive quinque *Zorobabelem*, *Meſullamum*, *Hananiam*, *Berechiam* & *Heſadiam* omnes ex familia Davidis numerant. His nonnulli adhuc X Gubernatores ex eadem domo ſub imperio Græcorum ſubjungunt, cum quorum ultimo tandem gloria domus hujus ſublata ſit, de his autem non ſatis certo conſtat, quin potius id certum eſt, magnam jam illis temporibus Pontificum poteſtatem fuiſſe.

Duces Chaſmonæi. XXIX. Tandem rerum ſumma ad familiam *Chaſmonæorum* devoluta eſt, cujus conditor fuit *Mattathias*, vir ſacerdotali genere ortus, qui cum Judæi ab Antiocho Epiphane valde premerentur, bello contra illum moto principatum obtinuit.

Judas Maccabæus. XXX. Mattathiam ſecutus in hac dignitate belloque ſtrenue gerendo *Judas Maccabæus*, ita dictus, non a כבה *delevit*, nec a מכה בי *per me eſt plaga*, aut literis initialibus verborum Exod. XV. 11. מי כמכה באלים יהוה ſed a نكب *præfuit ut Dux*, unde منكب *Dux, præfectus*, a quo nonnulli

minus

minus recte integram familiam Maccabæorum nominant.

XXXI. Judam Maccabæum exceperunt reliqui Mattathiæ filii, quorum in universum quinque reliquit. Horum ultimus *Simon* Judæis plenam libertatem, & purgatum templum cum publico cultu restituit, unde illi & posteris *Principatus* cum *Pontificatu* hæreditario jure concessus confirmatusque est. 1 Maccab. XIII. & XIV. *Fratres & Successores.*

XXXII. In hac familia utraque dignitas mansit, donec tandem *Antipater* gente Idumæus, sed Judæorum sacris initiatus, a Cæsare præfecturam Syriæ & procurationem Judææ obtinens, filio viam a novum regnum sterneret. *Antipater.*

XXXIII. Erat hic *Herodes* Ascalonites, qui contracta per matrimonium Mariamnes cum regia familia affinitate, postquam in non leve periculum ab Antigono, regnum cum Pontificatu occupante, adactus esset, Romam confugiens, a Senatu *Rex Judæorum* declaratus est. *Regnum Herodis.*

XXXIV. Non mansit tamen dignitas regia diu in familia Herodis, ipso enim mortuo, Regnum in *tetrarchias* inter tres filios ejus dividebatur, ita *Tetrarchæ.*

ut Archelaus, *Ethnarchæ nomine*, Judæam Idumæam & Samariam, Philippus Auranitin, Trachonitin, Batanæam cum parte domus Zenodori, Herodes Antipas Galilæam & Peræam acciperet.

Judæa in provinciæ formam redacta. XXXV. Postquam autem Archelaus per X annos dignitatem hanc gessisset, ab Augusto Viennam relegatus, & Judæa in provinciæ formam redacta, Syriaeque attributa est.

Herodes Agrippa Rex. XXXVI. Dein tamen Herodis ex Aristobulo nepos *Agrippa*, a Cajo Cæsare primum *Rex* salutatus, mox tetrarcha Philippo fatis functo & Antipa in exsilium pulso, eorum provincias tandemque ultimo vitæ triennio sub Imperatore Claudio universam avi sui Herodis M. Regionem obtinuit.

Agrippa Junior. XXXVII. Hoc demortuo Judæa per procuratorem Cuspium Fadum administrata, donec prioris filius *Agrippa junior* Chalcide primum, dein ejus loco tetrarchia Philippi Batanæa & Trachonitide, ut & Abilene Lysaniæ, cum parte Galilææ & Perææ, Regis titulo (Act. XXV. 13.) donaretur, quo vivente tandem Hierosolyma sub Imperatore Vespasiano funditus eversa, omnisque Reip. & pristini regiminis forma penitus sublata est.

XXXVIII.

XXXVIII. Sic pedetentim & per gradus ſceptrum a Juda receſſit, Gen. XLIX. 10. licet enim & in exilio haberent Judæi quibus nomen נשיאים ſeu *Principum* darent, tamen nec hi ex Juda nec in regione tribus Judæ fuerunt, nec ullo Regum aut Principum jure aut poteſtate gaviſi ſunt, & in hunc diem usque ſine Rege & Principe ſedent. Hoſ. III. 4.

XXXIX. Nec mirum cum interea temporis ſub Herode M. jam natus eſſet מלך המשיח *Rex Meſſias*, verus legitimusque throni Davidici hæres Jeſ. IX. 5. 6. Jer. XXIII. 5. & per paſſiones conſummatus, inque gloriam introductus, ſpirituale & cœleſte regnum, priori illo adumbratum erexiſſet. *Regni Meſſiæ erectio.*

CAP. IV.

De Synedriis aliisque Dicasteriis Judæorum.

I.

Varia dicasteria. Præter Judices & Reges memorantur inter Judæos adhuc varii consessus variaque collegia, quibus non exigua in administratione Reip. & justitiæ pars fuit, quorumque præcipue tria recensentur.

Synedrium. II. Decantatissimum hac in parte maximeque obvium est סנהדרין seu *Synedrii* nomen, appellatione a Græcis mutuata, & tam de consessu ipso, quam loco ubi is agebatur, adhiberi solita.

Duplex. III. Nonnulli triplicis Synedrii mentionem faciunt, sed male cum Judæi non nisi duplex agnoscant, quorum alterum סנהדרין גדולה *Synedrium magnum*, alterum סנהדרין קטנה *Synedrium minus* dicitur.

Synedrium M. IV. *Synedrii magni* quod nonnulli minus recte cum כנסת הגדלה *Synagoga Magna* (de qua P. I. c. V. §. XVII.) confundunt, antiquitatem nimium extollunt,

lunt, qui illud ex Ægypto repetunt, at contra nimium deprimunt, qui Chasmonæorum tempore demum ortum contendunt.

V. A Mose autem ipsius Dei jussu primum erectum esse, indeque ab illo tempore viguisse, ejus diserte memorata institutio Num. XI. 16. nullibique tradita abrogatio, & recentioris institutionis altum silentium, & potestatis Regiæ per principum auctoritatem limitatio Esdr. VIII. 20. & Jer. XXXVIII. 4, 5. & seniorum, judicum, thronorumque judicii passim facta mentio, & ipsius servatoris testimonium Matth. XXIII. 2. & denique universalis Judæorum in re domestica consensus satis evincunt. *Ejus origo & Antiquitas.*

VI. Nec quæ contra moventur difficultates, tanti momenti sunt, ut argumenta hæc infringere valeant: diffitendum tamen non est, Collegium hoc non semper eundem splendorem eandemque auctoritatem habuisse, & præcipue sub regibus utriusque non parum amisisse: contra serioribus temporibus sibi non solum nimium arrogasse, sed & multa illi forsan tribui, quibus nunquam gavisum est. *Difficultates & cautelæ hic observandæ.*

Electio Synedrorum. VII. Constabat Viris LXXI unde & סנהדרין של שבעים ואחד dicitur, lectis ex universo populo, non tamen (ut Judæi docent) nisi honestissimo genere & conjugio familiæ Sacerdotalis digno natis, Legis peritissimis, & in aliis studiis, medicina, Arithmetica, Astronomia satis versatis, variarum linguarum cognitione imbutis, quin nec ipsarum artium prohibitarum, ut doctrinæ magicæ &c. rudibus, tum quoque justitiæ & integritatis laude inclytis, nullo corporis vitio laborantibus, imo, quantum pote, ætate, forma, eloquio aliis præstantibus. Licet autem nulli tribui dignitas hæc esset alligata, maxime tamen Sacerdotum & Levitarum in electione habebatur ratio, quamvis si eorum nullus in Synedrio inveniretur, legitimum tamen esset.

Princeps. VIII. Unus & quidem Sapientia reliquis præstans constituebatur collegii hujus *caput*, dictus הנשיא *Princeps* & ראש הישיבה *caput consessus*, (probe distinguendus a *Rectore Academiæ* ejusdem nominis) qui loco Mosis erat integrumque collegium moderabatur, & quoties Synedrium intraret, singulari reverentia excipiebatur.

IX.

IX. Secundus ab eo erat אב בית דין *Pater domus judicii*, ad quam dignitatem evehebatur, qui illi Sapientiæ laude proximus esset. Hujus post principem summa auctoritas erat, unde in introitu distincto quoque a reliquis honore afficiebatur. *Pater domus judicii.*

X. In considendo idem dignitatis discrimen observabatur. Princeps enim semper medium occupabat locum, Pater domus judicii illi ad dextram proximus erat, reliqui autem ab utroque latere considebant in formam arcus seu instar dimidiæ areæ circularis, ita ut sapientia excellentior Principi propior esset, & Princeps omnes intueri posset. *Sedendi ratio.*

XI. Præter hos duo scribæ erant, stantes coram iis unus ad dextram alter ad sinistram, quorum unus absolventium alter condemnantium vota scripto consignaret. *Scribæ.*

XII. *Locus* consessus hujus stante tabernaculo videtur ad ejus ostium fuisse Num. XI. 24. unde Judæi *vicinum altari* בצד המזבח statuunt. In templo I ad portam orientalem in לשכת השרים *conclavi Principum* Jer. XXXV. 3. consedisse creditur. In templo II autem ordinariam sedem *Locus.*

in

in לשכת הגזית *conclavi cæsi lapidis* (P. I. c. VIII. §. XX.) habuit, ita structo ut pars ejus in atrio, pars in antemurali sita esset, quo in hac ut minus sancta sedere possent, quod in atrio non licebat. Conclave autem hoc minus recte a nonnullis pro λιθοστρώτῳ Joh. XIX. 13. habetur.

Migratio ex eodem. XIII. Hinc tamen Judæi asserunt XL annis, ante ultimum templi excidium in חניות tabernas montis templi (*P.* I. c. VIII. §. XI.) migrasse, nec eo nisi ad tempus in causa Jesu rediisse, dein in urbem Hierosolymam atque inde ad alia loca descendisse ut §. XIX. videbimus.

Tempus. XIV. Ad tempus ejus quod attinet singulis diebus consessus hic agebatur a sacrificio jugi matutino usque ad vespertinum, exceptis tamen diebus Sabbathi, & ימים טובים *diebus maxime festis*, quod si illis tamen convenirent, non in conclavi Gazith, sed in antemurali, vel ut alii dicunt, in schola montis templi id fiebat. Judicia autem de die incipienda & finienda erant, præterquam pecuniaria, quæ de die incipi debebant, sed noctu finiri poterant.

Ejus potestas, & munus. XV. Magna hujus collegii erat potestas, nam de rebus maximi momenti,

ti, tam civilibus quam ecclesiasticis statuebat, minores minoribus relinquens dicasteriis: Leges pro re nata condebat, de bello arbitrario gerendo decernebat, integram tribum, Pontificem imo ipsum Regem data occasione judicabat, Synedria minora constituebat, mulierem adulterii suspectam potabat &c. imprimis vero Legi Mosis sartæ tectæ conservandæ invigilabat, unde in Pseudoprophetas non solum animadvertebat, sed & de vero sensu Legis, præcipue subnatis quibusdam dubiis pronunciabat, & denique de omnibus rebus, quæ minora judicia decidere non poterant, ut summum ultimumque tribunal sententiam ferebat.

XVI. In ejus autem sententia omnes acquiescere tenebantur, quod si quis sapientum recusaret, זקן ממרא *senex rebellis* pronunciabatur, vitæque discrimen subibat. Non tamen Judæi illud infallibile statuunt, quin potius errare potuisse concedunt, unde si id factum in negotio idololatriæ, sacrificium Num. XV. 24. offerendum fuisse asserunt. *Judicium definitivum non infallibile.*

XVII. Nec judicabat tantum, sed & in reos animadvertebat variis pœnis, quem in finem duos Ministros habebat. IV Capitalia supplicia (de qui- *Jus vitæ & necis.*

quibus cap. seqq.) ex ejus quoque sententia infligebantur.

Fata ejus XVIII. De historia & fatis Synedrii M. antiquiorum seculorum parum constat, sed quæ hac de re traduntur, præcipue tempus templi II, sub quo maximam auctoritatem consecutum est, respiciunt. Sub hoc & aliquot annis post ejus destructionem, XVI successive Præsides recensentur *1 Esras 2 Simeon Justus 3 Antigonus Sochæus 4 Jose ben Joëser 5 Josua ben Perachja 6 Simon ben Schetach 7 Schemaja 8 Hillel:* (his quinque ultimis Patres domus Judicii dantur, *Jose ben Jochanan, Nittai Arbelita, Juda ben Tabbai, Abtalion, & Schammai*) *9 Rabban Simeon 10 Rabban Gamaliel* (cujus mentio fit Act. V. 34. & XXII. 3.) *11 Rabban Simeon 12 Rabban Jochanan ben Zaccai 13 Rabban Gamaliel Jafnensis 14 Rabban Simeon 15 R. Iehuda Sanctus 16 Rabban Gamaliel.*

Decrementum & finis. XIX. Rebus Judæorum retro labentibus, hujus quoque collegii gloria pedetentim evanuit, nam XL annis ante templi excidium, non solum judicia capitalia illi ademta, sed & loco suo motum est. Postquam enim in tabernas templi indeque in ipsam urbem Hierosolymam (§. XIII.) descendisset, tan-

tandem post urbis excidium in urbem *Iafnem*, inde *Uscham*, iterum *Iafnem*, denuo *Uscham*, tum *Spharam*, dein *Beth Schearim*, hinc *Sepphorim* ultimo *Tiberiadem* migravit, illic autem tandem penitus sublatum est. Atque hac ratione Legislator quoque e medio pedum Judæ recessit Gen. XLIX. 10. cujus post urbis excidium, nullum inter pedes Judæ vestigium, sublato autem plane Synedrio, nullibi vel umbra superfuit.

XX. *Synedrium minus* quod in Magistrorum tantum scriptis memoratur constabat Viris XXIII, in quorum electione, non minus summa cura, quam in membris Synedrii M. adhibebatur. Horum unus autem hic quoque erat Præses, unus *Pater domus Iudicii*, & XXI collegii membra. Præter duos scribas ibidem insuper tres ordines XXIII candidatorum inveniebantur. *Synedrium minus.*

XXI. Istiusmodi Synedria duo erant Hierosolymis, alterum ad ostium atrii, alterum ad portam montis templi: tum unum in omnibus locis, quæ plures quam CXX incolas habebant, aptos ad id ut ex illis constituerentur XXIII judices, tres ordines XXIII candidatorum, X otiosi Synagogæ, II Scribæ Synedrii, *Ubi?*

drii, II Miniſtri, II litigantes, II teſtes, II teſtes falſi, II illis oppoſiti, I collector eleemoſynarum, I medicus, I Chirurgus, I Librarius, I Lanio, I Ludi magiſter. Nonnulli tamen hos paulo aliter recenſent.

Forma conſeſſus. XXII. Conſidebat eadem forma ſemilunari, ut Synedrium M. Præſide medium, Patre domus judicii, illi proximum ad dextram locum occupante, nec non ſcribis ad utrumque latus conſiſtentibus. Tres autem candidatorum ordines, trina ſerie coram Synedris ſubſellia ſua habebant.

Tempus. XXIII. Tempus conſeſſus hujus erat dies ſecundus & quintus hebdomadis, & quidem ante meridiem, paulo poſt preces matutinas usque ad horam ſextam.

Munus. XXIV. Judicabat non ſolum *cauſas civiles* incolarum loci cui præerat, ſed & *criminales*, quin & *judicia capitalia* exercebat, ad quorum exſecutionem & ſuos lictores habebat.

Cooptatio candidatorum. XXV. Si diviſa vota & ad deciſionem numerus augendus eſſet, ſupremum ex primo ordine candidatorum ad id conſtituebant, tum primum ordinis ſecundi in ultimum locum ordi-

nis

nis primi, & primum ordinis tertii in ultimum locum ſecundi, denique in ultimum locum ordinis tertii, alium ex cœtu ſurrogabant.

XXVI. Tertium judiciorum genus erat בית דין של שלשה *Conſeſſus trium*, quale conſtituebatur in omni loco ubi non eſſent CXX incolæ, ad munia ſupra §. XXI. enumerata apti. In hoc collegium admittebantur omnes, etiam ſpurius & peregrinus, modo matre Iſraelitide natus eſſet. *Conſeſſus trium.*

XXVII. Tempus quo conſidere ſolebat, idem erat quod Synedrio minori conſtitutum §. XXV. *Tempus ejus.*

XXVIII. Demandatæ illi tantum erant cauſæ leviores, ut דיני ממונות *judicia pecuniaria*, quorum leviſſima tamen etiam extra illud decidi poterant §. XXXII. & דיני קנסות *judicia mulctæ*, ut rapinæ, damna, compenſatio dupli, quadrupli & quintupli, violatio puellæ, &c. In cauſis gravioribus nonnunquam & prima cognitio eo ſpectabat, ſed ſuperioris tantum judicii informandi cauſa. Flagellationem quoque irrogare poterat, ſed judicia capitalia illi non competebant. *Officia ejus.*

XXIX. Ut autem eo magis collegiis hiſce proſpiceretur de Viris ſatis aptis *Cura de aptis judicibus.*

& ad munia obeunda idoneis, dicunt Sapientes moris fuisse, ut Synedrium M. per universam terram mitteret, qui in homines sapientes, timentes peccatum aliisque dotibus conspicuos inquirerent, & qui tales invenirentur, primum in urbe sua constitutos judices, indé autem ad introitum montis templi, dein ad ostium atrii & tandem ad Synedrium M. promotos fuisse.

Collegiorum horum subordinatio. XXX. Habebant quoque hæc collegia peculiarem ad se invicem relationem, ita ut si quid in consessu trium determinari non posset, ad proximum Synedrium minus, si nec hic ad illud in monte templi, inde ad alterum ad portam atrii, & tandem si nec illic decideretur, ad Synedrium M. devolveretur.

Judices septem. XXXI. Josephus Ant. IV. c. 8. plus semel collegii *septem judicum* in singulis urbibus constituti mentionem facit, de quo autem ex scriptis Rabbinorum non satis constat, licet & in quibusdam casibus, ut *intercalatione anni*, *septem judicum* decretum requirant, quemadmodum & in aliis, ut *decollatione juvencæ*, *quinque* necessarios fuisse asserunt.

Judex unus. XXXII. In rebus levioris momenti poterat quoque negotium uni arbitro מומחה *probato*, aut cui potestas esset

ut

in finem a Synedrio data, committi. Magistri tamen jubent, ut talis plures ad se adsciscat, nec solus judicet secundum illud לא תהי דן יחיד שאין דן יחידי אלה אחד

Domus judicii Sacerdotum, aut Pont. M.

XXXIII. Nonnunquam in Talmude memoratur בית דין של כוהנים *domus judicii Sacerdotum* & בית דין של כוהן גדול *domus judicii Pontificis M.* quibus videtur intelligi consessus aliquis Sacerdotum sub Pont. M. a quo res ad templum & Sacerdotium aut publicum cultum spectantes dijudicatæ fuerunt, cujusque conventus forsan in לשכת פרהדרין conclavi παρεδρῶν aut βουλευτῶν (P. I. c. VIII. §. XX.) agi solitus fuit. Atque hujus collegii membrum nonnullis habetur Josephus Arimathæensis εὐσχήμων βουλευτής Marc. XV. 43.

Iudex Proselytorum.

XXXIV. Varia autem hæc dicasteria relationem tantum habebant, ad illos qui legi Mosis suberant: *Proselytis* vero *portæ* vel unus aliquis peculiaris judex, ut apud Romanos *Prætor* peregrinus, constituebatur, vel plures sive ex ipsorum medio, sive ex Israelis aut Proselytis justitiæ, ut adeo proprium suum forum haberent.

CAP. V.

De judiciis, pœnis & Suppliciis.

I.

Judicia. Vidimus varia Judæorum dicaſteria, proximum eſt ut & in ipſa judicia propius inquiramus; quæ potiſſimum duplicis erant generis, *civilia* & *criminalia*.

Locus in portis. II. Inſtituebantur illa, ſi conclavia Synedrio Hieroſolymitano magno & parvo in templo ipſo aſſignata (cap. præced. §. XII. & XXI.) excipias, jam inde ab antiquiſſimis temporibus *in portis* urbium Amos V. 15. ubi eum in finem ſellæ collocabantur, in quibus judices conſiderent. 1 Reg. XXII. 10. Pſalm. CXXVII. 5. Prov. XXXI. 23. Thren. V. 14.

Tempus. III. Non incipiebant nec agebant judicia noctu, quemadmodum nec teſtimonium illo tempore accipiebant, nec contractus inibant. Cauſas tamen pecuniarias, ſi interdiu cœptæ eſſent, noctu terminare licebat.

IV.

IV. Partes litigantes vel utro in jus ibant, aut se mutuo abripiebant, vel a judicibus citabantur, rei etiam per emissos ministros vi sistebantur. *Vocatio in jus.*

V. Coram judicio autem plerumque causam suam ipsæmet, & quidem *stantes* exponebant, actore, aliquando & advocato, dextrum latus occupante, Zach. III. 1. Pf. CIX. 31. nonnunquam tamen, ut in specie, si Pontifex M. in jus vocaretur, per אנטלר *Procuratorem* agere concedebatur. *Causæ institutio.*

VI. Causa exposita spatioque ad defensionem dato, judices probe inquirere tenebantur, nec faciem, multo minus pretium accipere, sed justum ferre judicium debebant. Deut. XVI. 18, 19. 2 Chron. XIX. 6. seqq. *Inquisitio.*

VII. Ubi res non satis patebat, ad *testes* confugiebatur, quorum ad minimum duo vel tres requirebantur, præcipue in caussis capitalibus Deut. XVII. 6. XIX. 15. Heb. XII. 28. Excludunt autem Judæi a testimonio dicendo hos decem, *Fæminas, Servos, Minorennes, Surdos* (quibus jungunt *mutos*) *Cæcos, Impios, Impudentiores, Propinquos & falsitatis antea convictos.* Proselytum tamen portæ in judicio suo, ad unius, *Testes.*

ejusque etiam propinqui, testimonium damnari ad mortem potuisse, tradunt.

Pœna falsorum testium. VIII. Si quis deprehenderetur falso alterum accusasse, aut falsum contra illum dixisse testimonium, eadem pœna afficiendus erat, quam alteri intentaverat, aut is, ubi reus esset deprehensus, meruisset, Deut. XIX. 18, 19. Contra Pseudoprophetam tamen Judæi falsos testes impune admittunt.

Jusjurandum. IX. Si testes non adessent, aut per illos res confici non posset, jusjurandum ut finis omnis litis adhibebatur, Exod. XXII. 11. Hebr. VI. 16.

Per solius Dei nomen. X. Jusjurandum cum sit solemnis Dei ut testis & Judicis invocatio, non nisi in caussis sat gravibus, & quidem per ejus solius nomen fieri debebat, Deut. VI. 13. X. 20. Invaluit tamen apud Judæos dudum perditus mos, præcipue in vita communi, non tantum levissimis de caussis, sed & per creaturas *cælum, terram, Hierosolymam, templum, altare, caput* suum, *barbam* suam &c. jurandi Matth. V. 34. sqq. XXIII. 16. sqq.

Jurisjurandi varia genera. XI. Judæi *quatuor jurisjurandi species* distinguere solent, שבועת ביטוי *jusjurandum temerarium*, quali Sapientem unum aut duos, aliquem ex vulgo absolvere potuisse contendunt. שבועת שוא *jus-*

jusjurandum vanum, שבועת פקדון *jusjurandum depositi*, & שבועת עדות *jusjurandum testimonii*. Duæ posteriores species ad forum præcipue spectant.

XII. Fiebat jusjurandum vel disertis verbis a jurante prolatis, vel adjuratione a judice proposita, ad quam jurans rem affirmando aut negando, vel etiam particulam Amen subjungendo respondebat Num. V. 21. 22. Matth. XXVI. 63. Monebatur autem simul, se non ex mente sua, sed ex mente Dei & Synedrii adjurari. *Verba.*

XIII. *Ritus gestusque* in jurejurando observati varii erant. Antiquitus non solum fiebat *manu* cœlum versus *sublata* Gen. XIV. 22, 23. coll. Ps. CVI. 26. sed & aliquando eadem *femori* alterius *supposita*, Gen. XXIV. 2. & XLVII. 29. Inprimis in foro jurans *libro legis* brachio suo prehenso, *stabat*, & verba jurisjurandi, sive ex suo sive judicum ore, pronunciabat. Nonnunquam etiam addebantur *Feretrum, uter inflatus & candelæ* ardentes, quæ vento ex utre emisso exstinguerentur, una cum horrendis *exsecrationibus* in pejerantem, quin & tristiori aliquando buccinarum sono & acclamatione verborum Mosis Num. XVI. 26. *Ritus & circumstantiæ.*

26. a circumstantibus facta, ad majorem terrorem juranti incutiendum.

Processus adulterii suspectæ. XIV. Peculiaris prorsus processus in causa *mulieris adulterii suspectæ* סוטה locum habebat, quem Judæi ita describunt. Adducebatur primum a viro ad judices loci sui, a quibus, si factum negaret, Hierosolymam mittebatur, comitibus datis duobus discipulis sapientum, tum sistebatur coram Synedrio M. quod eam terrebat, & ad confessionem adigere conabatur.

Constitutio ejus in templo &c. XV. Si nec hac ratione ad delicti confessionem veniret, nec testes idonei adessent, adducebatur ad templum, & sacerdoti, ex ephemeria ministrante, ad hoc munus sorte lecto tradebatur, tum adducto pro illa ferto מנחת סוטה decima scilicet ephæ farinæ hordeaceæ, sine oleo & thure, (P. I. c. XIV. §. VI. & XIII. sqq.) Sacerdos illam לפני יהוה *coram Iehova*, in porta Nicanoris sistebat, & aquam ex labro æneo haustam, vasi fictili novo, nec ad ullos antea usus adhibito infundebat, admixto pulvere, ut nonnulli volunt atrii, vel ut alii rectius, ipsius ædis, quem in finem Judæi in Sancto fossulam cubitum longam & latam, ubi is asservari solebat, statuunt.

XVI.

XVI. Omnibus hac ratione præparatis, Sacerdos caput mulieris denudabat, ut crines disturbarentur, vestesque diripiebat, ut sinus detegeretur & si albis induta esset, iis ut & gemmis atque monilibus omnibus sublatis, eam nigris amiciebat, tum illas ne penitus prolaberentur, supra mammas fune junceo constringebat. Dein ferto in corbe saligna allato, vasique sancto immisso & manibus mulieris imposito, manu tenens aquas pulvere mixtas, dictas מי המרים המאררים (quarum quantitas ad minimum dimidii logi erat) illam verbis Num. V. 19. seqq. schedulæ inscriptis, omissis tamen quæ ad rem non faciebant, adjurabat, ad quam adjurationem ipsa *Amen, Amen*, respondebat, tum aquas bibendas dabat. *Adjuratio & potatio aquis amaris.*

XVII. His peractis Sacerdos manibus suis, manibus mulieris suppositis, fertum agitabat, tum ferto ad angulum altaris notozephyrinum deposito, pugillum inde acceptum & sale conspersum, in ignem altaris conjiciebat, reliquiis ferti Sacerdotibus in cibum concessis. *Oblatio ferti ejus.*

XVIII. Postquam aquæ in ventrem ejus penetrassent, si innocens esset nihil inde patiebatur mali, sin rea intu- *Effectus potationis.*

mescebat venter, concidebat femur ejus, & oculi protuberabant, quo viso statim eam templo ejiciebant, ne atrium inquinaretur. Non tamen semper protinus inde moriebatur, sed aliquando tabem contrahebat, qua post duos demum aut tres annos occumberet.

Abrogatio bujus ritus. XIX. Ex quibus omnibus patet, fuisse hoc præsentissimum vindictæ divinæ signum. Cum autem adulteri valde multiplicarentur in Israele, cessasse aquas amaras, earumque usum abrogasse R. Jochananem Ben Saccai Judæi tradunt.

Tortura an Judæis usitata. XX. In aliis autem casibus, ubi nec per testes nec per jusjurandum res decidi posset, nihil amplius supererat, quam ut res summo Judici relinqueretur: *Torturæ* enim seu quæstionis criminalis vestigia, in populo judaico nulla deprehendimus.

Sententiæ prolatio. XXI. Causa cognita Judices ad *sententiæ prolationem* progrediebantur, quem in finem singuli suffragia sua ferebant, sive ad absolutionem, sive ad condemnationem, sive ad judicii suspensionem, phrasi איני יודע *non liquet mihi*. Suffragia æque ac integer processus a duobus Scribis diligenter annotabantur. Si rei innocentia manifesta esset absolvebatur, sin minus, numerabantur suffragia, & secundum illa sententia formabatur.

XXII.

XXII. In caufis gravioribus fi reus condemnandus effet, fententiam quoque differebant in craftinum, & cibo imminuto vinoque per integrum diem non guftato, omnes judices feorfim & quidem bini, de caufa denuo tota nocte inter fe conferebant, tum primo mane ad domum judicii reverfi, denuo fe in fententia abfolutoria aut condemnatoria perfeverare aut eam mutare teftabantur, ubi tamen a condemnatoria tantum ad abfolutoriam tranfire licebat, non contra. Quando judicum vota paria erant aut condemnantium numerus uno fuffragio abfolventes excedebat, uno dicente non liquet, numerum judicum femper duobus adfcitis augebant, donec votorum pluralitate res decideretur. Si XXXVI comdemnarent, XXXV abfolverent, tamdiu difceptabant, donec ex prioribus aliquis ad pofteriores accederet. *Ejusdem dilatio.*

XXIII. Prolata fententia abfolutus, ftabat in judicio liberque demittebatur, reus condemnatus exibat Pfalm. I. 5. & CIX. 7. pœnæque ftatutæ fubjiciebatur. In delictis capitalibus rei quoque ftatuebantur in loco eminentiori 1 Reg. XXI. 9, 10. & judices æque ac te- *Prolatæ fententiæ fequela.*

testes, manibus illis impositis dicebant, דמך בראשך שאתה גרמת לך *Sanguis tuus sit super caput tuum, tu enim ipse tibi commeritus es.*

Exsecutio. XXIV. Ad sententiæ exsecutionem in pœnis minus capitalibus reus a Judice tradebatur *τῷ πράκτορι* Luc. XII. 58. Hoc sensu Judæi vocem שוטרים sumunt, quos Judicibus baculo & loris adstitisse volunt, quin & discurrisse per fora & plateas ad ordinanda pretia & mensuras, & verberasse perverse agentes, omnia autem ex sententia judicii. In pœnis capitalibus non habebant Judæi peculiares *Carnifices*, sed infligebantur illæ pro re nata, a quibuscunque qui præsto erant, 1 Sam. XXII. 18. vel a testibus, aut universo cœtu aut ministro quodam, ut ex ipsa pœnarum propiori contemplatione elucescet.

Varia pœnarum genera. XXV. Erant illæ minus capitales vel capitales, & utræque iterum pro delictorum discrimine minorique aut majori gravitate, variis generis variorumque graduum.

Minus capitales. XXVI. Priorum inter Judæos præcipue quinque obtinebant genera, *Carcer*, *Restitutio*, *Talio*, *Flagellatio* & *excommunicatio.*

XXVII.

XXVII. *Carcer* non solum inserviebat captivis asservandis, donec causa eorum dijudicata esset Act. V. 18, 21. sed & jam inde ab antiquissimis temporibus pœnæ rationem habebat, Gen. XXXIX. 20. sqq. Conjiciebantur autem in illum non tantum debitores usque ad debiti solutionem Matth. V. 25, 26. & XVIII. 30. sed & aliorum criminum rei, imo pro illorum varietate, carceris quoque erat differentia. Tolerabilior ille erat בחצר המטרה *in atrio custodiæ* Jer. XXXVII. 21. gravior בית האסור *domus custodiæ*, s. בית הבור *domus foveæ* ibid. V. 15, 16. gravissimus בור מלכיהו *fovea Malkiæ*, erat hic locus subterraneus plenus luto, in quem rei funibus demittebantur, Jer. XXXVIII. 6. *Carcer.*

XXVIII. Incarcerati tradebantur, custodiæ Δεσμοφυλάκων, nonnunquam catenis aut compedibus vinciebantur, aut manus pedesve ligno inserebantur Ps. CV. 18. Job. XIII. 27. Aliquando & locus arctus in carcere erat (Judæi כיפה appellant, quidam & המהפכת dici volunt Jer. XXXIX. 26.) staturæ hominis respondens, sed in quo quis cubare non poterat, huic indebatur qui cædem sine testibus commiserat, & cibabatur pane ærumnæ & aquis *Carceris aggravatio.*

aquis angustiæ. In eodem qui flagellatus reciderat in idem crimen, hordeo cibabatur, donec venter ejus rumperetur.

Restitutio. XXIX. *Restitutio* locum habebat in illis, quæ furto ablata, aut aliis injustis modis acquisita vel retenta essent. Ubi qui ipsemet crimen ultro fateretur simplici restitutione ex sententia Judæorum defungi poterat, qui per testes convinceretur & a judicibus condemnaretur, pro rerum ablatarum conditione aliisque circumstantiis duplum, quadruplum aut quintuplum rependere tenebatur, Exod. XXI. 37. & XXII. 1. seqq. Morte enim furtum, nisi vel sacrilegium esset, vel aliæ circumstantiæ illud aggravarent, apud Judæos non puniebatur, licet tractu temporis crescentibus delictis pœnæ quoque crescerent. Prov. VI. 31.

Talio. XXX. Jus *talionis* in eo consistebat, quod qui alterum læsisset idem quod illi intulerat damnum, iterum subire tenebatur, ut jacturam oculi pro oculo, dentis pro dente &c. Exod. XXI. 24. Rabbini tamen damnum soluto pretio compensari potuisse volunt. Quod si quis mancipium suum hac ratione læsisset, libertatem illi concedere tenebatur. Exod. XXI. 26.

XXXI.

XXXI. *Flagellationis* ex lege (Deut. XXV. 2. seqq.) מלקות מדאורייתא secundum Judæorum descriptionem hæc erat ratio. Rei manus ab utroque latere columnæ cubitum unum cum dimidio altæ alligabantur, ita ut corpus ejus antrorsum inclinaretur, tum חזן הכנסת *Minister cœtus* vestes illi diripiebat, ut corpus denudaretur, dein lapidi insistens, flagello constante tribus loris palmum latis, longiori vitulino & duobus asininis (alii omnia vitulina faciunt) pectus valide percutiebat, ita ut pectus & duos humeros feriret. Cum autem lex flagellando XL plagas statuisset, Judæi ne numerum hunc forte excederent, illum ad XXXIX determinarunt, ארבעים חסר אחת. τεσσαράκοντα παρὰ μίαν 2. Cor. XI. 24. cumque flagellum tria lora haberet, atque adeo singulis ictibus tres plagæ infligerentur, in universum ictibus XIII pœnam hanc absolvebant. Pro minori tamen delictorum gravitate ictus nonnunquam imminuebant. Contra autem nonnulli pœnam hanc in criminibus insignioribus aliquando plumbi bolis aut rigidis spinis, extremitatibus lororum aut virgarum annexis, exasperatum esse volunt, quo refe-

Flagellatio.

referunt עקרבים *scorpiones.* 1 Reg. XII. 11. Verum alii morem hunc apud Judæos in uſu fuiſſe negantes, verba metaphorice accipienda eſſe cenſent.

Circumſtantiæ ejus. XXXII. Fiebat flagellatio hæc non ſolum in aliis ordinariis judicii locis, ſed & in Synagogis Matth. X. 17. XXIII. 37. Act. XXII. 19. & XXVI. 11. & quidem ex ſententia & in conſpectu trium judicum, conf. Deut. XXV. 2. quorum unus recitabat verba Deut. XXVIII. 58. ſecundus plagas numerabat, tertius miniſtrum ferire jubebat, denique primus actui huic finem imponebat verbis Pſ. LXXVIII. 38. *& miſericors expiabit iniquitatem.*

Quinam flagellandi? XXXIII. Non erat pœna hæc infamis, unde & Viri ſummi, ſine dignitatis detrimento illi ſubjiciebantur. Delicta autem ob quæ aliquis flagellationem ſubibat, Judæi XXI contra præceptum aliquod negativum commiſſa, quod pœnam כרת ſ. *excidii*, XVIII contra præceptum negativum quod mortem δεήλατον, & CLXVIII contra præceptum negativum, quod nec pœnam excidii, nec capitale ſupplicium in foro humano merebatur, atque adeo in univerſum CCVII numerant,

rant, quorum memoriale verbis לְהֵן יִלְקוּ וְרִים continetur.

XXXIV. Hæc flagellatio gravissima erat, præter illam autem Judæi & alterius mentionem faciunt, quæ *virgis* fiebat. Hæ plagæ non ad mensuram, sed ad arbitrium judicum & pro gravitate delicti etiam ad necem sontis usque dabantur. Obtinebat autem præcipue extra Canaanem, & quidem maxime circa illos qui verba scribarum transgrederentur, unde מכת מרדות *verberatio contumaciæ* & מכת מרדות דרבנן *verberatio contumaciæ secundum Rabbinos* dicitur. *Fustigatio.*

XXXV. *Excommunicatio* in exclusione a cœtu aut Synagoga Joh. IX. 22. XII. 42. XVI. 2. consistebat, ad quam tamen non nisi prævia *admonitione* privata, dein publica *increpatione* נְזִיפָה procedebatur, conf. Matth. XVIII. 15, 16, 17. quemadmodum & ipsa diversos gradus habebat. *Excommunicatio.*

XXXVI. Horum nonnulli tres statuunt 1. נדוי 2. חרם & 3. שמתא sed alii rectius primum & tertium pro eodem habentes, non nisi duos admittunt. *Gradus ejus.*

XXXVII. נדוי *Niddui* a נָדָה *separavit*, significatione convenit cum שמתא *Niddui l. Schammata.*

a שמת *exclusit ex societate*, denotatque *exclusionem* ſ. *ejectionem* ἀφορισμὸν Luc. VI. 22. qua quis familiariori cum aliis commercio arcebatur conf. 2 Tim. III. 14. Non tamen privabantur plane exercitio cultus publici, nam & montem templi intrabat, ſed per portam lugentium ſiniſtrorſum, & Synagogam, ſed ita ut ad ſpatium IV cubitorum a reliquis ſegregatus maneret.

Ritus ejus. XXXVIII. Irrogabatur hæc pœna non ſolum a Synedrio M. ſed & minoribus judiciis & quidem ob XXIV delicta, idque vel reo præſenti, conceptis verbis פלוני זה בשמתא aut בנידוי *N. N. SIT in excommunicatione*, vel abſenti mediante nuncio, aut ſcripto publico פתחא של נידוי ſ. כתב של נידוי dicto.

Duratio. XXXIX. Durabat hæc ſententia per *triginta dies*, quod ſi interea temporis reus veniam rogaret, abſolvebatur & quidem præſens hac formula שרוי לך או מחול לך *venia tibi data!* abſens hac פלוני שרוי לו או מחול לו τῷ *N. N. venia concessa!* Sin minus eadem adhuc XXX dies prorogabatur, ſi ne tum quidem, reus *anathemate* feriebatur.

XL.

XL. Hoc חרם dictum, alterum multoque graviorem excommunicationis gradum constituebat, cui plerumque horrendæ exsecrationes jungebantur. Communissima ejus formula erat פלוני מוחרם וארור בו אלה בו שבועה בו נידוי *N. N. anathematizatus & maledictus! Super illo exsecratio! Super illo jusjurandum! Super illo excommunicatio.* Conf. 1 Cor. V. 5. & XVI. 22. *Cherem.*

XLI. Cum tali nullum plane commercium habere licebat, non edere aut bibere, imo ne colloqui nisi in casibus necessariis, quin nec sub eodem tecto versari, unde parvum tugurium illi erigi solebat, ubi exclusus omni hominum consortio degeret. vid. 1 Cor. V. 11. *Excludebat omni commercio.*

XLII. Nonnunquam in Niddui æque ac Cherem ad majorem terrorem aliis incutiendum buccinæ inflabantur, aliquando etiam excommunicati bona publicabantur s. devovebantur. Esr. X. 8. quod ultimum tamen ad graviorem excommunicationis gradum referendum videtur, nisi plane pro casu extraordinario habendum sit. *Circumstantiæ excommunicationis.*

XLIII. Quorum erat excommunicationis pœnam irrogare, illorum quo- *Ejusdem solutio.*

que erat eadem exſolvere. In nonnullis tamen circumſtantiis decem literatis, vel illis deficientibus, totidem imo & tribus idiotis, aut unico quoque מומחה *Probato* facultatem hanc concedunt. Qui autem in excommunicatione moritur, ejus ciſtæ apponunt lapidem & ſuper illo relinquunt.

Supplicia capitalia. XLIV. *Supplicia capitalia* Judæis antiquitus non niſi IV fuerunt: חנק *Suffocatio* ſ. *ſtrangulatio*, הריגה *decollatio*, שריפה *combuſtio*, & סקילה *lapidatio*, quæ ſucceſſive gradibus differebant, ita ut ſuffocatio omnium minima, lapidatio vero graviſſima eſſet.

Strangulatio. XLV. *Strangulatio* ita fiebat, ut reo ad genua usque fimo immerſo, duo linteum collo ejus circumdatum ad utrumque latus traherent, donec exſpiraret. Hoc ſupplicium ut leviſſimum Judæi ubique intelligi volunt, ubi Scriptura tantum mortis mentionem facit, nec certum ejus genus exprimit. Subjiciunt autem illi ſex ſequentes, *1 qui patrem aut matrem verberaſſet*, *2 qui animam ex Iſraele furatus eſſet*, *3 ſenem rebellem* (vid. cap. præced. §. XVI.) *4 Vatem mendacem aut in nomine idoli vaticinantem*, *5 qui cum alterius*

rius uxore rem habuisset, 6 qui filiam sacerdotis stuprasset aut falso eam stupri accusasset.

XLVI. *Decollatio*, qua caput ense resecabatur, pœna erat *1 homicidæ 2 incolarum urbis ad idololatriam prolapsæ. Homicida* autem hic intelligendus est *voluntarius.* Tradebatur is ad pœnæ hujus exsecutionem *vindici sanguinis* גואל הדם qui occiso erat sanguine proximus, illo autem deficiente aut nolente, Magistratus ordinarius vicem ejus subibat. *Decollatio.*

XLVII. *Involuntarius* vero, si latior intercessisset culpa, ex mente Judæorum semet ipsum contra vindicem sanguinis tutari debebat, si nulla plane, ab omni pœna immunis erat, si levior debitamque cautelam non adhibuisset, ad aliquam urbium refugii semet recipiebat. *Homicida involuntarius.*

XLVIII. Harum eum in finem sex Deus separare jussit, tres cis Jordanem *Kedesch*, *Sichem*, *Chebron*, & totidem trans, *Bezer*, *Ramoth* & *Golan*, ad quas, ut eo liberior aditus esset, viæ ex ærario publico summa cura parabantur Deut. XIX. 31. quas columnæ cum inscriptione אקלט מקלט *refugium! refugium!* in biviis aut triviis, ut Judæi *Exsilium ejus in urbe refugii.*

 te-

testantur, erectæ monstrabant. Huc postquam appulisset, tuto ad urbem suam deducebatur, illicque causa a Magistratu cognita & dijudicata, ad asylum remittebatur, ubi exsulabat usque ad mortem Pontificis M. cum qua tandem plenam iterum libertatem consequebatur Num. XXXV. 25, 28, 30. Jos. XX. 6. Exsilium hoc aliqualis quidem pœnæ, sed tamen & insignis beneficii rationem habebat.

Decollatio vitulæ. XLIX. Quod si occisus aliquis in agro inveniretur, nec Auctor cædis cognitus esset, civitatis proximæ, sollicita mensuratione & judicio V membrorum Synedrii M. determinatæ, Seniores, emptam publico ære vitulam non ultra duos annos natam, jugique & insignioris vitii expertem, ad vallem incultam נחל איתן deducebant, ubi postquam cervix illi a posteriori colli parte בקופין *copide* dejecta esset, Seniores manus aqua vallis abluentes, semet sanguinis hujus insontes esse testabantur; tum Sacerdotibus Deum deprecantibus, ne illum Israeli imputaret, vitula in eadem valle, nunquam in posterum colenda, sepeliebatur, vid. Deut. XXI. 1. seq. Ritus hic exsecutionis cujusdam in effigie quo-

quodammodo rationem habuit, illum autem æque ac multos alios, Judæi ob multiplicata homicidia sub templo II cessasse asserunt.

L. *Combustio* a Judæis duplex traditur, vel enim fiebat fascibus cremiorum corpori circumpositis, quam *combustionem corporis* appellant, vel liquato plumbo ori infuso, quæ *combustio animæ* dicitur. Posterior tamen usitatissima erat, imo prior imperitiæ judicum adscribitur. Comburendorum autem duæ a Judæis numerantur classes, 1. qui concumbit cum muliere & filia ejus. 2. Filia Sacerdotis quæ scortata esset. Sub priori iidem comprehendunt novem sequentes, qui concumbit cum filia sua, cum filia filiæ aut filia filii, cum filia uxoris suæ, aut filia filii ejus, aut filia filiæ ejus, cum Socru sua ejusve aut soceri matre. *Combustio.*

LI. *Lapidatio* ita erat comparata: *Lapidatio.* Quando reus IV cubitis a loco supplicii aberat, vestes illi detrahebantur, dein in loco ipso geminam hominis longitudinem alto constitutus, ab uno testium detrudebatur, si ex hoc casu mortuus, Legi satisfactum erat, sin minus, a ter. testium lapidem in pectus mittebat, si ne tum quidem, a

toto Israele lapidibus obruebatur, conf. Deut. XVII. 7. Hac pœna secundum Judæos afficiendi XVIII sequentes: *1 Qui concumbit cum matre 2 cum uxore Patris 3 cum nuru 4 cum puella desponsata 5 cum masculo 6 cum jumento 7 mulier quæ jumentum admittit 8 blasphemus 9 Idololatra 10 qui dederit de semine suo Molocho 11 Pythomantis 12 Hariolus 13 qui palam ad apostasiam impellit 14 qui idem clam facit 15 Magus 16 Profanatur Sabbathi 17 qui maledicit Patri aut Matri 18 Filius contumax & rebellis.*

Suspendium lapidatorum. LII. Nonnulli omnes lapidatos, sed Sapientes non nisi duos, blasphemum & idololatram *suspensos* volunt, idque hac ratione, ut trabs terræ infigeretur, ex qua lignum prodiret, cui vinctæ manus alligarentur. Cum autem suspensus maledictus esset, ante occasum solis tolli & sepeliri debuit Deut. XXI. 22. 23. imo Judæi non diu ante suspensum, statimque iterum solutum contendunt.

Supplicia gentium. LIII. Plura judiciorum capitalium genera in sacris memorantur, ut אופן τροχὸς *Rota* Prov. XX. 26. τυμπανισμὸς Hebr. XI. 34. *dissectio* mediante serra ferrea, ibid. v. 37. Καταποντισμὸς Matth. XVIII. 6. *Crux* Matth. XXVI. 26, 31, 35.

Damna-

Damnatio ad bestias conf. 1 Cor. XV. 32. quæ tamen vel apud gentes tantum viguerunt, vel saltem nunquam ut ordinaria supplicia apud Judæos recepta fuerunt.

LIV. Exsecutioni suppliciorum capitalium loca extra portas destinata erant Lev. XXIV. 14. Num. XV. 35. 1 Reg. XXI. 13. Act. VII. 58. & quidem plerumque altiora, quo dum reus educeretur, præcedebat כרוז *κήρυξ præco*, nomen damnati cum genere mortis ejusque causa, sublato clamore significans, & quemcunque qui illius innocentiam probare posset, provocans. Dein cum aliquantum a loco supplicii abessent, admonebant reum, ut delicti confessionem ederet, aut si illam edere nesciret, formulam præscribebant. Tandem morituro calicem vini cum grano thuris porrigebant, ut cerebrum turbaretur, conf. Prov. XXXI. 6. & Marc. XV. 23. *Circumstantiæ suppliciorum.*

LV. Ut ultimo supplicio affecti terræ mandarentur, Judæi testantur duo sepulchreta a domo judicii constituta esse, alterum lapidatis & combustis, alterum decollatis & strangulatis. Postquam autem caro consumpta esset, ossa collecta privato sepulchro infere- *Sepultura supplicio affectorum.*

 batur,

bantur. Denique & instrumenta suppliciorum, linteum, gladius, lapis, arbor &c. humo condebantur, ne illorum vestigia remanerent. Propinquis autem morte affectos, consuetis luctus signis prosequi non licebat.

Quamdiu jus vitæ & necis penes Judæos manserit?

LVI. Quæri autem hac occasione solet, quamdiu jus vitæ & necis penes Judæos manserit, & an illud Servatore patiente adhuc reliquum fuerit? Ubi rectissime illi sentire videntur, qui negativam tuentur, quia Judæi ipsi id XL annis ante templi excidium ablatum testantur, & sibi *non licere quenquam interficere* fatentur Joh. XVIII. 31. & status Judææ in provinciæ formam redactæ, perpetuaque Romanorum consuetudo idem flagitant; nec ceteroquin Judæi tanto impetu a Procuratore Cæsaris necem Servatoris extorsissent, nec tam male cessisset illis inter Judæos, qui jus hoc sibi arrogare ausi sunt.

Vindicta privata & Zelotarum.

LVII. Præter pœnas publicas privata quoque vindicta in certis circumstantiis obtinebat. Huc pertinet moderamen inculpatæ tutelæ, cujus speciem quandam exhibebat, si quis furem DE NOCTE in domo inventum obtruncasset Exod. XXII. 2. nec non officium

officium Goëlis ſanguinis ſupr. §. XLVI. & denique jus Zelotarum læſam Dei gloriam vindicantium Num. XXV. 7. 8. 11. &c. Ita quoque Judæi aſſerunt illum qui vaſa templi furatus eſſet, nec non divinando malediceret, quique cum Aramea rem haberet, æque ac Sacerdotem in immunditie miniſtrantem non fuiſſe deductos ad judicium, ſed poſteriorem atrio ejectum a Sacerdotibus junioribus, priores autem tres a Zelotis occiſos eſſe.

Mors θεήλατος & Exterminium.

LVIII. Hæ ſunt varii generis pœnæ ab hominibus irrogari ſolitæ, faciunt autem inſuper Judæorum Magiſtri duplicis pœnæ capitalis mentionem ab ipſo Deo inflictæ, quarum una מיתה בידי שמים *mors θεήλατος*, altera כרת *exterminium* dicitur. De harum diſcrimine licet non ſatis conſtet, in eo tamen conſentiunt hanc illa graviorem eſſe, veroque maxime conſentaneum videtur, priorem in genere in morte ſingulari judicio a Deo quacunque ætate & per quæcunque media inflicta, poſteriorem in morte immatura & tremendo modo ſubito irrogata cumque æterno animæ exitio ſæpe conjuncta, conſiſtere.

CAP.

CAP. VI.

De Vectigalibus & Tributis.

I.

Immunitas a tributis. Cum ſtatus inter Judæos a Deo ipſo primum introductus, liberæ Reip. formam exhiberet (P. II. cap. II.) nulla hominibus proprie vectigalia aut tributa pendebantur, ſed ubi extraordinarii ſumtus in totius populi commodum faciendi erant, uniuscujusque libertati atque liberalitati permittebatur ſymbolam ſuam eum in finem conferre. Exod. XXV. 2.

Dimidius ſiclus annuus. II. Ad ordinarias autem impenſas, ſine quibus tanta Respublica, & inprimis auguſtiſſimus ille ſacrorum apparatus rite conſiſtere aut conſervari non potuiſſet, Deus ipſe juſſit ut ſibi tanquam Regi ſuo, ſinguli Iſraelitæ annuatim penderent *dimidium ſiclum Sacrum.* Exod. XXX. 13.

Ab omnibus ſolvendus. III. Ad hanc legem omnes viginti & ultra annos nati, ex æquo obligabantur, ita ut nec ditiſſimo plus nec pauperrimo minus dare liceret, ibid. comm. 14, 15. quo pateret omnes eodem jure gaudere.

IV.

IV. Collectionem pecuniæ hujus ita ſtante Templo factam Judæi tradunt. Die primo menſis Adar Iſraelitæ per præconem officii hujus admonebantur; die XV collectores circumibant ſingula loca & *menſis* duabusque *ciſtulis* שופרות conſtitutis, argentum hoc lenius exigebant, die XXV ſimilibus in templo & quidem in atrio mulierum collocatis (P. I. c. VIII. §. XVI.) illud aſperius poſcebatur, & ſi cui pecunia deeſſet pignus capiebatur. Menſæ autem in monte templi (ibid. §. XI.) poſitæ ad pecuniæ permutationem, unde lucrum קולבין κόλλυβος ad κολλυβιςὰς ſ. τϱαπεζίτας שולחניים redibat, quos ob abuſum Servator templo expulit. Joh. II. 15. *Modus colligendi.*

V. Argentum hoc in Γαζοφυλάκιον לשכה quod commune totius Iſraelis ærarium erat, inferebatur, indeque certis anni temporibus, in uſum ſacrorum publicorum, aliarumque rerum ad univerſi populi commoda ſpectantium, depromebatur (P. I. c. VIII. §. XV.) *Aſſervatio & Uſus.*

VI. Hæc ſolutio ſemiſicli ad ultima Reipublicæ Judaicæ tempora usque duravit Matth. XVII. 24. donec tandem Veſpaſianus, illum Capitolio pendi juſſit. *Duratio.*

VII.

Tributa regibus soluta. VII. At ex quo liberior Resp. facies cum statu monarchico commutata est, populus quoque variis oneribus pressus est. 2 Sam. XX. 24. 1 Reg. IV. 6. XII. 4. 18. Inprimis ipsi Reges in casibus extraordinariis extraordinaria tributa exegerunt (P. II. c. III. §. XVII.) conf. 2 Reg. XXIII. 35.

A gentibus accepta. VIII. Ceterum Israelitæ potius tributa accipere, quam ipsi pendere assueverant, quæ ordinario devictis hostibus imponere solebant. Deut. XX. 11. Jos. XVI. 10. Jud. I. 28. seqq.

Iisdem data. IX. Quando autem ab aliis populis subigebantur, illis vicissim eadem pendere nonnunquam cogebantur. 2 Reg. XXIII. 35. Esr. IV. 13, 20. VII. 24. 1 Maccab. X. 29. XI. 34.

Inprimis Romanis. X. Inprimis id experti sunt sub Romanis, quorum primus Pompejus M. tributum indixit Hierosolymis. Hunc secutus Julius Cæsar, donec tandem sub Augusto Judæa in tabulas censuales redigeretur, quo facit νόμισμα κήνσου Matth. XXII. 17, 19. coll. Marc. XII. 14.

Judæis molesta. XI. Hujus autem solutionem, ut certissimum servitutis indicium, multi ægerrime ferebant, unde captiosa illa quæstio Servatori proponebatur

Matth.

Matth. & Marc. loc. citt. & Luc. XX. 22. quin & nonnunquam ſeditiones & tumultus ejus occaſione excitabantur. Act. V. 35.

XII. Ad tributi hujus collectionem conſtituti erant מוכסים (conf. Arab. مكس *tributum, vectigal collegit*) τελῶναι ſ. *Publicani*, inter quos certus ordo obtinebat, unde non ſolum τελῶναι Luc. III. 12. V. 29. ſed & ἀρχιτελώνης Luc. XIX. 2. ut apud Rabbinos מוכס גדול & מוכס קטון memorantur. *Publicani.*

XIII. Hi tam ipſius rei cauſâ cui præerant, quam injuſtitiæ & avaritiæ cui plerumque deditі, Judæis maximè exoſi erant, unde toties peccatoribus, gentibus, & ſcortis junguntur Matth. IX. 10, 11. XVIII. 17. XXI. 31, 32. Errant tamen qui illos tantum ex gentibus ſumptos cenſent, cum Matthæus & Zachæus licet Judæi, munere hoc nihilominus functi ſint. Matth. IX. 9. X. 3. Luc. XIX. 2. *Judæis exoſi.*

CAP.

CAP. VII.

De Temporis & Calendarii Judaici ratione.

I.

Tempus. T*emporis* apud Judæos æque ac alios populos varii articuli, tam minores quam majores ſupputantur: ex prioribus ſimul junctis poſteriores naſcuntur.

Momenta & Minuta. II. Minimus eſt qui רגע *momentum* ἄτομος χρόνου dicitur: horum nonnulli 56848 alii 58605 alii 58888 horam conſtituere aſſerunt. Præter hæc *minuta* חלקים memorant, quorum 1080 hora conſtat, atque hæc diviſio percommoda eſt, quia in pleroſque numeros ſimplices reſolvi poteſt.

Hora. III. *Horæ* Judæorum pro variis anni temporibus inæquales ſ. καιρικαὶ erant, dum ſemper dies artificialis in XII horas, & nox artificialis in totidem diſpeſceretur Joh. XI. 9. Ipſas autem has XII horas multi iterum ad IV *quadrantes* redigunt Neh. IX. 3. quorum ſinguli tribus horis ab initio ſuo denominatis, *ſummum mane*, *hora tertia*, *ſexta* & *nona*, conſtiterint Matth.

Matth. XX. 1-5. atque hinc multi difficultatem horarum passionis Marc. XV. 25. & Joh. XIX. 14. tollere allaborant. Ad metiendas horas mature jam inventa sunt sciaterica, ex quorum numero quoque gradus Achazi fuisse videntur Jes. XXXVIII. 8.

IV. *Dies* apud Judæos est vel *naturalis* vel *artificialis*. *Naturalis* totum spatium νυχθήμερον comprehendit, initiumque sumit cum apparatione trium stellarum mediocrium, conf. Neh. IV. 21, 22. unde nox in hac supputatione semper diem artificialem præcedit; quod ex ipsa creationis historia deductum Gen. I. 3, 5. Judæi ubique observant, præterquam in sacris comedendis, ubi dies præcedit noctem Lev. VII. 15. *Artificialis* ab ortu solis incipit & ejusdem occasu finitur, quemadmodum contra nox a posteriori hoc initium sumit, & priori terminatur. **Dies.**

V. Ut dies in quadrantes, sic nox in *vigilias* distinguitur, quarum alii III alii IV numerant, a termino suo dictas ὀψὲ *sero*, μεσονύκτιον *media nox*, ἀλεκτοροφωνία *gallicinium*, & πρωῒ *diluculum*, Matth. XIV. 25. Marc. XIII. 35. Luc. XII. 38. quæ forsan commodissime ita conciliantur, si statuatur, antiqui- **Nox.**

tus quidem tres obtinuiſſe, ſed dein ad morem Romanorum quatuor introductas eſſe.

Septimanæ. VI. Ex diebus oriuntur *Septimanæ*, quæ a numero ſeptenario nomen שבעים & שבועות adeptæ ſunt. Memorantur autem duplicis generis ſeptimanæ *dierum* & *annorum*. Deut. XVI. 9. Lev. XXV. 8. Priores ſeptem dierum numero circumſcribuntur, atque jam inde a primis mundi incunabulis locum habuerunt, licet nominis ipſius mentio ſerius occurrat Gen. I. 31. II. 2. VIII. 10, 12. XXIX. 27, 28. Poſteriores totidem annorum cyclo conſtant, atque hæc ſupputatio præcipue in vaticiniis obtinet, v. Dan. IX. 24. Dies ſeptimanæ antiquitus non certis appellationibus, ſed numerandi potius ordine diſtinguebantur. v. Matth. XXVIII. 1. Act. XX. 7. 1 Cor. XVI. 2.

Menſes. VII. *Menſes* חדשים in ſingulis annis numerantur ordinario *duodecim*, quondam etiam non propriis nominibus, ſed numeris *primus*, *ſecundus*, *tertius* &c. diſtincti Gen. VII. 11. VIII. 4, 5, 13. Jer. I. 3, XXVIII. 17. Pedetentim tamen peculiares quædam appellationes ortæ ſunt, ut *menſis* אביב Exod. XIII. 4. זיו 1 Reg. VI. 1. ירח אתנים

1 Reg.

1 Reg. VIII. 2. & בול 1 Reg. VI. 38. donec tandem in captivitate Babylonica Judæi Chaldaica nomina adſciſcerent.

I. ניסן Niſan. Nehem. II. 1. Eſth. III. 7.
II. אייר Ijar.
III. סיון Sivan Eſth. VIII. 9.
IV. תמוז Tammuz.
V. אב Ab
VI. אלול Elul Neh. VI. 15.
VII. תשרי Tisri.
VIII. מרחשון Marchesvan.
IX. כסלו Cisleu. Zach. VII. 1. Neh. I. 1.
X. טבת Thebet.
XI. שבט Schebat. Zach. I. 7.
XII. אדר Adar. Eſr. VI. 15. Eſth. III. 7.

In anno autem intercalari menſis tertius decimus ואדר Veadar dictus addebatur, infr. §. X.

VIII. Ex his menſibus plerumque quidem *Niſan* maximam partem noſtro *Martio*, *Ijar Aprili*, *Sivan Majo* reſpondet & ſic porro, non tamen hoc perpetuum eſt, ſed nonnunquam major pars Niſan in Noſtrum Aprilem, imo quædam illius etiam in Majum incidit, quod partim ab anni intercalatione, *Collatio noſtrorum menſium.*

 partim

partim ab inæquali dierum mensis Judaici & nostri numero dependet.

Mensium discrimen. IX. Patriarcharum tempore menses omnes XXX dierum fuisse, ex Gen. VII. 11. & VIII. 4. colligitur, qualium mentio quoque fit Apoc. XI. 2, 3. Dein autem inter Judæos, (qui in temporum constitutione majorem lunæ quam Solis rationem habebant) ad cursum lunæ exacti, erant vel XXX vel XXIX dierum: Priores appellabantur מלאים *pleni*, posteriores חסרים *cavi*, horum numerus licet admodum variet, nunquam tamen alterutrorum in anno plures sunt octo, vel pauciores quatuor, *Elul* autem plerumque, *Veadar* semper erat cavus. Determinatio initii mensis stante templo fiebat a Synedrio, & quidem plerumque ex phasi novæ lunæ sive sola, sive cum calculo astronomico conjuncta v. P. I. c. XII. §. VII. Sed cum maxime illa a solo calculo astronomico dependet.

Anni Sol. Lun. simpl. & intercal. X. *Annus* שנה est vel *solaris* vel *lunaris*, quorum illum dierum 365 hor. 5 min. 817, hunc dierum 354. hor. 8. min. 777 faciunt, unde differentia dierum 10, hor. 21, min. 40 nascitur. Uti autem Judæi ordinario annum lunarem sequebantur, ita ad eundem cum solari

lari componendum, nonnunquam inter Adar & Nisan integrum mensem *Veadar* §. VII. inserebant. Prior annus שנה פשוטה *simplex* s. *communis*, *posterior* שנה מעוברת *intercalaris* ἐμβολιμαῖος dicitur. Pro vario mensium cavorum aut plenorum numero annus simplex erat 352, 353, 354, 355 aut 356, intercalaris 381, 382, 383, 384 aut 385 dierum.

XI. Intercalatio hæc, עיבור dicta, fiebat a VII. (nonnunquam & III, Synedrii M. membris ad id delegatis, inter quæ summa Principis Synedrii auctoritas erat, utpote sine cujus consensu res peragi non posset. Rabbanitæ ab hac deliberatione excludunt Regem & Pontif. M. quorum interesse poterat intercalationem impedire. Karræi tamen templo superstite illam a Pontif. M. & Sacerdotibus aut Propheta factam contendunt. *Intercalatio a quibus facta?*

XII. Erat illa maximæ necessitatis cum ceteroquin tempus festorum plane turbari, & in primis festum Paschatis, quo primitiæ messis hordeaceæ offerendæ, in hyemem incidere potuisset. Rationes autem intercalationis graviores Judæi tres reddunt 1 התקופה *æquinoctium*, si nempe id futurum esset XVI mensis aut serius. 2 אביב si *se-* *Quas ob causas?*

ges hordeacea XVI. Nisan nondum meti posset. 3 פירות האילן *si arbores* nondum baccas protulissent, ut primitiæ in festo Pentecostes inde offerri possent. His jungunt leviores, ob quas idem nonnunquam factum, 1 מפני הדרכים ob *vias* Hierosolymam versus reparandas 2 מפני הגשרים ob *pontes* reficiendos, 3 מפני תנורי פסחים ob *furnos* ad assationem agnorum Paschalium plane corruptos, 4 מפני גליות ישראל ob *Judæos extra patriam* degentes, qui stato tempore Hierosolymis adesse non possent, si ante initium instantis anni Sabbathici non posset vindemia exspectari.

Quando? XIII. Ob tales causas quovis anno heptaëridos, excepto primo & septimo, intercalatio fieri poterat, ordinario tamen ad id eligebatur annus sextus, non solebant autem duos vel tres annos continuos intercalare. Intercalatio hæc non fiebat ante festum novi anni, imo plerumque non ante mensem Adar, qui totus excepto die XXX, ad hanc rem legitimus censetur.

Annus Civilis & Sacer. XIV. Erat autem apud Hebræos Annus *Civilis* aut *Sacer*. Civilis incipiebat mense Tisri, idemque jam inde a pri-

primis mundi incunabulis locum habuit (l. c. XII. §. XXIV.) Hunc ſequebantur in contractibus, conſtituendis magiſtratibus, annorum Sabbathicorum & jubilæorum ſupputatione, decimatione proventus terræ, & planta quarti anni. *Sacer* initium ſumebat menſe *Niſan* : hic demum cum egreſſu ex Ægypto introductus eſt ad numeranda & digerenda feſta annua Exod. XII. 2. Inde quoque annos regum ſupputant, ſunt & qui in ædium locatione hanc anni rationem obſervatam volunt. Peculiaris quoque computus erat *pecorum decimandorum*, hujus enim initium annuum erant kalendæ menſis Elul, nec non fructuum ex arboribus decimandorum, horum enim ſpatium annuum a XV Schebat numerabatur. Unde hoc reſpectu Judæi *quadruplex anni initium* ſtatuere ſolent.

V. Iidem æque ac plerique alii populi annum diſtinguunt in IV תקופות seu in duo *æquinoctia*, *vernale* & *autumnale* & totidem *ſolſtitia æſtivum* & *brumale*, quæ a menſibus in quæ incidunt, *Tekuphæ Niſan*, *Tammuz*, *Tiſri* & *Thebet* appellantur. Hujus diviſionis antiquiſſima jam in codice ſacro veſtigia exſtant *IV anni Tempora.*

Exod. XXXIV. 22. 2 Chron. XXIV. 23.

Sex tempestates. XVI. Alia ratione illum in sex tempestates dispescunt, זרע *Sementem*, quæ dimidium Tisri, Marchesvan & dimidium Kisleu, חרף *hyemem* v. Jerem. XXXVI. 22. & Joh. X. 22. quæ & ימות הגשמים *dies pluviarum* (conf. Esdr. X. 13.) quarum tria præcipue tempora Judæi numerant, dicitur, & reliquum Kisleu, Tebeth & dimidium Schebat, קור *frigus*, quod reliquum Schebat, Adar & dimidium Nisan, קציר *messem*, quæ reliquum Nisan, Ijar & dimidium Sivan, קיץ *Æstatem*, quæ reliquum Sivan, Tammuz & dimidium Ab, s. ימות החמה *dies solis* quando ficus maturæ, colliguntur, quæ idcirco & *fructus æstatis* audiunt, v. Amos VIII. 1, 2. Jer. XXIV. 2. & Mich. VII. 1. seqq. & denique חום *calorem*, qui reliquum Ab, Elul & dimidium Tisri complectitur.

Majores annorum periodi. XVII. Hæc præcipua sunt quæ circa varios temporum articulos monenda erant, majores enim annorum Sabbathicorum & Jubilæorum periodos hic non moramur, quia necessaria hanc in rem jam supra (l. XII. §. XLIV. & XLVIII.) præoccupavimus.

XVIII.

XVIII. Probe autem obſervandum apud Judæos in ſupputatione temporum non ſolum ſæpe numerum rotundum adhiberi Jud. XI. 26. XX. 46. coll. 35. ſed & partem *horæ*, *diei*, *menſis*, *anni*, pro integro reputari Exod. XVI. 35. & contra completum tempus pro incepto Exod. XIX. 15. coll. 11. Deut. XIV. 28. Matth. XXVII. 63. & Act. II. 1. Imo quod magis eſt, nonnunquam ſingulæ partes, per catachreſin Synedochicam nominantur, ad totum aliquod innuendum, licet idem in ſingulis partibus impletum non ſit quo ſenſu Matth. XII. 40. Servator *τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας* dicitur fuiſſe in corde terræ, quia hæ triplicis *νυχθημέρου* partes ſunt. *Pars temporis pro toto.*

XIX. Patriarcharum temporibus non conſtat ullam certam *æream* ſ. *epocham* in uſu fuiſſe, qua plurium annorum cycli ſupputarentur, ſed tempora a Prophetis aliisque Viris claris denominarunt Gen. VII. 11. XIV. 1. XXVI. 1. qui mos nec ſequentibus ævis plane abrogatus eſt. Matth. II. 1. Luc. I. 5. Prima autem certa & fixa æra, quæ inter Judæos introducta fuit, ab exitu ex Egypto ducta eſt Exod. XIX. 1. 1 Reg. VI. 1. *Æra exitus ex Ægypto &c.*

Hanc ſecuta eſt alia ab exſtructione templi, 2 Chron. VIII. 1. vel etiam ab annis Regum Jeſ. XXXVI. 1. Jerem. I. 2, 3. Dein annos ſupputarunt ab initio exſilii Babylonici Jer. LII. 31. Ezech. I. 1, 29. XXXIII. 21. poſtea a templo ſecundo poſt reditum ex Babele ſtructo.

Æra contractuum. XX. Invaleſcente Græcorum imperio ſucceſſit *Æra contractuum* מנין שטרות Arabibus تاريخ ذو القرنين *Æra Bicornis* dicta. Hæc non ſub Alexandro M. ſed Seleuco Nicatore, anno Per. Julian. MMMMCCCCII, ante Chriſtum natum CCCXII initium ſumſit. Tempore Chasmonæorum novam epocham a *ducibus* ſuis & *Hieroſolymæ* atque *Zionis liberatione* introduxerunt.

Epocha creationis. XXI. Æra contractuum in uſu manſit quamdiu Judæi in oriente manerent, ſed poſtquam inde pulſi, junxerunt illi Sec. XI primum *Epocham Creationis mundi*, donec tandem priori plane neglecta, poſteriorem ſolam retinerent. Incidit autem ſecundum Judæorum computum annus creationis in annum DCCCCLIII period. Julianæ, annus vero hujus epochæ MMMDCCLIX in primum æræ vulgaris Chriſtianæ, quo

quo numero a ſumma epochæ creationis Judæorum deducto, exit annus æræ Chriſtianæ. Scribitur nonnunquam hæc æra quoque compendii cauſa לפק omiſſis millenariis, cui ſummæ ſi addantur MCCXL redit iterum annus Chriſtianus anno creationis reſpondens.

XXII. Cum antiquitus Judæi Menſes dieſque feſtos ex phaſi novæ lunæ, collato calculo aſtronomico determinarent, non potuerunt tempora integri anni in certos faſtos ſ. calendaria redigi, ſed indicabantur illa primum per accenſos ignes (I. c. XII. §. VIII.) dein per nuncios eum in finem emiſſos. Poſtquam autem ſublato Synedrio, cœpiſſent ex ſolo calculo aſtronomico menſes diſponere, introductus eſt Sec. IV. ſ. anno æræ contractuum DCLXX cyclus Hillelianus (Karræi ejus Inventum Iſaaco Fil. Naphcha tribuunt) novendecim annorum periodum complectens, in quo III. VI. VIII. XI. XIV. XVII. XIX anni ſemper ſunt intercalares, cumque ſecundum illum, annorum tempora jam antea certo definiri poſſent, tandem æque ac aliæ gentes certa *calendaria* לוחות quibus menſes dieſque *Temporis determinatio, Calendaria.*

que

que tam festos quam profestos notarent, condere cœperunt.

CAP. VIII.

De Mensuris, Ponderibus & Nummis.

I.

Mensuræ variæ. Mensuræ apud Judæos, ut apud alios populos, sunt vel *continuorum* quas etiam *applicationis* vocant, vel *discretorum* quas nonnulli *capacitatis* appellant. Utriusque classis variæ enumerantur species.

Digitus. II. *Continuorum* mensuræ solent supputari per modica grana hordeacea juxta se, tangentibus semet invicem lateribus, posita, quorum sex constituunt אצבע *digitum* Jer. LII. 21. minimam Ebræorum mensuram, & ex quibus reliquæ componuntur.

Palmus. III. טופח vel טפח *Palmus* Græc. δοχμὴ & παλαιστὴ constat quatuor digitis conjunctis Exod. XXV. 25. XXXVII. 12. 1 Regum VII. 26. Ps. XXXIX. 6.

IV.

IV. זרת *Spithama* ſ. *Dodrans* quæ nonnullis palmus major dicitur, ſpatium eſt extremitatibus pollicis & digiti minimi, quando expanſi ſunt, comprehenſum, æquans XII. digitos ſ. palmos tres Exod. XXVIII. 16. XXXIX. 9. 1 Sam. XVII. 4. *Spithama.*

V. Pro exigua admodum dimenſione nonnunquam proverbialiter כף רגל *planta pedis* Deut. II. 5. βῆμα ποδὸς Act. VII. 5. uſurpatur, *pedis* tamen menſuram apud Judæos, uti apud alias gentes, quondam in ordinariis dimenſionibus, receptam fuiſſe non conſtat, licet eo vox פעם Ezech. XLI. 6. a nonnullis trahatur. *Pes.*

VI. האמה ſ. גמד Gr. πῆχυς, *cubitus* duplex erat *Communis* & *Sacer*. *Communis* אמה של חול *cubitus profanus* ſ. אמה הידיערת *cubitus notus* vel *vulgaris* erat V palmorum, quo ordinario in vita communi utebantur, Num. XI. 31. & XXXV. 4. Deut. III. 5. 1 Reg. VII. 2. *Sacer* אמת אמת ſ. אמת הקדש *cubitus veritatis* aut הבנין *ædificii* (ſc. templi) erat VI palmorum. Hoc omnia in tabernaculo & templo (excepto altari ſuffitus, & comibus circuitu atque fundamento altaris exterioris, ad quæ cubitum *Cubitus.*

bitum vulgarem Judæi adhibitum volunt) sunt mensurata, v. Exod. XXV. XXVI. XXVII. 1 Reg. VI. Ezech. XL. 5.

Passus. VII. צער *Passus* a פשע ex 2 Sam. VI. 13. & 1 Sam. XX. 3. etiam ad mensuræ genus a multis refertur, sed nec hac dimensione ordinario Judæos usos patet, & qui vocem ita accipiunt, in mensuræ hujus determinatione præcipue circa vocem צער non conveniunt. Rabbini tamen sæpius פסועות *passuum* mentionem injiciunt, quorum בנוניות *mediocres* æquales cubito sacro s. XXIV digitis faciunt.

Stadium. VIII. Στάδιον *Stadium* Luc. XXIV. 13. Joh. VI. 19. XI. 18. אסטדיותא quod & ריס vel רוס appellatum volunt, veteribus Hebræis non minus ignotum, & a gentibus demum mutuatum creditur: passuum CCLXVI esse dicitur.

Milliare. IX. *Milliare* מיל voce itidem ac mensura a gentibus profecta, fertur esse stadiorum VII cum dimidio s. MM passuum minus quinque, quæ mensura ad iter Sabbathicum (l. XX. §. XXVIII.) proxime accedit. Spatium autem, s. intervallum dimidii milliaris nonnulli ju-

ge-

gerum bonum eſſe volunt v. infr. P. III. cap. VII.

X. פרסא *Paraſanga* (Arab. & Perſ. فرسخ) complectitur IV milliaria ſ. ſtadia XXX aut octo paſſuum millia minus XX. Decem autem Paraſangæ מהלך יום אחד *iter unius diei* conſtituere dicuntur. *Paraſanga, & Iter diei.*

XI. Harum menſurarum collatio & proportio inter ſe, ex ſequenti tabella clarius eluceſcet. *Harum menſurarum collatio.*

Digitus	1.	4.	12.	24.	6384.	47880.	191520.
Palmus	.	1.	3.	6.	1596.	11970.	47680.
Spithama		.	1	2.	532.	3990.	15960.
Paſſus ſ. Cub. Sac.	.	.	.	1.	266.	1995.	7980.
Stadium		.	.	.	1.	$7\frac{1}{2}$.	30.
Miltiare		.	.	.	.	1.	4.
Paraſanga		.	.	.	.	.	1.

XII. Ad tales menſuras capiendas Hebræi utebantur קנה *arundine* aut קנה המדה *calamo menſorio* Ezech. XL. 3, 4. *Calamus & funis menſorius.*

Apoc.

Apoc. XI. 1. & XXI. 15. & חבל *fune* Jos. XVII. 14. & 2 Sam. VIII. 2. aut חבל מדה *fune mensorio.* Utrumque autem nonnulli aliquando pro certa mensura sumunt, & quidem calamum cubitorum sacrorum VI fuisse ex Ezech. l. c. colligunt.

Mensuræ discretorum. XIII. *Discretorum* mensuræ duplicis erant generis, *aridorum* nempe & *liquidorum.* Ad has mensuras eo accuratius determinandas, Judæi cum plerisque populis orientalibus illas ad quantitatem mediocrium ovorum gallinaceorum redigere solent.

I. Aridorum. רובע XIV. *Aridorum* minima mensura est רובע *quarta pars cabi* 2 Reg. VI. 25. quæ VI ova complectitur.

Cabus. XV. קב *Cabus* Gr. κάβος 2 Reg. VI. 25. constat ovis XXIV. cumque sextam partem Sati constituat ξέστης quoque appellatur.

Omer. XVI. עמר *Omer* (probe distinguendum a חמר *Chomer*) est decima pars Ephæ unde & עשרון dicitur Exod. XVI. 36. capit autem ova $43\frac{1}{5}$.

Satum. XVII. סאה *Satum* Gen. XVIII. 6. 2 Reg. VII. 1. est tertia pars Ephæ æquivalens VII cabis & CXLIV ovis.

XVIII.

XVIII. איפה *Epha* est decima pars Cori, Exod. XVI. 36. & III Sata, seu XVIII Cabos aut CCCCXXXII ova capit. **Epha.**

XIX. לתך *Letech* dimidium Cori est, respondens V Ephis, XV Satis seu MMCLX ovis. **Letech.**

XX. כור *Corus* denique, Ezr. VII. 22. qui & חומר Chomer dicitur Exod. l. c. X Ephas, seu XXX Sata, aut MMMMCCCXX ova complectitur. **Corus.**

XXI. *Liquidorum* tres præcipue recensentur species *Logus* Lev. XIV. 10. *Hin* ib. XIX. 36. & *Bathus* 1 Reg. VII. 26, 38. In templo autem ad metienda ferta Logus adhuc divisus erat, in dimidium & quadrantem, Hin in dimidium, tertiam & quartam partem, conf. Num. XV. 4, 6, 9. quæ septem distinctas mensuras constituebant. **II. Liquidorum.**

XXII. לוג *Logus* ova VI, חצי לוג *dimidius Logus III* & רביעית לוג *quarta pars* 1½ complectitur. **Logus.**

XXIII. הין *Hin* habet XII Logos s. quantitatem ovorum LXXII חצי ההין *dimidium Hin* XXXVI, שלישית ההין *tertia pars* XXIV & רביעית ההין *quarta pars* XVIII ovorum. **Hin.**

Bathus. XXIV. בת *Bathus* ejusdem in liquidis ut Epha in aridis est quantitatis, scilicet CCCCXXXII ovorum.

Mensurarum harum collatio. XXV. Hæc quoque ex adjecta gemina tabella clarius perspicientur.

Mensuræ Aridorum.

Ova	1.	6.	24.	$43\frac{1}{5}$.	144.	432.	2160.	4320.
Quad.	.	1.	4.	$7\frac{1}{5}$.	24.	72.	360.	720.
Cabus	.	.	1.	$1\frac{4}{5}$.	6.	18.	90.	380.
Omer	.	.	.	1.	$3\frac{1}{3}$.	10.	50.	100.
Satum	.	.	.	.	1.	3.	15.	30.
Epha	.	.	.	.	.	1.	5.	10.
Letech	.	.	.	.	.	.	1.	2.
Cor. vel Chomer	.	.	.	.	.	.	.	1.

Mensuræ

Mensuræ Liquidorum.

Ova	1.	1½.	3.	6.	18.	24.	36.	72.	432.
¼ Log.	.	1.	2.	4.	12.	16.	24.	48.	288.
½ Log.	.	.	1.	2.	6.	8.	12.	24.	144.
Logus.	.	.	.	1.	3.	4.	6.	12.	72.
¼ Hin	.	.	.	.	1.	4½.	2.	4.	24.
⅓ Hin	.	.	.	.	.	1.	1½.	3.	18.
½ Hin	.	.	.	.	.	.	1.	2.	12.
Hin	.	.	.	.	.	.	.	1.	6.
Bathus	.	.	.	.	.	.	.	.	1.

XXVI. In N. T. nonnulla præterea mensuræ apud gentes usitatæ memorantur, ut *aridorum* χοῖνιξ *Chœnix* Apoc. VI. 6. *liquidorum* ξεστὸς *Sextarius* Marc. VII. 4. 8. & μετρητής *Metreta* Joh. II. 6. ***Mensuræ quædam gentium.***

XXVII. Antiquissimis temporibus merces quidem mercibus permutaban- ***Æs grave.***

tur, ſed mature tamen jam uſus metalli introductus eſt, & primo quidem *æris gravis* ſ. *rudis*, quod ad lancem appendi & ponderari ſolebat, Geneſ. XXIII. 16.

Modus ponderandi. XXVIII. Ad ponderationem hanc tam auri atque argenti, quam aliarum rerum utebantur *bilance* פלס aut מאזנים ubi ab una parte res ponderandæ ab alia pondera appendebantur aut collocabantur. Prov. XVI. 11. Jeſ. XL. 12. Jer. XXXII. 10.

Pondera. XXIX. *Pondera* plerumque parata erant ex *lapidibus* Lev. XIX. 36. Prov. XI. 1. XX. 10. quos variæ ſed certæ determinatæque gravitatis eum in finem crumenæ incluſos gerebant. Deut. XXV. 13. Prov. XVI. 11. & Mich. VI. 11.

Varia illorum genera. XXX. Præcipua ponderum genera in ſacris memorata ſunt גרה *Gerah*, שקל *Siclus*, מנה *Minah* & ככר *Talentum*. Quia autem quondam argentum non numerarunt, ſed ponderarunt, hinc eadem nomina poſtea nummis ejusdem ponderis data ſunt.

Æs ſignatum ſ. moneta. XXXI. Dein Judæi quoque ære ſignato uſi ſunt, ſed incertum quo tempore illud cœptum, id autem certum ſatis, inter antiquiores nummos Judai-

cos

cos qui hodie circumferuntur, nullos, præter illos qui Chaſmonæorum ætate cuſi, & literis Samaritanis inſcripti ſunt, genuinos eſſe.

XXXII. *Nummi* pro triplici ex qua parati materia, *ænei*, *argentei* vel *aurei* fuerunt. Matth. X. 9. unde & triplex hæc metalli ſpecies nonnunquam pro pecunia in genere uſurpatur. Marc. VI. 3. Actor. III. 6. Quemadmodum autem dimenſiones ad craſſitiem granorum hordeaceorum, ita pondera æque ac nummi ad eorundem gravitatem exigebantur. *Nummorum varia materia.*

XXXIII. *Moneta ænea* minima dicitur פרוטה λεπτὸν *Minutum* Luc. XII. 59. XXI. 2. æquans pondus dimidii grani hordeacei. *I Nummi ænei, Peruta.*

XXXIV. Hanc ſequitur Κοδράντης *Quadrans* Matth. V. 26. conſtans duobus minutis Marc. XII. 42. ſ. pondere grani hordeacei. *Quadrans.*

XXXV. איסר Ἀσσάριον *Aſſarium* Matth. X. 29. Luc. XII. 6. complectitur minuta VIII, ſ. pondus IV granorum hordeaceorum. *Aſſarium.*

XXXVI. Ex nummis Argenteis גרה *Gerah*, cui & nomen אגורה *Agora* 1 Sam. II. 36. מעה *Meah* & דנקא Δανάκης (ſecundum nonnullos etiam זוז) datur, *II Argentei, Gerah &c.*

tur, respondet XVI granis hordeaceis, efficitque vigesimam partem sicli sacri Exod. XXX. 13. Lev. XXVII. 25. Pro nummo ejusdem pretii multi quoque קשיטה Genes. XXXIII. 19. sumunt.

Denarius. XXXVII. דינר Δηνάριον *Denarius* alias etiam זוז *zuz* dicitur constituitque *Drachmam* aut quartam partem sicli, seu quinque Gerah.

Didrachmum s. dimidius siclus. XXXVIII. Δίδραχμον *Didrachmon* Matth. XVII. 24. æquivalet duobus *Denariis s. dimidio siclo* מחצית שקל alias טבע & בקע Exod. XXXVIII. 26. Hic etiam שקל דרבנן *Siclus Rabbinorum*, Siclus communis s. profanus appellatur.

Siclus. XXXIX. שקל *Siclus* s. שקל הקדש *Siclus sanctuarii* aut *sacer*, si pro pondere sumatur, valet semiunciam s. CCCXX grana, adhibeturque de omni metallo, auro, argento, ære, ferro, Num. VII. 86. & XXXI. 52. Lev. V. 11. XXXVII. 3. 1 Sam. XVII. 5, 7. si de moneta usurpetur respondet tetradrachmo Attico: Judæi in Germania hodie pro illo solvunt florenum German: alias quoque Στατήρ appellatur Matth. XVII. 27. eundem κατ' ἐξοχὴν כסף s. ἀργύριον dictum volunt, quorum XXX Servator proditus est Matth. XXVI. 15. XXVII. 3. Dividi solet siclus in duas, tres

tres aut quatuor partes æquales, unde מחצית שלישית נרבע השקל *dimidii, tertiæ* aut *quartæ partis sicli* fit mentio Exod. XXX. 3. Neh. X. 32. 1 Samuel. IX. 8. quæ quantum sive ratione ponderis s. monetæ valeant, ex dictis facile colligitur.

XL. Hi nummi licet plerumque non tamen semper ex argento fuerunt, nam & דינר זהב *Denarii aurei* Rabbini meminerunt, qui XXV denariis argenteis constiterit, ut & *Sicli aurei*. Ponderis aurei quoque nomine זהב Jud. VIII. 26. & 1 Reg. V. 5. mentio fit, quod nonnulli de *siclo aureo* accipiunt, conf. 1 Chron. XXI. 25. Denique & *aurei* דרכמונים & אדרכנים *ex auro* memorantur Ezr. II. 69. & VIII. 27. quos *Drachmas* aureas & *Daricos persicos aureos* interpretantur, fuere tamen & Darconot ex alio metallo, ut ex ære. Pondus eorum statuitur duorum siclorum sacrorum, quales sub templo II fuerunt, s. DCCLXVIII granorum hordeaceorum. *Nummi aurei.*

XLI. מנה *Minah* etiam tam de pondere quam certa nummorum summa usurpatur, æquiparatur autem a plerisque L Siclis sacris, aut CC Denariis. *Minah.*

Talentum. XLII. Supereſt ככר τάλαντον ſ. *Talentum*, quod ipſum quoque non minus pondus, quam pecuniæ quandam ſummam denotat. Reſpondere autem MMM Siclis ſacris ex Exod. XXXVIII. 25. recte colligitur.

Proportio horum omnium. XLIII. Horum omnium proportionem ſequens tabella uno ictu oculis contemplandam ſubjicit.

Pruta ſ. λεπτόν.	1.	2.	8.	32.	160.	320.	640.	32000.	1920000.
Quadr. ſ. Gran. hord.		1.	4.	16.	80.	160.	320.	16000.	960000.
Aſſar.			1.	4.	20.	40.	80.	4000.	240000.
Gerah.				1.	5.	10.	20.	100.	60000.
Zuz. ſ. Denar.					1.	2.	4.	200.	12000.
Dim. ſicl. ſ. Didrachmon.						1.	2.	100.	6000.
Sicl. ſacr. ſ. Stater							1.	50.	3000.
Mina								1.	60.
Talent									1.

XLIV.

XLIV. Probe autem obſervandum eſt, quem modo exhibuimus horum valorem, inde a Moſis temporibus obtinuiſſe, ſed deinde ſtante templo eundem in plurimis ſexta parte adauctum fuiſſe, ita ut tum VI מעות facerent *denarium* & XXIV מעות ſeu CCCLXXXIV grana hordeacea *Siclum.* Atque hac ratione quoque accipiendum videtur, quando *Mina* recentior LX Siclis nonnullis conſtare dicitur. *Eorundem valor auctus.*

CAP. IX.

De Fœderibus & Contractibus.

I.

Fœdus. Fœderis hebr. ברית dicitur a ברה *elegit*, vel potius *comedit*, *manducavit*, quia instructis epulis plerumque erigebatur.

Quid? II. Ita autem appellatur pactum inter duos pluresve de amicitia colenda, aut quibusdam officiis sibi mutuo sub certis conditionibus præstandis.

A quibus contrahetur? III. Contrahebantur fœdera vel inter integros populos & quidem per quosdam ad id delegatos, vel inter principes nomine omnium subditorum. Gen. XXI. 27.

Quomodo? IV. Ordinario autem fœderis summa breviter proponebatur, Genes. XXVI. 29. cui utraque pars partim verbis, partim etiam junctis in fœdera dextris *adstipulabatur*. Ezech. XVII. 18.

Confirmabatur jurejurando. V. Præcipue confirmabatur adstipulatio *jurejurando* solemnique nominis divini invocatione Genes. XXI. 23. XXVI. 28. XXXI. 53.

VI.

VI. Accedebat plerumque *mactatio animalium*, quorum ſanguine nonnunquam fœdus ineuntes conſpergebantur Exod. XXIV. 8. unde phraſis דם ברית *ſanguinis fœderis* Zach. IX. 11. Hebr. IX. 20. originem traxit. *Animalibus mactatis.*

VII. Mactata animalia aliquando diſſecabantur, inter quorum partes, fœdus erigentes tranſibant Jer. XXXIV. 18, 19. qui mos jam inde ab antiquiſſimis temporibus obtinuit Gen. XV. 9, 10, 17, 18. atque hinc phraſin כרת ברית *ſecare fœdus* ortam volunt. *Tranſitu per partes diſſectas.*

VIII. Sæpiſſime quoque in ſignum contractæ arctioris amicitiæ læta agitabant *convivia* Gen. XXVI. 30. & XXXI. 46. conf. Exod. XXIV. 12. quæ res forte cauſam præbuit, quod tam ſub Veteri quam Nova œconomia, alterum fœderis ſacramentum, ſub epuli aut cœnæ forma inſtitutum eſt. *Epulis.*

IX. Denique aliquando etiam *monumenta* publica in icti fœderis ſignum perennemque apud poſteros memoriam erigebantur, aut locis ubi ſolemnitas hæc contigerat nomina *μνημονικὰ* eundem in finem imponebantur, Geneſ. XXI. 31. & XXXI. 46. ſeqq. *Monumenta fœderum erectorum.*

X. Quia

Fœdera cum quibus ineunda? X. Quia autem Deus ipſe populum Iſraeliticum ſingulari fœdere dignatus eſt, non ſolum ſevere interdixit, ne cum gentibus Cananæis confœderationem iniret, Exod. XXIII. 32. XXXIV. 12, 15. ſed & ægerrime tulit, quoties is ſpe fiduciaque humani auxilii idem cum aliis gentibus faceret. Hoſ. XII. 2.

Sancte ſervanda. XI. Uti fœdera ſub invocatione Dei ut teſtis & Vindicis erigebantur, ita illa licet cum incommodo & detrimento conjuncta eſſent, ſacroſancte tamen ſervari voluit, eorumque violationem ſeveriſſime ſemper ultus eſt. Ezech. XVII. 15. ſeqq. coll. Joſ. IX. 16. ſeqq.

Contractus. XII. Quod inter Principes integrosve populos fœdus eſt, id inter privatos *contractus* appellatur, quo nomine omnis conventio intelligitur, quæ inter illos, ſive in emptione venditione, mutuo, ſive alio quocunque negotio initur.

Vel per conſenſum initi. XIII. Tales contractus aliquando ſolo mutuo conſenſu fiebant, quod præcipue obtinebat, ubi conditiones ſtatim implebantur, & (ut ex. gr. in emptione venditione) quando pretium ſolvebatur, proque eo ſimul rei emptæ dominium tradebatur. Gen. XXIII. 16. ſeqq.

XIV.

XIV. Nonnunquam tamen majoris securitatis causa testes adhibebantur, aliquando & instrumenta formabantur, quæ non solum partium contrahentium sed & testium subscriptione confirmari solebant. Jer. XXXII. 10. seqq. *Vel testibus & scripto confirmati.*

XV. Conscribendis contractuum libellis potissimum inserviebant οἱ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ *Scribæ populi* Matth. IV. 2. Rabbinis לבלרין *Libellarii* dicti (I. c. V. §. XIV.) In iisdem vero consignandis annum civilem, qui a mense Tisri incipit, sequebantur (II. c. VII. §. XIV.) *Scribæ populi.*

XVI. In quibusdam negotiis interponebatur quoque sponsio. *Sponsio.*

XVII. Hæc solemni manuum complosione iniri solebat Prov. VI. 1. XI. 15. XVII. 28. obligabatque ad solutionem summo cum rigore exigendam Prov. XX. 16. & XXII. 26, 27. XXVII. 13. *Circumstantiæ ejus.*

CAP.

CAP. X.

De

Militibus & armis Hebræorum.

I.

Res militaris. Quæ hactenus de ſtatu Politico delibavimus, rem Hebræorum civilem ſpectant, ſupereſt ut de *militari* quoque verbum ſubjungamus.

Milites. II. Judæi antiquitus militem ſtipendiarium non habebant, ſed omnes ſine diſcrimine rebus ſic flagitantibus militare tenebantur, niſi quos aut ætas, aut alia ſat gravis cauſa obligatione hac exſolveret.

Ætas militum. III. *Ætas* bello apta, *Juvenilis* & *Virilis* erat, ſcil. inde ab anno vigeſimo Num. I. 2, 3. & XXVI. 2. 2 Cron. XXV. 5. usque ad annum, ut Joſephus teſtatur, quinquageſimum, unde milites toties נערים & בחורים *juvenes* audiunt. Qui infra hanc ætatem erant, aut eandem exceſſerant, ad militiam non tenebantur.

Vocatio a militia. IV. Ab eadem præterea *vocatio* concedebatur his quatuor, 1 qui novam domum

mum ſtruxerat, nec dum illam inhabitaverat, 2 qui vineam plantaverat nec dum ejus fructum guſtaverat, 3 νεόγαμος & 4 meticuloſus Lev. XIX. 23, 24. Deut. XX. 5. ſeqq. Judæi tamen illis tantum immunitatem a bellis arbitrariis non imperatis (infr. XI. §. I. & II.) concedunt.

V. Urgente neceſſitate univerſus populus ad bellum *convocabatur*, ſive per *vocem* præconis, ſive per *vexillum* in loco alto expoſitum, cui nonnunquam *tubæ ſonitus* jungebatur 1 Sam. XIII. 5. 2 Sam. XX. 4. Jud. VI. 34, 35. Jeſ. XIII. 2, 3. XLIX. 22. Ezech. VII. 14. *Convocatio militum.*

VI. Aliquando cum integro populo opus non erat, *delectus* ſtrenuiorum inſtituebatur Joſ. VII. 3. Jud. XX. 10. 1 Sam. XIII. 2. aut *optio* dabatur illis, qui *ultro* & *voluntario* dimicare volebant conf. Pſ. CX. 3. *Milites delecti & Voluntarii.*

VII. Uti apud Romanos milites in Legiones Matth. XXVI. 35. Marc. V. 9. cohortes Joh. XVIII. 3. Act. X. 1. XXVII. 1. manipulos & centurias dividebantur, ita & apud Hebræos iidem in varia agmina majora aut minora diſtributi erant, quibus a numero nomina *millenorum*, *Centenorum*, *quinquagenorum &c.* imponebantur Jud. XX. 10. 1 Sam. VIII. 12. *Militum diſtributio.*

coll.

coll. Exod. XVIII. 21, 25. singulisque *præfecti sui* præerant.

Duces. VIII. Hi sunt qui קצינים פקדים & שרים aut in specie שרי אלפים χιλιάρχων שרי מאות ἑκατοντάρχων שרי חמישים πεντηκοντάρχων & שרי עשרה δεκάρχω nomine veniunt Jud. X. 24. Num. XXXI. 48. coll. Deut. I. 15. & 1 Macc. III. 55. Omnes autem hi suberant post *Mosen* & *Josuam*, *Judici* (II. c. II. §. XVII.) *Regi* (II. c. III. §. XXI.) aut *Principi* (ib. XXIX. sqq.) qui *Imperatoris* personam supremamque belli curam sustinebant Sub Regibus nonnunquam etiam alii Duces universo exercitui præficiebantur 2 Sam. VIII. 16. & XX. 20. Talis שר חיל & שר צבא appellabatur 2 Sam. XXIV. 2. 2 Sam. II. 8. 1 Reg. I. 19.

Militia pedestris. IX. Militia est vel *terrestris* vel *navalis*, atque illa iterum *pedestris* vel *equestris*. Apud Hebræos primum pedestris tantum obtinebat omnesque milites רגליים erant Num. XI. 21.

Equestris cum curribus bellicis. X. Postea Salomon ad exemplum aliorum populorum *equitatum* erexit, *currusque bellicos* paravit, ex quibus pugnabant impositi milites 1 Reg. V. 6. & 2 Chron. I. 14. His dudum incolæ Canaanis usi fuerant, iisque *ferreis* Jos. XIV. 16. Jud. I. 19. IV. 3, 13. per quos multi

multi falcatos intelligunt. Equitibus curribusque Salomon certas urbes assignavit. 1 Reg. IX. 19. X. 26.

§. XI. *Militiæ navalis* licet vestigia quædam in sacris occurrant Num. XXIV. 24. Jes. XXXIII. 21. & Dan. XI. 30. apud alios tamen populos illa magis obtinuit, quam apud Judæos, qui navibus, ad merces ex remotissimis regionibus advehendas, potissimum usi sunt (III. IX. §. IV. sqq.) *Navalis.*

§. XII. Peculiares militibus apud Judæos vestes fuisse non constat, procul dubio tamen illis præcipue usi sunt, quæ minimo impedimento essent, quem in finem easdem quoque cingulo constringere solebant, 2 Sam. XX. 8. quare חגר *accingere se* pro *ad bellum semet præparare*, contra פתח *solvere* (cingulum) vel *discingere se* pro *eodem desistere* usurpatur. 1 Reg. XX. 11. *Vestes militum.*

§. XIII. *Arma* Hebræis generaliori nomine כלים aut כלי מלחמה vel כלי קרב appellantur, suntque vel ad *defendendum* vel ad *nocendum* comparata. Ad priora præcipue *Galea*, *Thorax*, *Calcei*, s. *Ocreæ* & *clypeus* pertinent. *Arma ad defensionem.*

§. XIV. *Galea* כובע aut קובע περικεφαλαία tegendo capiti inserviebat, quem in finem ex materia duriori fiebat; *Galea.*

 apud

apud Judæos præcipue ex ære aut ferro memoratur. 1 Sam. XVII. 38. 1 Maccab. VI. 35.

Lorica. XV. *Lorica* שריה שריון vel סריון Θώραξ Veteribus ex lino, corio, ære aut ferro 1 Sam. XVII. 5. Apoc. IX. 9. parabatur, idque non tantum ex solida lamina, sed & ex squamvis ferreis aut æneis, qualem Gr. λεπιδωτὸν, aut hamis vel annulis instar catenarum, qualem ἁλυσιδωτὸν appellant, quo sensu שריון קשקשים 1 Sam. XVII. 5. Interpretes Alexandrini accipiunt.

Loricæ usus. XVI. Circumponebatur lorica vestis instar corpori Jes. LIX. 17. Jerem. XLVI. 4. quem in finem in superiori parte aperturam rotundam habebat collum ambientem Exod. XXVIII. 32. & XXXIX. 23. sicque, illud contra externam vim tutabatur.

Calcei & Ocreæ. XVII. Apud Veteres pedes quoque muniri solebant *calceis* Ephes. VI. 15. crebris acutisque clavis instructis, aut *ocreis* seu *tibialibus* ex ferro, ære aliove metallo. Ad priores nonnulli respici volunt Deut. XXXIII. 25. ad posteriores 1 Sam. XVII. 6.

Clypei. XVIII. Omnium tamen instrumentorum quibus ad defensionem utebantur, præcipui erant שלטים *clypei*, unde

unde nonnunquam pro armis in genere, nonnunquam etiam ut emblemata *defensorum*, usurpantur. Horum scriptura diversa memorat genera, סחרה אגן צנה quæ magnitudine, pondere, figura, fere ut apud Romanos *Scutum*, *clypeus*, *parma* &c. differebant 1 Reg. X. 16. 17. & 2 Chron. IX. 15, 16. Psl. XCI. 4.

XIX. Ad hos quoque omnis materia durior quondam adhibebatur: In sacris præcipue clypeorum *æreorum* & *aureorum* mentio injicitur 1 Reg. X. 16. XIV. 26, 27. Quemadmodum autem apud alias gentes nonnunquam clypei variis figuris & inscriptionibus exornari solebant, ita & Judæi narrant, clypeum Davidis geminum habuisse triangulum, sibi mutuo implexum, quorum sex angulis totidem literæ nominum יה & יהוה medio nomen אגלא oræ autem verba Num. XI. 2. insculpta fuerint. *Materia & ornatus eorum.*

XX. Præparaturi semet ad bellum aliquando *clypeos ungere* solebant Jes. XXI. 5. quo nonnulli etiam referunt 2 Sam. I. 21. Gerebantur autem brachio sinistro, ita ut dextra manu simul hasta aut arcus tractari possent. 1 Chron. XIII. 8, 24. & 2 Chron. XIV. 8. *Unctio & gestatio.*

Arma nocentia. XXI. *Arma ad nocendum* destinata, sunt *gladius*, *hasta*, *jaculum*, *arcus*, *funda*.

Gladius. XXII. חרב *Gladius* ordinario ex ferro aut chalybe, & quidem *una acie*, פי חרב dicta, instructus, nonnihilque apicem versus *incurvatus* erat, quo *cæsim* ferire solebant, nonnunquam tamen & *geminam aciem* שני פיות aut פיפיות habebat, quo *punctim* petebant Jud. III. 16. Ps. CXLIX. 6. talem Græci δίστομον vocant Hebr. IV. 12. Apoc. I. 16. II. 12.

Vagina & balteus. XXIII. Condebatur gladius *vagina* תער, נדן vel θήκη 1 Sam. XVII. 51. 1 Chron. XXI. 27. & Joh. XVIII. 11. femorique *balteo*, distincto ab illo quo vestes constrictæ, *accingebatur*, & quidem plerumque supra reliquas vestes, præterquam in casibus extraordinariis Ps. XLV. 4. 1 Sam. XVII. 39. 2 Sam. XX. 8. coll. Jud. III. 6.

Gladii gestatio. XXIV. Solebant autem pedites, saltem posterioribus temporibus, *geminum ensem* gerere, alterum *longiorem*, ad *sinistrum latus*, alterum *breviorem* & spithamæ mensuram non excedentem s. *pugionem*, ad *dextrum*, conf. Jud. I. c. Equites vero gladium *oblongum* ad *dextrum* habebant.

XXV.

§. XXV. *Hasta* hebr. רמח & חנית præcipuum locum inter arma nocentia, ut clypeus inter defensiva obtinet, unde duobus his utrumque armorum genus comprehendi solet, 2 Chron. XXV. 5. Constabat scapho ligneo a superiori parte cuspide ferrea להב, probeque acuminata instructo. Jud. III. 22. 1 Sam. XVIII. Jer. XLVI. 4. eratque variæ longitudinis, ita ut non solum cominus ea pugnaretur, sed & eminus in hostem mitti posset. 1 Sam. XX. 33. *Hasta.*

XXVI. Utebantur hastis, non solum *pedites* sed & *equites* Nahum. III. 3. & hi quidem etiam *longioribus* 2 Maccab. V. 2, 3. Imprimis illas gerebant Duces & Principes 1 Sam. XXV. 7, 8. 2 Sam. I. 6. & II. 23, idque aliquando sceptri loco, 1 Sam. XVIII. 10. XIX. 9. unde & apud varias gentes imperii symbolum fuit. *Usus ejus.*

XXVII. Hastæ affine est, sed multo brevius *Jaculum* aut spiculum, quod apud Veteres loro torquebatur, aut vibrabatur manu. Tale videtur esse quod Ezech. XXXIX. 9. מקל יד dicitur. De minoribus lanceis, jaculorum loco usurpatis, quoque nonnulli vocem שבטים 2 Sam. XVIII. 14. accipiunt. *Jaculum.*

Arcus.

XXVIII. *Arcus* קשת quoque non ultimam amorum nocentium classem constituit, quare & ipse pro armis in genere, nec non ut symbolum omnis præsidii sumitur. Parabatur non solum ex *ligno* firmiori, sed & ex *ære* 2 Sam. XXII. 35. & Ps. XVIII. 31. *chorda*que s. *nervo* יתר a. מיתר Psalm. XI. 2. XXI. 13. subtendebatur ad sagittam propellendam.

Sagitta.

XXIX. *Sagitta* חץ aut בן קשת dicta ex arundine præcipue sumebatur, ferroque probe polito muniebatur. Nonnunquam etiam apud Veteres *veneno* imbuebatur, quo nonnulli referunt βέλη πεπυρωμένα tela ignita Ephes. VI. 16, alii tamen verba de sagittis incendii causa emissis potius accipienda esse volunt. Cum autem pluribus sagittis opus esset, *pharetram* תלי & אשפה illis repletam humero suspendere solebant. Gen. XXVII. 3. Psal. CXXVII. 5. Jer. V. 16.

Sagittarum emissio.

XXX. Ad emittendas sagittas, ordinario arcus sinistra, sagitta vero dextra tenebatur Ezech. XXXIX. 3. sicque cum nervo adducebatur, quod משך aut pede vel genu intendebatur, quod דרך קשת dicitur 1 Reg. XXII. 34. Ps. XXXVII. 14. Exercitatiores in hac arte

cele-

celebrantur, qui tam dextra quam sinistra arcum tractare possent. 1 Chron. XII. 2. Licet autem Patriarchæ jam eo uti noverint Gen. XXVII. 3. XLVIII. 22. XLIX. 24. serius tamen ordinarius ejus usus in bello inter Judæos invaluit. 2. Sam. I. 18.

XXXI. Restat funda קלע ex qua Judæi *lapides* אבני קלע 2 Chron. XXVI. 14. Zach. IX. 15. projicere solebant, quem in finem illos *pera* aut *sacculo* inclusos præsto habebant. 1 Sam. XVII. 40. A summa in hac arte peritia Benjaminitæ celebrantur. Jud. XX. 16. *Funda.*

XXXII. Hæc sunt præcipua apud Judæos quondam usitata armorum genera, quibus singuli homines utebantur, de majoribus machinis bellicis, quæ a pluribus tractabantur cap. XI. §. XXX, XXXII. agetur. Uti autem milites sua ipsimet arma gerebant, ita Principes & Duces eadem ab armigeris portari curabant. 1 Sam. XIV. 7. XXXI. 4. 2 Sam. XVIII. 15. *Armigeri.*

XXXIII. Antequam argumentum hoc mittimus, verbum de peculiari militum genere, quod nomine כרתי *Cerethi* & פלתי *Pelethi* venit, addendum est. Ita autem appellatur gemina cohors a Davide in custodiam corporis *Cerethi & Pelethi.*

 insti-

instituta 2 Sam. VIII. 18. utraque levis armaturæ, & prior quidem (ut videtur) *arcubus* & *sagittis*, posterior *hastis* (forte quoque & *fundis*) instructa.

Miles stipendiarius. XXXIV. His peculiaris Præfectus præerat 2 Sam. XX. 25. 1 Chron. XVIII. 17. cumque semper circa Regem essent, magna eorum auctoritas erat. 1 Reg. I. 38. 2 Reg. XI. 4. Videntur autem iis primi inter Judæos milites stipendiarii fuisse, cum alii, proprio ære militare deberent. Dein autem in peculiaribus circumstantiis, Reges etiam præter subditos, alios milites ære conducere cœperunt 2 Chron. XXV. 6. Imo serioribus temporibus Duces militibus, & quidem rebus sic flagitantibus etiam de suo, obsonia dederunt 1 Maccab. XIV. 32. conf. Luc. III. 14. & 1 Cor. IX. 7.

CAP.

CAP. XI.

De Bello.

I.

Bellum Judæis distinguitur in מלחמת מצוה *bellum præcepti* & מלחמת רשות *bellum arbitrarium*. Illud est quod ipsius Dei jussu, contra *septem populos Cananæos*, ut & contra *Amalekitas* gerendum Deut. XX. 17. & XXV. 19. cui Judæi jungunt, quod ad *defensionem* Israelis contra hostes tendit; hoc quod *ultro* ad *dilatandos fines* Israelis, aut ad *magnitudinem famamque* augendam suscipitur. ***Bellum quotuplex?***

II. Utriusque in multis distincta erant *jura*, ad prius enim omnes sine discrimine Israelitæ tenebantur, ab hoc quidam erant liberi (cap. præced, §. IV.) Prius Rex nemine consulto, posterius non nisi ex sententia Synedrii gerere poterat (II. c. III. §. XX.) nec non suscipere fas erat, nisi illo antea gesto, denique in illo omnes promiscue, in hoc non nisi masculi, interficiendi vid. cap. seqq. §. V. ***Diversa ejus jura.***

III. Nemini bellum inferre licebat, nisi *oblata* prius *pace* Deuter. XX. 10. ***Ante bellum pax offerenda.***

Quem in finem Josuam gentibus Cananæis missa triplici Epistola, tria hæc denuntiasse volunt: *Qui fugere vult fugiat! Qui pacisci vult paciscatur! Qui pugnare vult pugnet! Moabitis* tamen & *Ammonitis* pacem non oblatam, sed si eam ultro rogarent concessam, Judæi asserunt.

Ejus conditiones. IV. Oblatæ pacis *conditiones* iidem hasce tres statuunt, 1 ut susciperent septem præcepta Noachica, 2 Ut tributum penderent, 3 Ut Israeli servirent, Regisque jussa facerent. Qui his conditionibus pacem acciperet, illi vim inferre non licebat, pace vero non accepta, bellum parabatur.

Dei ante bellum consultatio. V. Ad hoc suscipiendum aut rite gerendum, gentes quidem solebant ex avium esu vel volatu, aut jecoris inspectione, aut βελομαντεία auguria captare, aut idola sua interrogare Ezech. XXI. 21. Israelitæ autem, præcipue in rebus dubiis, Deum consulebant, Jud. I. 1. sive per Urim & Thummim (l. c. XVII. §. XXIV, XXV.) sive per Prophetam 1 Sam. XIV. 37. XXX. 7. 1 Reg. XXII. 7.

Collectio exercitus. VI. Decreto bello exercitus sub signis, sublatis nonnunquam propositisque in montibus Jes. V. 26. XIII. 2. XVIII. 3. colligebatur. Signa talia

sive

five *vexilla* quæ & miles dein sequebatur, quondam in deserto IV majora erant רגלים dicta, certis figuris, ut Judæorum nonnulli tradunt, vel ut alii volunt literis distincta, sub quorum singulis tres tribus continebantur Num. II. 2. seqq. (conf. P. I. cap. VII. §. XXXVII.) Nonnunquam & signum generaliori voce נס appellatur. Collectus exercitus mox a Duce lustrabatur Jos. VIII. 10. 1 Sam. XV. 4. 2 Sam. XXVIII. 1. 1 Reg. XX. 27.

VII. In castris miles degebat sub tentoriis, elegantissimo ordine structis Num. XXIV. 5. quin & hic æque ac alias in populo mundities summo studio observari debebat, unde nemini alvum nisi extra castra egerere licebat. Deut. XXIII. 12, 13, 14. *Castra.*

VIII. Ad militem in officio continendum, observabatur ibidem exacte *disciplina militaris*, ita ut singuli præfectis suis, atque hi iterum summo Duci strictim obedire tenerentur, inobedientesque gravissimam pœnam, & pro re nata ultimum quoque supplicium incurrerent. 1 Sam. XIV. 24, 27, 39, 44. Ad petulantiam asperitatemque militum coërcendam quoque Deus ipse vetuit, ullam *arborem frugiferam* læde- *Disciplina militaris.*

re

re Deut. XX. 19. Denique in ipso prælio fugientes etiam severe coërcebantur vid. §. XIV.

Privilegia militum.

IX. Gaudebant tamen & milites in bello non exiguis privilegiis, namque ad *lotionem manuum*, ut Judæi testantur, obligati non erant, & urgente fame etiam *suillam* aliosque *cibos illicitos comedebant*, & vinum idolis consecratum *bibebant*, Sabbatho quoque a militia immunes erant, imo ne arma quidem portare licebat, sub templo II tamen sui defensionem Mattathias permisit. (I. XX. §. XXVII.)

Præmia militibus proposita.

X. In rebus arduis ad extraordinaria facinora, milites nonnunquam insignium præmiorum pollicitatione excitabantur Jos. XV. 16. 1 Sam. XVII. 25. & XVIII. 17, 22, 23. 1 Chron. XI. 6.

Castrorum motus & quies.

XI. Ubi *castra movenda* aut *metanda* essent, *tuba* signum dabatur Num. X. 2. sqq. Iisdem vero quiescentibus מעגל aut מעגלה *carros* pro vallo objicere solebant. 1 Sam. XVII. 20. & XXVI. 5, 7. Intra hos de nocte milites somnum in terra capiebant. Duce medium in castris locum occupante, præfectisque illam cingentibus. 1 Sam. XXVI. 5, 7, 8.

XII.

XII. Ad majorem securitatem constituebantur in extremitate castrorum, qui excubias agerent, ne forte improviso ab hoste opprimerentur Jud. VII. 19. 1 Maccab. XII. 27.

XIII. Nonnunquam emittebantur quoque *exploratores* מרגלים qui hostium terram, conamina aut agmen scrutarentur Num. XIII. 2, 16, 17. 1 Sam. XVI. 4. 1 Maccab. V. 38. XII. 26. *Exploratores.*

XIV. Exercitum distinctum fuisse volunt in quinque ordines, *Primam aciem, Cor, Cornu dextrum, Cornu sinistrum* & *Crus*, quo sensu vocem חמשים accipiunt Exod. XIII. 18. Cornua *alarum* כנפים nomine quoque venire videntur. Jes. VIII. 8. Jerem. XLVIII. 40. *Quinque ordines exercitus.*

XV. Ad dimicandum miles ordine in campum educebatur, aciesque hostium aciei adversa fronte opponebatur. 1 Sam. XVII. 20, 21. In castris vero relinquebantur qui arma & impedimenta custodirent ibid. V. 22. 1 Sam. XXX. 24. *Eductio militum in aciem.*

XVI. Dum instruebatur acies כהן משוח מלחמה *Sacerdos ad bellum unctus* (I. X. §. V.) alloquebatur ex loco alto exercitum, militibusque animum addebat verbis Deut. XX. 3, 4. quae ut Judaei *Instructio aciei.*

dæi tradunt, dein alius Sacerdos clara voce per universum exercitum divulgabat. Postea Unctus verbis, comm. 5, 6, 7. reverti jubebat, qui novam domum struxerat, aut vineam plantaverat, aut uxorem recens duxerat (cap. præced. §. IV.) tum שוטר iisdem denuo alta voce ingeminatis, subjungebat *quicunque timet revertatur* ibid. com. 8. Quod postquam alius שוטר repetiisset, & modo dicti dimissi essent, phalanges ordinabantur, inque earum fronte præfecti constituebantur. Ante & post singulos ordines collocabantur quoque qui non solum cadentes erigerent, dicti inde זקפים *Erectores*, sed & clavis ferreis fugientes percuterent, aut crura illis comminuerent.

Regis præsentia in prælio. XVII. Cum Ducis præsentia atque exemplum non parum excitet milites, solebat quidem sæpissime Rex cum populo in aciem prodire, sed mutatis tamen nonnunquam vestibus, ne ab hostibus facile agnosceretur. 2 Chron. XVIII. 29.

Prælium. XVIII. Dimicaturi nonnunquam *dextrum brachium nudabant*, conf. Ezech. IV. 7. & Jes. LII. 10. mox dato per tubas a Sacerdotibus signo Num. X. 9. &

2 Chron.

2 Chron. XIII. 12. cui nonnunquam & cantus jungebatur 2 Chron. XX. 21, 22. sublatoque ingenti κελεύσματι Exod. XXXII. 17. Jos. VI. 5, 20. 1 Sam. XVII, 52. in hostem ruebant. Clamor hic non semper inordinatus erat, sed aliquando certis verbis, tesseræ vicem habentibus, constabat. Judic. XII. 20.

Monomachia & Oligomachia.

XIX. Ut sanguini innocuo parceretur, nonnunquam rei summa *duorum pluriumve*, ab utraque parte lectorum, *certamini* committebatur, ita ut cujus partis delegati superiores evaderent, eadem victoriam reportaret 1 Sam. XVII. 8, 9. Huc etiam referunt nonnulli 2 Sam. II. 14. sqq. multi tamen hunc locum de ludo s. simulacro belli accipiunt. Alia autem duella in privata causa propriaque auctoritate suscepta, in antiquitate Judaica fundamentum non habent.

Invocatio Dei & Vota.

XX. Non ante pugnam tantum, sed & in ipso prælio, pii Duces Dei auxilium calidissimis precibus implorabant Exod. XVII. 11. 2 Chron. XIII. 14. 2 Maccab. XII. 36. Aliquando iidem aut universus populus pro obtinenda victoria sacrificia mactabant, vota nuncupabant, aut hostes devovebant 1 Sam. VII. 9. Jud. XI. 30. Num. XXI. 2. Secus autem impii de victoria despera-

bun-

bundi nonnunquam sibimet ipsis manus inferebant. 1 Sam. XXXI. 4.

Insidiæ & Stratagemata.

XXI. Non semper aperto Marte Judæi manus conferebant, sed & sæpius ex *insidiis* aut *stratagemate* hostem (idque aliquando ipsius Dei jussu) opprimebant. Jos. VIII. 2. seqq. Jud. VII. 16. seqq. XX. 29. 2 Sam. V. 23.

Urbium munimenta.

XXII. Ad arcendam a locis habitatis hostilem vim, illa jam mature *muris* חומות sive simplicibus sive geminis, cincta sunt Deut. XXVIII. 52. Jes. XXII. 11. 2 Chron. XXXII. 14. Muri hi variis *angulis* פנות 2 Chron. XXVI. 15. ducebantur *per artem obliqui, aut introrsus sinuati, ut latera oppugnantium ad ictus patescerent*, iisdem imponebantur *turres* מגדלים 2 Chron. XIV. 6. XXVI. 9. Ps. XLVIII. 13. nonnunquam & *antemurali* חיל circumdabantur Jes. XXVI. 1. & Thren. II. 8.

Portæ.

XXIII. Aditus claudebantur *portis*, hæque *vectibus* non tantum *ligneis*, sed & aliquando *æheis* firmabantur, 1 Reg. IV. 13. 2 Chron. VI. 1, 5. XIV. 6.

Vigiles & custodes.

XXIV. In muris constituebantur *Vigiles*, qui in speculis stantes, mature incolas de imminentibus periculis admonerent. Ps. CXXII. 1. Cant. V. 7. Jes. LXII. 6. Peculiares quoque turres eun-

eundem in finem ſtructas habebant 2 Reg. IX, 17. Talis eſt quæ מגדל נוצרים *dicitur* 2 Reg. XVII. 9. XVIII. 8. De nocte vero *cuſtodes* per urbem aut in muris obambulabant, exploraturi, num omnia intra muros recte ſe haberent, aut extrinſecus quid metuendum eſſet, Cant. III. 3. & V. 7. Ad portas etiam collocati qui easdem cuſtodiebant. 1 Reg. VII. 10, 11.

Emiſſio imbellis turbæ? XXV. Nonnunquam imminente obſidione fœminæ, infantes, quique præterea ad defenſionem inepti eſſent, ad loca tutiora emittebantur 2 Maccab. XII. 21. Aliquando tamen & mulieres in obſidione non levia fortitudinis ſpecimina edebant. Jud. IX. 53.

Turres & Caſtella. XXVI. Circa loca patentia minusve munita aut in eorundem medio, *turres* aut *caſtella* ſtructa erant, quo incolæ cum præcipua ſupellectile ſemet reciperent Jud. IX. 46, 51. conf. Proverb. XVIII. 10. Nonnunquam præſidio deſtituti, ad inacceſſas rupes aut ſpeluncas confugiebant. Jud. VI. 2. & XX. 45, ſeqq.

Oppugnatio & Obſidio. XXVII. Urbem *oppugnaturi* נלחמים per portas protinus irruebant, aut muros admotis ſcalis conſcendebant, inque urbem tranſiliebant, Joſ. VIII. 19.

Jer. V, 10. Joel. II. 7. Ps. XVIII. 30. *Obsessuri* autem צרים eandem *aggere* סוללה cingebant, quo eam tandem tractu temporis caperent, aut fame aliisque incommodis ad deditionem compellerent Ezech. IV. 2, 3. 2 Reg. VI. 24, 25. XXV. 3. Luc. XIX. 43.

Cautela. XXVIII. Non licebat tamen Judæis, ut ipsi testantur, hostilem urbem undequaque includere, sed ad *unum latus* spatium reliquendum erat, unde qui vellet tuto fugere posset.

Obsidionis tempus. XXIX. Obsidio non incipiebatur *Sabbatho*, sed ut Magistri sciscunt, ad minimum triduo ante, semel autem cœpta, etiam ipso Sabbatho continuabatur.

Arma contra urbem adbibita. XXX. Non eminus tantum sagittis hostes in muro petebant, sed & *turres* erigebant, unde in ipsam urbem tela mittere possent, Jer. XXXVII. 33. Jer. LII. 4. Ezech. IV. 2. XVII. 17. ad muros postquam appropinquassent, facta ex clypeis *testudine* illos obtinere, aut admoto *ariete*, quem כר aut מחי dictum volunt, dejicere, aut portas effringere, vel easdem igne exurere studebant Ezech. IV. 2. XXI. 22. XXVI. 8, 9. & Jud. IX. 49, 52. nonnunquam & per *cuniculos* muros suffodiebant, quo vel caderent,

rent, vel ſub illis viam in urbem ſibi ſternerent, quo reſpiciunt Interpretes Alexandrini. Jer. LI. 58.

XXXI. Obſeſſi de muro non ſolum *ſagittis* pugnabant, ſed & præcipue *lapides molesque grandiores* in oppugnatores devolvebant 1 Sam. XI. 20, 21, 24. Ubi autem ab excubiis aut pugna vacabant, clypeos in circuitu murorum aut turrium ſuſpendebant. Ezech. XXVII. 10, 11. *Defenſio obſeſſorum.*

XXXII. Peculiare *machinæ majoris* genus, *Baliſtæ* non abſimile invenit, inque turribus & angulis murorum conſtituit Rex Uzzias, unde ſagittæ ſaxaque graviora in obſeſſores torqueri poſſent. 2 Chron. XXVI. 15. *Baliſtæ.*

XXXIII. Non omnia hæc, quæ de armis arteque bellica tradidimus, omni tempore obtinuerunt: plurima pedetentim inventa ſunt, quorum multa gentes a Judæis mutuatæ videntur, quemadmodum hi contra non pauca ab illis didicerunt, & in uſus ſuos converterunt. Procul dubio quoque plura in re militari gentium memorata inter Judæos viguerunt, quorum ſacer codex non ſatis diſerte meminit, ut adeo Judæorum res militaris inde non parum illuſtrari poſſit. *Collatio rei militaris gentium.*

CAP. XII.

De Belli exitu, victoria, triumpho &c.

I.

Revocatio militum. Fusa hostium acie, victores insequebantur fugientes, donec signo dato ad castra revocarentur, quod plerumque sono buccinæ fiebat 2 Sam. II. 28. XVIII. 16. XX, 22. Qui autem infeliciter pugnaverant, ad castra semet recipiebant, ut pugnam instaurarent, aut alia ratione sibi consulerent 1 Sam. IV. 3. Perditis vero castris, aut in fuga salutem quærebant, aut a Ducibus in alio loco iterum colligebantur. 2 Sam. II. 25.

Sepultura occisorum. II. Mox præcipua cura erat, ut suorum qui in prælio occiderant corpora humo mandarent 1 Reg. XI. 15. aut domum delata, Patriis sepulchris inferrent 2 Maccab. XII. 15. quod præcipue circa honoratiores, principes & duces studiose observabatur. 2 Sam. II. 32. XXI. 14.

Cæsi hostes quomodo habiti? III. *Occisis hostibus* & præcipue quidem ducibus arma detrahebant, nonnunquam & capita amputabant, quæ vel

vel publice exponebant, vel ad triumphum ſervabant, Jud. VII. 25. 1 Sam. XVII. 5, 54. & XXXI. 9. cadavera vero congeſta ſepeliebant, ne terram inquinarent aut aërem fœtore corrumperent. Ezech. XXXIX. 11, 12.

IV. Clade affecti hoſtes cum pacem peterent, aut urbes ſemet dederent pax quidem concedebatur, ſed non niſi illis conditionibus, quas cap XII. §. IV. tetigimus. *Hoſtes pacem pedentes & urbes ſe dedentes.*

V. Qui autem pacis conditiones ſpernentes acie ſuperarentur, æque ac urbium vi captarum incolæ trucidabantur, & quidem in bellis arbitrariis non niſi *maſculi*, in bellis legalibus autem *omne* vivens ſine diſcrimine Deut. XX. 13. ſeqq. conf. 1 Sam. XV. 13. ſeqq. *Victi & vi capti*

VI. Poſterius locum quoque habebat, in populis aut urbibus a Deo ipſo aut Iſraele per חרם devotis Num. XXI. 2, 3. & 1. Reg. XX. 32. ſeqq. imo tales urbes penitus devaſtabantur igneque exurebantur (I. XVI. §. XXX.) *Urbes vaſtatæ.*

VII. Haud raro vaſtatarum urbium ſolum in perpetuæ deſolationis ſignum *ſale* conſpergebatur, aut eidem *aratrum* inducebatur Jud. IX. 45. Mich. III. 12. & Jer. XXVI. 18. Aliquando *Sale conſperſæ & aratro inductæ.*

& dirum maledictionis carmen in illum qui eas instaurare auderet, pronunciabatur. Jos. VI. 26. coll. 1 Reg. XVI. 34.

Hostes subjugati. VIII. Hostium domitorum colla nonnunquam Victores, ad omnimodam eorum subjectionem testandam, pedibus premebant. Jos. X. 24, conf. Ps. XCI. 13. & Rom. XVI. 20. Mutilatio autem capti Regis Adoni Pezek pro singulari Dei judicio, ex jure talionis ipsi immisso habenda est, Jud. I. 6, 7. Effossio oculi dextri barbarum facinus erat, 1 Sam. XI. 2.

Obsides, præsidia, & arma adempta. IX. Ab iisdem ne forte rebellarent *obsides* capiebantur 2 Reg. XIV. 14. & 2 Chron. XXV. 14. aut *præsidia* illis imponebantur 2 Sam. VIII. 6, 14. coll. XXIII. 12. Moris quoque in oriente erat arma illis adimere, quin & aliquando ipsos fabros ferrarios, quo minus ea reparare possent. 1 Sam. XIII. 19, 22.

Ἐπινίκιον victorum. X. Ovantes Victores vel in ipso campo vel in triumpho domum redeuntes ἐπινίκιον canebant, quo tum Dei gratiosum auxilium, tum ducum aut aliorum quibus victoria præcipue debebatur fortia facta, dignis ad cœlum lau-

laudibus extollerent. Exod. XV. 1, 20. Jud. V. 1.

XI. Heroum quoque qui in bello ceciderant funus lugubri carmine plangebant, 2 Sam. I. 17. 2 Chron. XXXV. 25. *Planctus Heroum.*

XII. Triumphantes nonnunquam abscissa hostium capita, captivos vinctos, praedam actam, secum ducere solebant. Jud. VII. 25. 1 Sam. XVII. 54, 57. *Triumphus.*

XIII. Sic redeuntibus, qui in aedibus remanserant, cum choris virgineis obviam procedere, eosque inter concentus Musicos & hymnos in laudem Victorum compositos, domum comitari solebant. Jud. XI. 34. 1 Sam. XVIII. 6, 7. *Receptio triumphantium.*

XIV. Milites qui hostes interfecerant aut mortuos sepeliverant, per septem dies immundi erant, dieque tertio & septimo, ut omnes a mortuo polluti (I. XVIII. §. XXVI.) una cum captivis & praeda sua *lustrari* debebant Num. XXXI. 19. seqq. 2 Maccab. XII. 38. *Militum lustratio.*

XV. Qui prae aliis rem fortiter gesserant, non vulgaribus *praemiis* afficiebantur, & vel ad majores honores promovebantur 1 Chron. XI. 6. vel argento balteoque donabantur 2 Sam. *Praemia militaria.*

 XVIII.

XVIII. 11. nonnunquam & ex promissione antea facta, non solum sibi suisque immunitatem a tributis accipiebant, sed & splendidissimo matrimonio honorabantur. Jos. XV. 17. & 1 Sam. XVIII. 27.

Pars prædæ Deo data.

XVI. Nonnunquam ex urbibus per חרם devotis, aurum, argentum, æs & ferrum, reliquis omnibus combustis, in *thesaurum Domini* inferebatur Jos. VI. 24. In aliis bellis aliquando etiam *præcipua prædæ pars* ultro a Ducibus *Deo*, inprimis ad læsum ejus Numen placandum, offerebatur. Num. XXXI. 50. Non insolens quoque erat insignioris hostis arma eidem consecrata in Sanctuario suspendere. 1 Sam. XVII. 54. XXI. 9. & XXXI. 1, 10.

Reliqua divisio.

XVII. Ordinario autem Deus *prædam* in duas partes æquales dividi jussit, quarum unam his, qui in bellum profecti erant, alteram illis qui domi manserant dari, priorisque partem quinquagesimam Sacerdotibus, posterioris Levitis pendi voluit. Num. XXXI. 25. seqq. Ex parte quæ militibus cedebat, non solum qui dimicaverant, sed & qui arma custodiverant, portionem suam accipiebant. 1 Sam. XXX. 24, 25.

XVIII.

XVIII. *Equi* autem aliquando enervabantur, & *turres* igne comburebantur Jos. II. 6. 9. Idem nonnunquam aliis quoque hostium *armis* factum esse sunt qui ex Psal. XLVI. 11. & Jes. IX. 4, 5. colligunt. *Equi enervati, currus combusti.*

XIX. *Captivi* quos in vita conservare licebat, postquam Proselyti facti riteque lustrati, post *mancipiis* habebantur, multoque deterioris conditionis erant, quam qui concessa pace Israeli serviebant, non tamen pro lubitu in illos sævire licebat, (III. III. §. XXVI.) Ita quoque captivis fœminis nefas erat pro arbitrio abuti, sed qui cum tali rem habuisset, eam vel domum ducere, vel numerata dote liberam dimittere tenebatur, (ibid. §. XXVII.) *Captivi.*

XX. In perennem reportatæ victoriæ memoriam auxiliique divini gratam recordationem, haud raro *publica monumenta* peculiaribus *appellationibus* aut *inscriptionibus* nobilitata erigebantur Exod. XVII. 15. 1 Sam. VII. 12. *Victoria monumenta.*

XXI. Omnia hæc quæ de Judæorum de militari diximus, proprie ad bella cum gentibus gesta spectant, alia autem *intestinorum* (quæ forte orirentur) ratio erat, in quibus semper meminisse debebant, se mutuo fratres es- *Bella intestina.*

ſe, atque ita etiam cum victis agere, Jud. XXI. 6, 7. & 2 Chron. XXVIII. 11. ſeqq. Præterquam ſi quæ urbs ad *apoſtaſiam* delapſa eſſet, hæc enim occiſis hominibus & pecudibus, cum omnibus quæ in ea inveniebantur, ultricibus flammis delenda nec æternum inſtauranda erat. Deut. XIII. 13. ſeqq.

Judæi hodie imbelles.

XXII. Coronidis loco circa hoc argumentum probe obſervandum eſt, gentem bello quondam clariſſimam, præſentiſſimoque Dei auxilio ſuffultam, nunc fere totam animo fractam, & ad militiam ineptam eſſe, qua in re ſingulare judicium, certiſſimumque vaticiniorum implementum cernere licet, Levit. XXVI. 36. ſeqq. Deut. XXVIII. 65, 66.

PARS



PARS TERTIA.

DE STATU OECONOMICO.

CAP. I.

De Matrimonio, jure Leviratus & Divortiis.

I.

Lustravimus hactenus geminum Judæorum statum, Ecclesiasticum & Politicum, restat ut *Oeconomicum* breviter delineemus. **Status Oeconomicus.**

II. Ad hujus constitutionem præcipue facit *matrimonium*, quod uti ab ipso Deo institutum Gen. I. 28. IX. 1. ita a Judæis non solum honeste semper habitum, conf. Hebr. XIII. 4. sed & illum qui XX *annos* natus, matrimonium nondum contraxit, licet nec defectus quidam nec assiduum Legis **Matrimonium.**

gis ſtudium obfuiſſet, in præceptum divinum peccare credunt.

Conjugia interdicta certis perſonis.

III. Quædam conjugia, certis perſonis, alia omnibus ſine diſcrimine Iſraelitis, interdicta erant. Pontifici *viduam*, eidem æque ac aliis Sacerdotibus, *meretricem*, *profanatam*, *a Viro dimiſſam &c.* (I.X.§.XXII.) ducere nefas erat. Filia ἐπίκληρος (infr. c. II. §.XXIX.) non poterat nubere niſi alicui ex tribu ſua, Num. XXXVI. 6.

Omnibus.

IV. Conjugia omnibus interdicta, & quidem tam *Viris* quam *fœminis* erant, cum *ethnicis* Deut. VII. 3; Eſr. X. 2. ſeqq. *Spuriis* Deut. XXIII. 3. nimis propinquo *conſanguinitatis* aut *affinitatis* gradu conjunctis Lev. XVIII. 7. ſeqq. *Viris* in ſpecie, cum *uxore a ſe repudiata*, poſtquam alteri nupta fuerat, vid. infr. §. XLII. cum *fratria* alterius, quamdiu Levir illam non renuiſſet ducere, infr. §. XXXV. *fœminis* autem cum פצוע דכא & כרות שפכה Deut. XXIII. 2. ut & cum *Proſelytis* ex *Ammonitis* aut *Moabitis* ibid. X. 4. Rabbini quoque Sponſalia illegitima declarant cum *ſtultis* & *mutis* contracta, ut & *hominum liberorum* cum *ſervis* & *ancillis*.

Gradus probibiti.

V. Cum Deus ex uno ſanguine humanum genus condere vellet, *conjugia*

con-

consanguineorum ab initio vitari non potuerunt. Imo Judæi illa ante Legem vetita fuisse negant, præterquam cum *matre & noverca*, quæ omni tempore, & cum *sorore uterina*, quæ post generis humani multiplicationem, ex jure Noachidarum interdicta asserunt. Iidem præter personas ipsa Lege vetitas, quas עריות *nuditates* appellant, XX alias שניות *secundarias* dictas מפי ספרים *ex ore scribarum* per sepem Legis addunt. In gravibus interdictis non levis quoque inter Rabbanitas & Karræos dissensus est.

VI. Ceterum autem conjugia inter omnes sine discrimine tribus licita erant. Rabbanitæ tamen suis semet cum Karræis conjungere non permittunt. *Conjugia inter tribus omnes licita.*

VII. *Ætas* matrimonio apta est, ex quo puberes & majorennes facti, quod ultimum in juvenibus post completum annum XIII & diem unum, in virginibus post XII annos & diem I obtinet. Ordinario tamen juvenis anno XVIII uxorem ducit. Quod si minorennis se desponsaverit inscio Parente, desponsatio nulla est. Vidua autem aut repudiata non potest alteri desponsari, nisi exactis tribus a morte *Ætas matrimonio apta.*

te prioris mariti aut repudio mensibus.

Polygamia a Deo tolerata. VIII. Licet *Polygamia* primæ conjugii institutioni repugnet Gen. I. 27. Mal. II. 15. coll. Matth. XIX. 4. dubitari tamen nequit, illam inter Judæos obtinuisse, atque adeo in eorum numerum referendam esse, quæ Deus ob σκληροκαρδίαν in hac gente quondam toleravit, Matth. XIX. 8. Pontifici M. tamen non nisi unicam uxorem permissam fuisse testantur. Hodie etiam polygamiam in regionibus Europæis non amplius exercent, imo Rabbi Gerson A. M. 4830 illam sub Excommunicationis pœna prohibuit.

Duplex uxorum genus. IX. Duæ uxorum erant species, quædam enim נשים appellabantur s. *Uxores Legitimæ* aut *Primariæ*, aliæ פילגשים *concubinæ*, quæ non pro scortis habendæ, sed pro *uxoribus secundariis*, aut ut nonnulli volunt, *servis thoro destinatis, verum sine solemni copulatione & desponsatione* Genes. XXII. 24. XXV. 6. XIX. 1. seqq. 1 Reg. XI. 3. Cant. VI. 8. 9.

Ambitio nuptiarum. X. Qui aliquam in uxorem primariam ambiebat, vel ipse vel per Patrem aut internuncium cum Patre ejus agebat Gen. XXIV. 10. seqq. Tob. VII. 10. non

non tamen Pater potestatem habebat filiam majorennem, insciam & invitam desponsandi conf. Gen. XXIV. 57, 58. & licet illud jus ipsi tribuant in filiam minorennem, non tamen eo uti permittunt Rabbini, sed contra ubi majorennis facta, רשותא בידה ipsi facultatem desponsationem talem rescindendi concedunt.

XI. Determinabatur *Argentum* in *dotem* לכתובה sponsæ dandum ab ejus Patre, adhibitis etiam aliquando reliquis cognatis Exod. XXXIV. 12. Summa erat pro sponsi facultatibus major aut minor, ad minimum autem Virgini in dotem CC Zuzim, viduæ C dabantur. Quod si sponsus dotem dare non valeret, aliquid æquivalens illi imponebatur Gen. XXIX. 18. 1 Sam. XVIII. 23, 25. & 2 Sam. III. 14. *Dos.*

XII. Bona quæ sponsa afferebat sponso sive mobilia sive immobilia aut servi, non dos sed נדוניה appellantur. Eadem si maritus in potestatem suam recipiat, dicuntur נכסי צאן ברזל *bona pecoris ferrei*, quia ita uti accepit illa conservare tenetur, si in potestate uxoris maneant, appellantur נכסי מלוג *bona depilationis*, quorum incrementum aut decrementum uxorem ipsam tangit. *Bona sponsæ.*

XIII.

Desponsatio. XIII. Postquam conventum erat, sequebatur *desponsatio* אירוס (conf. ארש Deut. XX. 7.) שידוך aut קידוש dicta, inter quae posteriora nonnulli id discriminis intercedere volunt, ut שידוך *desponsationem* quasi *privatam & de futuro*, קידוש *sponsalia solemniora, & de praesenti* denotet.

Desponsationis varii modi. XIV. *Desponsationis* קידוש tres modos Judaei tradunt בכסף או בשטר או בביאה וכולן בעדים *argento*, quod ad minimum debet esse valoris פרוטה (II. c. VIII. §. XXXIII.) aut *scripto* aut *concubitu, atque haec omnia praesentibus testibus*. Horum prior usitatissimus est, ultimum autem seu per concubitum, ante legem obtinuisse, sed sub lege interdictum esse, quique illum sequitur flagellationis poenam incurrere monent.

Instrumentum desponsationis. XV. Ad sponsaliorum confirmationem שטר seu *instrumentum* plerumque a Notario s. Scriba populi conscribebatur, & a partibus contrahentibus testibusque consignabatur, quo desponsatio cum assensu sponsae, summa dotis cum bonis sponsae, mutua officia &c. exprimebantur. conf. Tob. VII. 15.

XVI.

XVI. Rite desponsata virgo jam pro uxore reputatur Matth. I. 20. Luc. II. 5. nec sine libello repudii dimitti potest. Si cum alio moechata fuerit, ut adultera punitur, quique cum illa rem habet, eandem pœnam ac si cum conjugata habuisset, incurrit. *Desponsata pro uxore habetur.*

XVII. Inter desponsationem & nuptias aliquod tempus unius pluriumve mensium, pro lubitu contrahentium intercedere debet, quo labente convocata Judæorum senum æque ac juvenum multitudine prælegitur contractus matrimonialis; dies matrimonii consummationi statuitur, tum sponsus & sponsa sibi mutuo מזל טוב *fortunam faustam* precantur, juvenes autem adstantes, ollas, quas ad id manibus tenent, in terram projiciendo comminuunt, tandem omnibus discedentibus aliquis ad portam vinum dulce, nonnunquam una cum bellariis, propinat. *Tempus inter sponsalia & nuptias.*

XVIII. Licet inde ab illo tempore libere sed caste sponsam in ædibus Patris adeat, & tamen vel hodie 3 diebus ante nuptiarum solemnia neutra pars domo exit, sed ad exemplum Simsonis Jud. XV, 10, 11. juvenes sponsum visitant, cum illo edentes, bibentes, ludentes. Proximo ante nuptias die mu- *Præparatio ad nuptias.*

lieres sponsam cum ingenti strepitu in balneum ducunt, & postquam tota abluta est frigida reducunt. Mittunt quoque sibi mutuo sponsus & sponsa cingulum nuptiale, quorum quod sponsa sponso mittit argenteis, quod hic illi, aureis bullis instructum est.

Tempus nuptiarum. XIX. Non celebrant nuptias, a *die Paschatis* usque ad diem XXXIII. לספירת העומר *munerationis manipuli* (l. XII. §. XVII.) nec a XVII mensis *Tammuz* usque ad IX mensis *Ab*, nec die *festo*, excepto *Purim*, nec die *minus festo*, nonnulli id quoque primo & sexto hebdomadis illegitimum putant. Sabbatho post meridiem nuptiales epulæ quidem aguntur, sed solemnia ipsa pridie ante ejus ingressum fieri debent. Ordinario autem quondam nuptiis Virginis, dies quartus, viduæ quintus dicatus erat, nunc prioribus plerumque dies sextus destinatur. Eligunt quoque ad matrimonii consummationem præcipue lunam crescentem.

Ornatus sponsi & sponsæ. XX. Die nuptiis celebrandis destinato, Sponsus vestes Sabbathinas, sponsa nuptiales induit (Jes. XLIX. 18. LXI. 10.) tum posterior a mulieribus & virginibus inter plausus & cantilenas pectinatur, cincinni illi elegantissime dispo-

ſponuntur, pretioſa vitta capiti, & velum oculis ad exemplum Rebeccæ (Gen. XXIV. 65.) imponitur. Antiquitus etiam ſponſus æque ac ſponſa *coronas* gerere ſolebant.

XXI. *Nuptiarum ſolemnia fiunt* ſub dio in platea, aut præſentibus minimum X hominibus, & quidem plerumque a meridie, quem in finem poſtquam חפה *tegmen* aut *Conopeum* quatuor perticis fultum a totidem pueris ad locum conſtitutum eſt delatum, ſponſus primum cum viris prodiens, moxque cum mulieribus, reſonantibus inſtrumentis muſicis, ſequens ſponſa, ſub tegmen illud inter votivas circumſtantium acclamationes ברוך הבא *Benedictus qui venit!* ſe conferunt, tum ſponſa ter circa ſponſum & ſemel ab eodem circumducitur, adſtantibus illos frumento, cui aliquando argentum in uſum pauperum immixtum, conſpergentibus, clamantibusque פרו ורבו *creſcite & multiplicamini.* Mox ſponſa ad dextram ſponſi, ſecundum Pſ. XLV. 10. ſtante, ita ut utriusque facies meridiei obſerva, Rabbinus utriusque manus jungit, extremitate טלית ſ. veli (III. V. §. XXII.) ſponſi collo circumdati, caput ſponſæ operit ad exemplum Ru-

Nuptiarum ſolemnia.

thæ II. 19. coll. Ezech. XVI. 8. Postea Rabbinus aut ש״ץ *Legatus Ecclesiæ* seu ut hodie appellari solet *Præcentor*, aut quidam maxime propinquorum, cyathum vini, recitata *benedictione sponsaliorum* ברכת ארוסין consecratum sponso sponsæque bibendum porrigit, quo gustato sponsus annulum aureum, sed sine gemmis, exhibitum primum Rabbino & per illum duobus testibus, digito indici sponsæ applicat, addens הרי את מקודשת לי בטבעת זו כדת משה וישראל *Ecce tu mihi desponsata es annulo hoc secundum legem Mosis & Israelis!* Tum prælecto præsentibus aliis duobus testibus instrumento pactisque dotalibus, alium cyathum vini pronunciata ברכת נשואין *benedictione matrimoniali* s. שבע ברכות *septem benedictionibus*, sponsus & sponsa bibunt & quod in eo reliquum est vini in terram effundunt, cyathum ipsum vero sponsus in terram projectum comminuit, sicque omnibus clamantibus מזל טוב *fortuna fausta!* actus hic finitur.

Cœna nuptialis. XXII. Sub vesperam sequitur epulum nuptiale, cum proximis amicis sumptibus sponsi, celebrandum ad quod nulli Christiani invitari debent.

Post-

Postquam sponsus satis longas preces cecinit, sponsæ gallinam cum ovo apponunt, unde sponsus primum sponsæ frustulum præbet, tum omnes hospites viri ac fœminæ uncis manibus gallinam diripiunt, frustumque oblatum devorant, aut sibi mutuo inter cachinnos eripiunt, ovum autem sibi mutuo vel Christiano spectatori, si forte adsit, in faciem ingerunt. Lusu hoc finito ad veram cœnam accedunt, ubi postquam Cereri & Baccho strenue litatum est, in lætitiam effusi choreas agunt, inprimis unam quam *choream præcepti* (*Mitzva* Tanz) appellant. Sic tandem sequitur *Deductio in thalamum*, cui quondam in Judæa aderant duo שושבינין φίλοι τοῦ νυμφίου *Amici sponsi* Joh. III. 29. prope distinguendi ab υἱοῖς τοῦ νυμφῶνος Matth. IX. 15. s. בני חופה i. e. *convivis*. Continuatur festivitas nuptialis, si sponsa vidua fuerit ad minimum per *tres*, si virgo per *septem dies*, ad exemplum Jacobi Gen. XXIX. 27. & Simsonis Jud. XIV. 13. Coll. Tob. XI. 22. qui dies instar festorum habentur. Sub finem convivii quandoque hospites νεογάμοις munera mittunt.

XXIII. Primo, quod consummatas nuptias sequitur, Sabbatho, hospites nu- *Visitatio Synago-*

ge post nuptias. nuptiales νεόγαμον, fœminæ novam nuptam, in Synagogam deducunt. Ubi Sponsus ad lectionem Legis evocatus, eleemosynas pollicetur. Finitis sacris utrique ab iisdem comitibus domum reducuntur. Novum maritum autem, excepto tamen illo qui personam sibi interdictam aut semel a se repudiatam duxerat, per integrum annum non solum a militia (II. X. §. IV.) sed & ab aliis oneribus publicis Lex immunem esse jubet. Deut. XXV. 5.

Officia mariti erga uxorem. XXIV. In ipso matrimonio Uxor *decem res* a Marito exigere potest, quarum tres ex ipsa lege Exod. XXI. 10. deducunt, *alimenta*, *vestitum*, & τὴν ὀφειλομένην ἔυνοιαν 1 Cor. VII. 3. septem ex verbis scribarum addunt, sc. quod ægrotans a marito sananda, captiva redimenda, mortua sepelienda, ex opibus mariti alenda, mortuo marito domicilium illi quamdiu vidua manet, concedendum, filiæ, ex illa natæ etiam tum alendæ dones desponsantur, filiis vero præter debitam hæreditatis paternæ portionem, dos ejus matrimonialis relinquenda.

Uxoris erga maritum. XXV. Contra Uxor Marito quatuor debet, 1 ut opera manus ejus marito cedant, 2 ut præsentia ejus coram ipso sit,

sit, 3 ut omni vitæ tempore comedat fructus bonorum ejus, 4 ut illa demortua eadem hæreditario jure ante omnes aliosque consequatur.

XXVI. Per matrimonium in potestatem mariti transibat uxor, ita ut nec sine ejus consensu votum nunciparé (I. XVI. §. III.) nec ullum alicujus momenti negotium suscipere posset. Subjectionis signum erat velamen capiti impositum. 1 Cor. XI. 10. *Subjectio sub ejus potestate.*

XXVII. Hæc omnia locum habebant in matrimonio legitimo, quod si autem sponsus consummatis nuptiis τὰ παρθένια non reperiisset, rem deferebat ad Synedrium XXIII, a quo, si evinceretur post desponsationem (ut Judæi testantur) cum alio consuevisse, ad lapidationis supplicium, aut si sacerdotis filia esset, ad vivicomburium condemnabatur. Contra vero si sponsus eam falso accusasset, tenebatur illam retinere per totam vitam, & Patri, aut eo defuncto, uxori ipsi, geminam dotem scilicet C siclos dare & flagellationis pœnam subire, quæ duo ultima tamen Judæi tantum obtinuisse volunt, ubi sponsa נערה id est XII annis & uno die major, sed totidem annis & sex mensibus minor esset (III. II. §. XXIV.) eamque *Sponsa defllorata inventa.*

diserte stupri post desponsationem postulasset. Deut. XXII. 3. seqq. Testes autem falsi contra illam producti, eodem supplicio, quod ipsa si rea deprehensa meruisset, afficiebantur.

Nuptiæ cum vitiata.

XXVIII. Si quis Virginem nulli desponsatam pellexisset ad stuprum, uxorem ducere debebat, aut si filiæ, Pater eam dare, vel ut Judæi addunt, ipsemet illam ducere, aut ipsa illi nubere nollet, numerare ei debebat קנס *mulctam* L Siclorum Exod. XXII. 16. Si autem quis talem Virginem vi compressisset, tenebatur illam, siquidem Pater eam, ut Judæi monent, dare, aut compressa illi nubere vellet, non solum uxorem ducere, sed & per omnem vitam retinere, & Patri, aut eo mortuo, ex sententia magistrorum, filiæ dare קנס *mulctam* L Siclorum Deut. XXII. 28, 29. Præterea Rabbini priori injungunt solvere בושת s. pro *ignominia* & פגם s. pro *vitio*, posteriori autem præter hæc duo adhuc צער s. pro *mærore*: quorum omnium pretium fixum non erat, sed pro varia vitiatæ conditione, a judicibus determinabatur.

Jus Leviratus.

XXIX. Peculiarem apud Judæos in re matrimoniali attentionem meretur יבום jus *Leviratus*. Quo enim familiarum

liarum distinctio inque iisdem avita bona conservarentur, jussit Deus, ut si quis sine liberis decederet, frater ejus & quidem eodem Patre, ut Judæi dicunt, natus, defuncti viduam duceret, fratrique semen excitaret. Deut. XXV. 5. & Matth. XXII. 24. Qui mos æque ac plures alii, ante legem jam obtinuit. Gen. XXXVIII. 8. sed per Legem dein proprius determinatus arctioribusque limitibus circumscriptus est.

XXX. Primus qui ex hoc matrimonio nascebatur filius, non pro filio Patris sui, sed demortui reputabatur Gen. XXXVIII. 9. ejus nomine appellabatur, in bona illius succedebat, ejusdemque genus propagabat, sic ut & in tabulis genealogicis hac ratione posteritas ejus continuaretur. *Filius Leviri habetur pro filio defuncti.*

XXXI. Non licebat autem Leviro eam ducere, ut Judæi docent, nisi exacto prius trium mensium spatio, ut constaret eam gravidam non esse, tum quoque non nisi post desponsationem præsentibus duobus testibus, mediante ad minimum Pruta, aut re illi æquivalente, factam. *Nuptiæ Leviri cum glore.*

XXXII. Si elapso hoc spatio Levir illam ducere nollet, ipsa eum adducebat ad judices loci ejus, si ducere tenue- *Extractio calcei.*

ret, vidua recitata formula Deut. XXV. 7. ipſoque reſpondente *nolo eam ducere*, illi calceum dextrum ſolvebat atque exuebat, tum coram facie ejus in terram exſpuebat, addens verba Deut. XXV. 9. quo a tempore Leviri nomen appellabatur בית חלוץ הנעל *domus ejus cui calceus exutus eſt.* Deut. l. c. quemadmodum & totus hic actus Judæis nomine חליצה venit.

Circumſtantia ritus hujus. XXXIII. Ante recitatam a vidua priorem formulam, Judæi aſſerunt Judices Leviro, prout circumſtantiæ flagitabant, conſilium dediſſe, vel ad ducendum vel ad repudiandum: tum quoque calceum quendam, (qualem auriculis, ligulis fibulisque ſingulari ratione compoſitum, ut omnium pedibus applicari queat, hunc in finem etiamnum ſemper præſto habent) Leviro traditum, quem nudo pedi dextro indueret. Iidem viduam ad hanc ſolemnitatem non admittendam eſſe ſciſcunt niſi jejunam, ſputi autem quantitatem, quam inter res numerant, quibus in lege menſura nulla ſtatuta eſt, tantam ad minimum requirunt, ut in terra conſpici queat. Denique finito hoc actu Judices ter exclamaſſe חלוץ הנעל eundemque ſcripto publico, quod גט aut שטר חליצה

in-

instrumentum aut libellum exutionis calcei appellant, Fratriæ tradito, confirmari solitum, testantur.

XXXIV. Lege autem hac Leviratus & exutionis calcei solutus erat Pontifex, utpote cui non nisi Virgo ducenda erat (I. X. §. XXII.) Idem de Rege Judæi asserunt (II. III. §. XIII.) Quin & plures alios iidem recensent, qui ob varias causas, sive a parte Leviri sive viduæ, ab utraque obligatione aut alterutra, liberi erant. *Quinam ab hac Lege liberi.*

XXXV. Extracto calceo Levir ducere poterat quam vellet, & חלוצה seu a Leviro repudiata nubere cuicunque eam ambienti, præterquam quod Sacerdotibus interdicta esset (I. c. X. §. XXII.) Quod si vero antequam calceum exuisset, alium duxisset, utrique apud Judæos flagellationis pœna constituta erat, & ipsa libello divortii dimitti debebat. *Repudiata a Leviro cui nubere posset?*

XXXVI. *Divortium* aut *Repudium* גירושין Judæi ex institutione ejusdem, qui conjugii Auctor est, derivant. Et sane Moses quidem permisit illud, sed διὰ τὴν σκληροκαρδίαν ipsorum Deuter. XXIV. 1. coll. Matth. XIX. 8. *Divortium.*

XXXVII. In causis repudii Judæi ipsi non conveniunt, Schammæani enim *Causa ejus.*

enim non nisi ob inventam in uxore *rem turpem* דבר ערות i. e. *adulterium*, dimittendam statuunt, quod & Servator ipse inculcat Matth. V. 32. & XIX. 9. sed Hilleliani id levissimis de causis, permittunt, quam levitatem merito Servator reprehendit locc. citt.

Requisita. XXXVIII. Ad divortium Judæi decem res ex Lege ipsa deductas requirunt, *1 ut maritus sponte uxorem dimittat. 2 Ut id faciat mediante scripto, non alia re. 3 Ut scripti summa sit, quod expellat & removeat eam ex possessione sua. 4 Ut illa sit causa separationis inter illum & illam. 5 Ut scriptum hoc in ejus* (repudiandæ) *nomen conscriptum sit. 6 Ut post scriptionem nihil desit nisi traditio scripti. 7 Ut id actu illi tradat. 8 Ut id faciat coram testibus. 9 Idque secundum Legem repudii. 10 Ut id faciat vel maritus ipse, vel aliquis ab eo ad id delegatus.*

Libellus repudii. XXXIX. Præcipuum quod hic intervenire debebat, est *libellus repudii* ספר כריתות vel תירוכין & גט aut גט פטורין vel שלוחין aut שבוקין אגרת βιβλίον ἀποστασίου dictus v. Deut. XXIV. 1. coll. Matth. V. 31. & XIX. 7. Scribebatur is ut Judæi monent, vel per mari-

ritum ipſum vel per Scribam populi, aut alium, ad id delegatum, certa formula, duodecim lineis, omni liquore aut materia menſura, in quacunque re cui inſcribi poſſet, & a duobus teſtibus ſubſcribebatur.

XL. Iisdem Auctoribus ſi quis ſub certa conditione על תנאי uxorem repudiaſſet, conditione illa adimpleta, tantum repudiata erat, eadem autem non exſtante, divortium quoque locum non habebat. Ante conditionis impletionem autem marito integrum erat eam abolere aut mutare. Sic & certo tempore definito, quo repudium vim ſuam nanciſceretur, ante illud non cenſebatur repudiata, neque etiam ſi interea temporis maritus mortuus, aut libellus repudii, ſine mulieris culpa, perditus aut combuſtus eſſet. *Repudium conditionatum.*

XLI. Quamprimum quis uxorem repudiaverat, eam ex ædibus ſuis dimittere, nec ſolus cum ſola in eadem domo aut conclavi manere debebat, ſecus ſi feciſſet, aut per teſtes convinci poſſet, cum illa iterum conſueviſſe, habebatur ac ſi eam denuo uxorem duxiſſet, nec ſine novo libello repudii dimitti poterat. *Dimiſſio repudiatæ.*

XLII.

Cui illa nubere posset?

XLII. Repudiata cuicunque alii Viro, excepto Sacerdote (I. X. §. XXII.) vel cui alias etiam extra hunc casum illicita esset, & ut nonnulli volunt etiam Rege (I. III. §. XIII.) nubere, aut antequam id factum a priori recipi poterat, sed postquam alteri nupsisset, priori in perpetuum interdicta erat, Deut. XXIV. 2, 3, 4. ita ut si tum illam denuo duxisset, ex Judæorum sententia, vapularet, eandemque dimittere cogeretur.

An jus repudii etiam fœminis competat?

XLIII. Nonnulli apud Judæos æque ac apud Romanos non Viros tantum uxores suas, sed & has Maritos repudiare potuisse contendunt, sed Judæi solis *Maritis* hoc jus tribuunt, nec contrarium ex sacris probari potest, frustraque in primis ad Marc. X. 12. provocatur.

CAP.

CAP. II.

De Liberorum Generatione, Educatione &c.

I.

Præcipuus matrimonii finis est *procreatio Sanctæ Sobolis* Gen. I. 28. Mal. II. 15. unde fœcundus thalamus pro singulari felicitate & benedictione semper inter Judæos, & in ipsa jam Patriarchali familia reputabatur Gen. XXIX. 31. seqq. Psal. CXXVII. 4. sqq. & CXXVIII. 3. seqq. ***Fœcundus thorus.***

II. Contra *sterilitas* pro summa ignominia singularique pœna habebatur, Gen. XXX. 23. & etiamnum, licet nunc longe alia ejus quam quondam sit ratio, habetur. ***Sterilitas.***

III. Uti Judæi singulis fere negotiis peculiares angelos præficiunt, ita & מלאכא דו ממונא על עיבור ליליא *Angelum qui præfectus est conceptioni nocturnæ* memorant. ***Angelus conceptioni præfectus.***

IV.

Judæorum superstitio. IV. Tam tempore graviditatis quam puerperii, Judæi hodie *superstitioni* insigniter litant, gravidarum enim collo non solum certa *amuleta* ex pergameno, cui verba quædam Psalmi primi cum brevi oratiuncula inscripta, appendunt, sed & appropinquante partus tempore, quando cubile puerperæ adornatur, Paterfamilias vel alius sanctitate conspicuus Judæus, creta circulum per omnes parietes circumducit, tum quoque in omnibus parietibus, circa lectum & supra januam tam extrinsecus quam intrinsecus literis hebraicis scribit אדם חוא חוץ לילית *Adam, Eva, foras Lilis:* quidam etiam illos trium angelorum nomina סנוי סנסנוי סנמנגלף *Sinoi, Sansenoi, Sanmangelof* exarare testantur.

Obstetrices. V. Ad opem parturienti ferendam severe vetant Christianam *obstetricem* accersere, nisi forte Judaica haberi plane nequeat, quin nec tum Christianæ hoc negotium committunt, nisi circumstantibus pluribus suæ gentis mulieribus, ne forte infanti membrum aliquod lædat, aut ipsum in partu exstinguat.

VI.

VI. In ipsis partus doloribus ad eundem facilitandum Maritus, aut ejus loco Rabbinus, aut alius legendi peritus, ante fores cubiculi ter attente legit caput LIV Jesaiæ, ut & Psalmos XX. XXVIII. XCI. & CII, subjunctis longiusculis precibus. Si nec tum Puerpera onere suo levetur, accersunt ex Synagoga *librum Legis*, inque cubiculo collocant, cui medio singularem vim tribuunt. *Media ad partum facilitandum.*

VII. Postquam Puerpera fœtum enixa est, nonnunquam ad caput ejus in lecto nudum gladium desigunt, eumque ter per eundem ut & parietes & terram circumducunt, idque XXX diebus, semel de nocte, continuant. Per idem tempus vespera, Vicini, Conjugati & Adolescentes, ad lectum ejus preces vespertinas alta voce recitare, aliquando etiam, maxime septima nocte, strenue potando & ludendo tempus fallere consueverunt. Denique & fœtui Amuleta inscripta trium illorum Angelorum (§. IV.) nomina gerentia, appendi, tum quoque fasciæ certis vocibus inscribi solent. *Cura Puerperarum & fœtus.*

VIII. Ubi *fœtus masculus* natus, ingens exoritur gaudium, statimque Pa- *Fœtus masculus.*

ter de circumcisione cogitat, quæ eo quo (LXX.§.III.seq.) visum modo, octavo die peragitur, idque in omnibus eadem ratione, præterquam quod ordinaria benedictionis formula super spurio integra non recitetur.

Fœmineus. IX. Nata autem *filiola* non multum pompæ nec singularis apparatus cernitur, sed cum exacto mense Puerpera Synagogam adit, ץ״ש *Legatus Ecclesiæ* s. *Præcentor* recitata super filiola benedictione, ex sententia Patris illi nomen imponit: Apud Germanos autem id ab eodem, sublato poculo vini in Parentum ædibus fieri solet.

Immunditiès puerperæ. X. Ex lege mulier, nato filiolo per XL, filiola per LXXX dies *immunda* erat, & non lotione tantum, sed & sacrificiis lustrari debebat (I. c. XVIII. §. XXIX.) sed Rabbanitæ ut se a Karræis distinguant, cum maxime in utroque casu tantum XL dies s. sex septimanas observant, quibus mulier decumbere & vir omni contactu ejus abstinere debet, illis autem elapsis, postquam frigida se abluit, & vestes mundas albasque induit, ad ordinariam victus thorique communionem redit.

XI.

XI. Idem tempus observandum, si mulier ante justum tempus partu liberetur, nec non si abortum faciat, aut partum monstrosum edat. Quod si autem abortus, contingat ante diem quadragesimum, pro partu non reputatur, sed menstruæ istar se gerit. ***Partus abortivus aut monstrosus.***

XII. *Mater*, si possit, ipsa infanti *ubera præbere*, eumque in finem cibo saluberrimo uti, jejunia autem, præcipue matutina, nec non nimiam pectoris denudationem, sollicite fugere tenetur. Si ipsa hoc officio fungi nequeat, ante omnia Judaicæ nutrici non Christianæ lactandum committere debet, quemadmodum nec contra nutrici Judaicæ infantem Christianum lactare licet. ***Lactatio infantis.***

XIII. Lactationi multi duos, alii plures annos tribuunt, spatio autem hoc elapso, cum infans ablactaretur, læta quondam convivia agitare solebant. Gen. XXI. 8. ***Ablactatio.***

XIV. Si Mater infantem masculum primo partu enixa esset, impleto mense s. XXX diebus redimi debebat, V Siclis Sacerdoti dandis (I. XIII. §. XXX.) Idem etiamnum observant, quem in finem Pater die XXXI a nativitate ***Redemptio primogeniti.***

Sacerdotem cum quibusdam Amicis convocat, & cum puerulo ſimul argentum menſæ imponit, tum poſt varias quæſtiones inſtitutas Sacerdotem jubet argentum recipere, addita benedictione, dein ſolemni formula a Sacerdote ſubjuncta, læti epulantur, idque etiam ipſo jejunii die; quod ſi dies XXXI incidat in Sabbathum, in alium diem redemptio differtur. Antiquitus quoque Primogenitos Deo, ſolemni ritu in templo, ſiſti ſolitos, ex Luc. II. 22. colligunt.

Perſonæ ab hac lege liberæ.

XV. Patre autem ante hoc tempus demortuo, non tenetur mater filium redimere, ſed ſchedula aut lamina argentea collo ejus appenditur, cum inſcriptione בכור שלא נפדה *Primogenitus qui redemptus non eſt,* vel בן כוהן *filius ſacerdotis*, ipſeque adultus factus ſemet redimere debet. Sacerdotes & Levitæ, nec non harum filiæ Iſraelitis junctæ, ab hac Redemptionis lege, quondam etiam immunes erant.

Infantum cura.

XVI. Pueruli *non nudi* circumferendi aut in lectum deponendi vel inde tollendi, nec permittendum, ut ipſi ſe eo nudi conferant aut ſurgant, nec ut diſcurrant urente ſole, aut luna ſplen-

ſplendente, aut nudis pedibus. Mature quoque aſſuefaciendi ordinario gentis veſtitui, inprimis ut capite tecto incedant, & cingulum gerant.

XVII. Judæorum liberis cum lacte quaſi materno *odium* erga Chriſtianos inſtillatur, eundemque in finem omni cum horum liberis communione arcentur. ***Inſtillatio odii erga Chriſtianos.***

XVIII. Præcipua cura Patris eſt, ut filios mature ſacris, literisque eum in finem neceſſariis imbuat, unde non tantum in teneriori ætate illos, certas ſententias ſcripturæ, verbis hebraicis, ſed & ſalutationes, quibus mane & veſperi nec non Sabbathis & diebus feſtis, Parentes honorare debent, edocet, quibus tamen nomen Dei, non niſi poſt ſeptimum ætatis annum, addere licet, tum quoque nomina hebraica ſuppellectilis domeſticæ illis inculcantur, quo hebrææ linguæ adſueſcant. ***Puerulorum inſtitutio.***

XIX. Ex quo loqui valent, eosdem ſecundum conſuetudinem jam antiquitus (ut dicunt) Hieroſolymis obſervatam, pedetentim anno tertio aut quarto *literarum* cognitione imbuunt, anno quinto aut ſerius pro variis circumſtantiis in ſcholam mittunt, ***Adoleſcentum ſtudia.***

aut privatæ Rabbini vel Præceptoris cujusdam inſtitutioni tradunt. Ordinario autem anno V *Legis*, X *Miſchnæ*, XV *Gemaræ* ſtudio, illos conſecrant.

Puellæ a Legis ſtudio liberæ.

XX. *Puellæ* ad ſtudium Legis obligatæ non ſunt, nec matri permittitur illas docere, quod ſi ſponte ſua eam diſcant, aliquam ipſis apud Deum, mercedem Judæi pollicentur. Synagogas ipſas etiam, extra loca illis aſſignata, non niſi ſemel in anno, in feſto gaudii Legis (I. cap. XII. §. XL.) adeunt.

Pueri Opificium diſcere debent.

XXI. Ad officia Patris Judæi quoque referunt, ut filium doceat *opificium*, unde aliquando ſe ſuosque honeſte alere queat.

Diſciplina & honor Parentum.

XXII. Uti Deus injunxit Parentibus, Liberorum moribus diligenter attendere, inque eorum ſcelera debitis pœnis animadvertere Proverb. XIII. 24. XXIII. 13. 14. coll. 1 Sam. II. 13. ita contra liberos non ſolum peculiari lege Parentes honorare juſſit Exod. XX. 12. ſed & filium immorigerum, ubi fruſtra caſtigatus, nec non maledicentem Patri aut Matri, *lapidibus* obrui voluit. Deut. XXI. 18. ſeqq. & Lev. XX. 9. conf. (II. V. §. L.)

XXIII.

XXIII. Liberi *minorennes* קטנים in Patris erant poteſtate, nec quicquam ab illis actum, niſi ex ejus conſenſu, ratum erat. Decedente Patre, vel ex ejus determinatione, vel a Parente alio huic ſuccedente, vel a בית דין *judicio* quod Patris vicem erga pupillos ſuſtinebat, illis tutores אפיטרפין Επίτροποι conſtituebantur, a quo officio tamen Minorennes, fœminæ, ſervi, mente capti, ſurdi, & plebeji, quorum libertas dubia eſt, excludebantur. *Minorennes ſub poteſtate Patris aut Tutorum.*

XXIV. In hoc ſtatu manebant Pueri ordinario, ut Judæi monent, XIII annis & die uno, puellæ XII annis & die uno, quod ſi tum adeſſent pubertatis ſigna (qualia duplicia Judæi diſtinguunt סימן תחתון *ſignum inferius*, & סימן עליון *ſignum ſuperius*) *majorennes* גדולים & גדולות evadebant, & puellæ menſibus ſex ſequentibus נערות *juvenculæ*, dein autem בוגרות *plenæ pubertatis* appellabantur. Signis vero illis deficientibus, usque ad annos XIX & XI menſes, minorennes manebant. Si nec tunc deprehenderentur, ſed eorum loco in puero ſigna ſpadonis, in puella Viraginis ſe proderent, ille סריס *ſpado*, hæc אילונית *Majorennes.*

sterilis dicebatur, denique & his signis non exstantibus, usque dum signa pubertatis conspicerentur, vel usque ad annum XXXV & diem unum, in pubertate adhuc erant, inde autem ab illo tempore sive spadonis aut sterilis signa comparerent, sive non, puer pro *spadone*, puella pro *sterili* reputabatur. Quamprimum vero Puer pro spadone aut puella pro sterili declarabatur, majorennes erant.

Filii majorennis jura. XXV. Postquam filius Majorennis evaserat, ipsemet DCXIII Legis praecepta observare tenebatur, unde בר מצורה *Filius praecepti* dicebatur, quod Pater coram X aliis Judaeis ad id convocatis declarabat. Ab illo tempore quoque ipsemet suarum rerum Dominus erat, & quicquid agebat, ratum habebatur. Inprimis autem ab anno XX, commercium, emtionem & venditionem, locationem & conductionem &c. exercere solebat.

Soli filii Haeredes. XXVI. Inter liberos soli filii praeteritis filiabus, haereditate bonorum a Parentibus relictorum gaudebant, & hi quidem non nisi ex legitimo matrimonio nati, ex ancilla autem seu extranea suscepti, excludebantur, aut a Patre vivo donis quibusdam dimitte-

bantur

bantur Gen. XXI. 10. coll. Gal. IV. 30. Gen. XXV. 6. & Jud. IX. 2.

Filiabus tamen necessaria præbenda.

XXVII. Ne tamen *filiabus* etiam necessaria deessent, relicto satis opulento patrimonio, nondum nuptis ex bonis paternis *alimenta* præstari usque ad plenam pubertatem aut desponsationem debebant, imo rebus angustis filios potius ostiatim mendicare debere, quam filias alimentis his carere, Judæi docent. Iisdem tempore nuptiarum a fratribus ex bonis paternis פרנסה dandam sciscunt, quæ pro circumstantiarum discrimine variabat, vel ex judicii determinatione, decima bonorum pars erat.

Primogeniti jura.

XXVIII. Ut *Primogenitus Matris* singulari ratione Deo sacer erat redimique debebat supr. §. XIV. ita *Primogenitus Patris* insignibus præ reliquis filiis prærogativis gaudebat, nam & præcipua ejus in familia auctoritas (II. II. §. XI.) & potiores certo respectu ante Legem in Sacerdotio partes erant (I. X. §. II.) & in hæreditate geminam portionem accipiebat, Deut. XXI. 17. Judæi tamen Legem hanc non nisi de bonis Patris, & illis qui-

 dem

dem quæ ante mortem actu in ejus potestate fuerunt, explicandam statuunt.

Filia ἐπίκληρος. XXIX. Ubi nulli filii erant, filiæ, sive una sive plures, sine ullo primogenituræ jure hæreditatem adibant. Num. XXVII. 8. Filia hac ratione in bona Parentum succedens ἐπίκληρος dicitur, quæ non nisi cuidam ex tribu sua nubere poterat, ne avita bona a tribu abalienarentur. Numer. XXXVI. 6, 9.

De liberis quorum sexus dubius. XXX. De illis *quorum sexus dubius* est, ut טומטום & אנדרוגינוס Judæi ita statuunt, quod ubi filii soli, aut filii & filiæ supersunt, hi in patrimonio satis lauto filiabus comparantur, & alimenta accipiunt: ubi solæ filiæ, earum cohæredes fiunt. Ubi autem nec filii nec filiæ inveniuntur, hæreditas ad ipsos devolvitur.

Devolutio hæreditatis ad descendentes. XXXI. Quicquid autem alicui hæreditario jure debebatur, id & ipso demortuo, ad liberos ejus transibat, nam ut Judæi dicunt בני בנים הרי הם כבנים *Filii Filiorum ecce sunt* (reputantur) *ut filii!*

XXXII.

XXXII. Licet quis ex jure Judaico, præteritis legitimis hæredibus, alios instituere queat, non tamen id Sapientes probant, imprimis si erga liberos, etiamsi non prout decet semet gerentes, fiat, ut infra videbimus (XIII. §. XX.) *Liberi hæreditate non excludendi.*

XXXIII. Non apud alios tantum populos, sed & apud Judæos adoptio locum habebat, filiusque adoptivus eodem ut alii jure fruebatur, ita ut in bona succederet, & ex Judæorum sententia viduam quoque a nuptiis Leviri liberaret. *Adoptio.*

CAP.

CAP. III.

De Servis.

I.

Servi Hebræi vel ethnici.

Servi עבדים apud Judæos duplicis erant generis, *Hebræi* aut *gentibus* oriundi.

Hebræi duplices.

II. Hebræi natura quidem omnes liberi erant, per accidens tamen servi fieri poterant, idque vel per *ultroneam sui ipsius venditionem*, *vel per fori addictionem*, seu venditionem a judicio factam.

Vendens se ex paupertate.

III. Nemini licebat semet ipsum vendere, nisi ad summam *paupertatem* redactus esset Lev. XXV. 39. ita ut ex Judæorum sententia, nec vestis illi superesset.

Idque tantum Israelitæ.

IV. Non poterat etiam semet vendere nisi *Israelitæ*, ne quidem Proselyto Portæ, quod si tamen se illi aut ethnico vendidisset, a propinquo *redimendus* erat, eidemque servire debebat. Lev. XXX. 47.

Anni servitutis hujus.

V. Venditio hæc fiebat in tot *annos*, quot volebat & cum emptore conveniebat.

VI. Per

VI. Per addictionem fori solus *Fur* in servitutem redigebatur, qui quod furatus erat restituere non valebat, hunc enim Judicium vendebat Exod. XXII. 2. quod tamen Judæi asserunt, ad compensationem solius pretii ablati, non mulctæ dupli, quadrupli, aut quintupli factum, mulctæ autem hujus solutionem a beatiori ipsius fortuna, post exactos servitutis annos, exspectandam fuisse. *II Fur venditus a judicio.*

VII. Talis venditio etiam non fiebat nisi *Israelitæ* aut *Proselyto portæ*, idque tantum ad spatium sex annorum. *Cui & quamdiu?*

VIII. Utraque hæc servitutis species non habebat locum nisi in *Viris*, fœminæ enim ut Judæi testantur, nec semet vendere poterant, nec a judicio vendebantur, quemadmodum neque illi, servum, sive Hebræum sive ethnicum, emere licebat. Alia tamen ratione ipsæ quoque in servitutem redigi poterant: Si scilicet Pater *filiam* vendidisset. Exod. XXI. 7. *Ancilla a Patre vendita.*

IX. Addunt autem Judæi & huic venditioni varia temperamenta, nam non licebat Patri filiam vendere, nisi etiam in casu extremæ paupertatis, dum puella adhuc minorennis esset, *Cautela.*

&

& ubi ſaltem dubia ſpes nuptiarum, ſive cum emptore ipſo, ſive cum filio ejus affulgeret.

Officia Servientium. X. *Venditi* hac ratione, obſtricti erant Dominorum opus ſedulo facere, eorumque commoda, quantum pote, promovere.

Officia Dominorum erga ſervientes. XI. Omnis autem hæc *Servitus* tam Virorum quam puellarum tolerabilis admodum ſatisque honeſta erat, nam & venditio non fiebat publice, ut mancipiorum, ſed clam, & Domino non licebat eos duriter tractare, aut miniſterium vile illis imponere, ſed blande cum iis ut fratribus agere, & cibum, potum, veſtitum &c. non pejorem, quam quo ipſe utebatur, præſtare tenebatur.

Erga ſervorum uxores & liberos. XII. Imo non ipſa tantum venditorum corpora alenda erant, ſed & *Uxoribus & liberis* eorum, Victum, Amictum & Domicilium, Dominus præbere obſtrictus erat, licet illi plane non ſervirent, & opera manuum ipſorum non in Domini ſed mariti commodum cederent.

Jus dandi ancillam Cananæam ſervo. XIII. Peculiare jus erat Domini, quod ſervo poterat dare *ancillam Cananæam*, ut ex illa ſuſciperet liberos, Domino dein ſervituros. Exod. XXI. 4.

Judæi

Judæi autem id tantum de eo quem judicium vendiderat, & quidem si ante venditionem jam ipse uxorem & liberos habuisset, intelligendum esse monent.

XIV. Si Dominus *ancillam* tempore servitutis sibi aut filio despondisset, sine ulteriori Patris consensu, qui jam per venditionem consensisse reputabatur, ut & sine dote aliisque solemnibus ex servitute, in statum dignitatemque *uxoris* transibat. *Ancilla desponsata Domino aut filio.*

XV. Ordinario durabat servitus ejus qui se ipsum vendiderat, usque ad constitutos annos, illius autem qui a Judicio venditus erat, nec non ancillæ, si Dominus eam nec duxisset, nec filio dedisset, integris sex annis, septimo vero tam ille quam hæc in libertatem restituebatur. Deut. XV. 12. *Servitutis duratio.*

XVI. Septimum hunc annum nonnulli de anno Sabbathico intelligunt (I. XII. §. XLVI.) sed minus recte, cum Lex illum diserte a primo servitutis anno supputare jubeat. *Annus septimus.*

XVII. Elapsis itaque sex servitutis annis, tam servus hic quam ancilla, in *libertatem* emitti debebant, idque non vacui, sed additis muneribus Deut. XV. 14. quibus Judæi ex traditione *Dimissio servorum & ancillarum.*

tione pretium XXX ſiclorum (idem quo Servator venditus, Matth. XXVI. 19. coll. Zach. XI. 12, 13.) ſtatuunt. Uxor tamen Cananæa quam Dominus ſervo dederat, & liberi ex illa ſuſcepti, Domino relinquendi erant. Exod. XXI. 4.

Perforatio auris ſervi ultronei. XVIII. Quod ſi ſervus illos & Dominum ſuum diligens, repudiata libertate ulterius ſervire mallet, in ſignum ultroneæ perpetuæque ſervitutis ei *auris perforabatur.* Exod. XXI. 6.

Circumſtantiæ ritus hujus. XIX. Ritus hujus Judæi ſequentes circumſtantias tradunt. Poſtquam Servus mentem ſuam ante finitum ſervitutis tempus declaraſſet, Dominus illum adducebat ad conſeſſum trium judicum, reque illic expoſita, ſub finem ſexti anni, eum conſtituebat inter oſtium & poſtem ſive ſuæ ſive alterius cujuscunque ædis, & clavo per autem ejus dextram adacto, illum oſtio affigebat. Fiebat id plerumque XV menſis Adar, & quidem circa ſervos a judicio venditos, exceptis tamen qui genere Sacerdotali orti, quorum aures terebrare nefas erat, ne בעלי מומם *vitiati* evaderent.

XX.

XX. Sic denuo sponte Domino suo addictus servire debebat usque ad *Jubilæum*, quo tandem, sive vellet sive nollet, exire tenebatur. Lev. XXV. 41. (conf. l. XXI. §. LII.) *Servitus usque ad jubilæum.*

XXI. Idem *Annus Jubilæus* tam huic, quam servo qui semet ipsum vendiderat, nec non ancillæ hebrææ libertatem conciliabat, quocunque etiam tempore, licet intra constitutos servitutis annos, incideret. Eadem per alias quoque causas anticipari poterat, ut per ultroneæ *dimissionis libellum*, *redemptionem* sive per servum ipsum, aut cognatum factam & *mortem Domini*, nisi is filium hæredem relinqueret, ad alios enim hæredes, servi Ebræi aut ancillæ non transibant. Ancillæ insuper quamprimum pubertatis signa consequerentur, liberæ erant. *Plures aliæ libertatis causæ.*

XXII. Præcipua tamen servitia a *gentibus* desumebantur Lev. XXV. 44. idque vel jure *belli*, quo victi in servitutem tradebantur, vel aliis legitimis acquirendi modis in *pace* usitatis. *Servitia ethnica.*

XXIII. Hi potissimum erant, *emptio*, cum vel prior Dominus servum, vel ethnicus semet ipsum, aut liberos suos *Modi illa acquirendi.*

venderet, *permutatio* cum re alia, *donatio* aut *hæreditas*.

Traditio Dominii in ſervos.

XXIV. Tradebatur autem *Dominium* in ſervos, eodem modo ut in agros, vel בכסף numerata *pecunia*, או בשטר aut *Syngrapha* או בחזקה aut *vi*, quando nempe ex conſenſu prioris Domini novus ab illo ſervile opus de quo §. XXV. peragi curaret. Servi juniores jumenti inſtar vendebantur, & ante venditionem manibus contrectabantur.

Servi initiati Judaiſmo, aut VII præcept. Noachic.

XXV. Inaugurabantur ſervi hi Judaiſmo, ſi vellent, ut alias Proſelyti juſtitiæ, mediante circumciſione & baptiſmo (l. XXII. §. XIV.) ubi tamen cavendum, ne ſervus adultus coram Triumviris diceret ſe baptizari לשם בן חורין *in nomen liberi*, aut לשם גירות *in nomen juris proſelyti*, tum enim liber evadebat. Minorem autem Dominus poterat baptiſmo tradere pro lubitu, לשם גר *in nomen Proſelyti* לשם עבד *in nomen Servi* או לשם בן חורין *aut in nomen liberi*. Servus qui Judaiſmum recuſaret, Gentibus iterum vendendus erat, quod ſi ea conditione emptus, ut VII præcepta Noachica tantum reciperet, ea præſtito tolerabatur, ſi id quoque

que abnueret, morte mulctari debebat.

XXVI. Erant autem servi tales atque ancillæ ex gentibus, vera *mancipia*, in quæ Domino ingens potestas competebat, & quibus ad opera maxime servilia utebatur, quo præcipue pertinet, quod vasa post eum portare in balneum, calceamenta illi solvere & induere aut eadem ferre (conf. inf. V. §. XVII.) debebant &c. Ita quoque Judæis testibus, omnia quæ servus possidebat, Domini erant, qui interim servo ne victum quidem aut amictum præstare cogebatur. Iidem tamen, Veteres erga hos quoque servos lenitate usos, & eundem illis cibum, quo ipsi fruerentur, præbuisse asserunt. *Servitia hæc vera mancipia erant.*

XXVII. Ne tamen pro lubitu in eosdem sæviretur, cavit Deus, ut si Dominus baculo percuteret talem servum aut ancillam, & sub manibus ejus moreretur, Dominus vicissim morte afficeretur: si vero unum aut duos adhuc dies viveret, a supplicio liber erat. Exod. XXI. 20. 21. Quod si percutiendo corrupisset illi oculum, aut dentem excussisset, libertate eam ob causam donari debebat, ibid. v. *Cautela pro illorum incolumitate.*

 26,

26, 27. Judæi autem hoc de solis Judaismo initiatis accipiunt.

Et pudicitia. XXVIII. Ita quoque Domino non licebat servæ pudicitiam temere lædere, sed si quis bello captam violasset, eam in ædes ducere, & postquam ipsa caput totondisset, unguesque cresce-re sivisset, tum integro mense Parentes luxisset, & proselyta justitiæ facta esset, uxorem sibi sumere, aut si id nollet, liberam dimittere tenebatur, Deut. XVI. 11, 12.

Servitus hac perpetua erat. XXIX. Mancipia hæc perpetuæ servituti erant subjecta, & æque ac alia bona ad hæredes transibant Lev. XXV. 46. Nec ipsa tantum, sed & liberi illorum, eidem servituti suberant, quod tamen tum solum obtinebat, si mater quoque serva esset, si vero Israelitis ex servo filium suscepisset, is Ebræus, si libera licet ethnica, is liber erat.

Venditio eorum. XXX. Vendi quoque mancipia æque ac eorum liberi, pro lubitu aliis poterant, non tamen id Judæi licuisse testantur extra terram, etiamsi homini Israelitæ, multo minus ethnico, ubi-

ubicunque locorum, quin potius priori in casu ab emptore, posteriori autem a venditore, prævia redemptione, libertate donari debebant.

XXXI. Præter hos casus, ut & ob inflictum damnum (§. XXVI.) plures aliæ causæ erant, quibus mancipia poterant יצא בחירות *libertatem adipisci*. Harum præcipue duæ sunt, *Redemptio* mediante pretio, sive per mancipium ipsum, sive per alium Domino consentiente soluto, & ultronea *manumissio* per Dominum facta. *Redemptio aut manumissio eorum.*

XXXII. Ad manumissionem necessarius erat libellus גט שחרור cui inscriptum esset הרי את בן חורין *Ecce liber* aut *ingenuus sis!* aut הרי את של עצמך *Ecce sis tuæ potestatis!* *Manumissionis Syngrapha.*

XXXIII. Ad tales manumissos & ex illis prognatos referendi sunt משוחררים quorum in Judæorum Pandectis frequens mentio occurrit, & λιβεϱτίνοι quorum peculiaris Synagoga celebratur. Actor. VI. 9. (conf. I. IX. §. X.) *Libertini.*

XXXIV. Præter mancipia privata non *Mancipia publica.*

nonnulla etiam publica erant, a Principibus aut Regibus in usum totius populi aut templi tradita, ex quorum numero erant Nethinæi (I. XI. §. XII.) & servi Salomonis Esr. II. 58. & Nehem. VII. 60.

Discrimen servorum & liberorum.

XXXV. Uti autem servorum vilis admodum erat conditio, ita stante œconomia legali, ingens inter illos & homines liberos intercedebat discrimen, quod tamen sub diebus N. T. cum maxime est sublatum. 1 Corinth. XII. 13. Gal. III. 28. & Col. III. 11.

CAP.

CAP. IV.

De Ædibus &c.

I.

Non Patriarchæ tantum, ſed & multi Orientis populi antiquitus in *tentoriis* degere ſolebant, Hebr. XI. 9. Pſ. LXXXIII. 7. CXX. 5. quem morem Rechabitæ conſtanter retinuerunt. Jer. XXXV. 7, 10. **Tentoria.**

II. Poſtquam autem Iſraelitæ in terram Canaan ingreſſi ſunt, illic jam firmiores *ædes* invenerunt, Joſ. II. 1. 3. ipſique dein ulterius ſtruxerunt. **Ædes.**

III. Conſtabant illæ potiſſimum *ligno & lapidibus coctis*, Jeſ. IX. 9. Hab. II. 11. *calce* inter ſe conjunctis. **Materia earum.**

IV. Invaleſcente autem pedetentim luxu, pretioſiora *palatia* ex cæſo marmore trabibusque cedrinis erigi cœperunt. 1 Reg. XXII. 39. Jer. XXII. 14. Amos III. 15. **Palatia pretioſiora.**

V. Ante pleraſque ædes *atrium* ſeu area quædam quadrata, muro aut macerie cincta erat, ubi nonnunquam puteus inveniebatur. 2 Sam. XVII. 18. ſæpe quoque plures vicinæ domus unum *commune atrium* habebant. **Atrium.**

Portæ. VI. Tam atria quam ædes ipsæ *portis* instructæ erant, quæ de nocte claudi, & ligneis pessulis vel claustris obserari solebant, ad quæ aperienda ligneis quoque clavibus utebantur. Cant. V. 5. Jes. XXII. 22.

Ostiarii. VII. Ad has portas excubabant θυρωροὶ, quod munus aliquando *servis*, sæpe quoque *ancillis* dabatur. Marc. XIII. 34. Joh. X. 3. XVIII. 16. 17. Act. XII. 13.

Mesusa. VIII. Tam portæ hæ, quam januæ conclavium, schedula מזוזה *Mesusa* instrui solent, quem morem ex Deut. VI. 9. repetunt.

Descriptio ejus. IX. Est hæc Schedula quadrata membranacea, cui ab interiori parte nitide inscribuntur duæ Legis pericopæ Deut. VI. 4-9. & XI. 13-20. in dorso autem nomen שדי exaratur, dein convoluta, cannæque aut pyxidi, eo in loco ubi nomen שדי scriptum foramine instructæ, inclusa, prævia singulari benedictione, muro aut posti ad dextrum latus ingressus domus aut conclavis, infigitur. Obtinet hic mos in omnibus Judæorum ædibus, exceptis Synagogis, ut & quondam templo, ubi illud non nisi in sola porta Nicanoris locum habebat.

X. In

X. In memoriam excidii templi, statuerunt Rabbini, ædes nullis cælaturis ex calce aut gypso exornandas, sed parietes tantum ex luto erigendos, calceque dealbandos esse, tum quoque e regione portæ partem aliquam nudam sine calce relinquendam, quo in exitu & introitu perpetuo vastationis illius memoria recolatur. *Dealbatio ædium.*

XI. *Imagines* quoque, *statuas* aut *picturas* nullas in ædibus ferunt, præterquam quod in Italia quasdam, non elevatas, nec totum corpus exhibentes tolerant. *Proscriptio imaginum.*

XII. Ædes uti cum maxime, ita & quondam in varia *conclavia* divisæ erant, in quorum interioribus plerumque Pater & Mater familias cum liberis suis degere, ibidemque cubare solebant, Cant. I. 4. III. 4. Joël. II. 16. Luc. XI. 7. *Conclavia.*

XIII. Eædem constabant quoque pluribus *contignationibus*, unde *δίςεγα* & *τρίςεγα* memorantur Actor. XX. 9. In his contignationibus עליות *ὑπερῷα cœnacula* erant, ubi & cibum sumere, & orare aliisque privatis pietatis exercitiis studiisve incumbere; & nonnunquam quoque hospitibus diversorium concedere solebant, Marc. XIV. 15. *Cœnacula.*

Actor. XX. 7-11. Dan. VI. 10. 1 Reg. XVII. 19. & 2 Reg. IV. 10.

Fenestra. XIV. Conclavia inferiora, aeque ac superiora *fenestris* ad lumen recipiendum instructa erant 1 Sam. XIX. 22. Dan. I. 1. quae vel plane apertae vel clathris, cortinis aliave quadam materia obductae erant. 2 Reg. XIII, 7. Cant. II. 9.

Tecta. XV. *Tecta* ordinario erant *plana*, in quibus saepe aestate apricabantur, ambulabant, orabant, epulabantur, somnum capiebant, idque non de die tantum, sed & de nocte, 2 Sam. XI. 2. Actor. X. 9. Nonnunquam illic tabernacula struebant Nehem. VIII. 17. Aliquando ibidem non solum latibula quaerebant Jos. II. 6. sed & contra peragebant aut inde proclamabant quae palam fieri, omnibusque innotescere volebant, 2 Sam. XVI. 22. Luc. XII. 3.

Lorica tectorum. XVI. Tam multiplex tectorum usus cum esset, lorica Deus illa cingi jussit, ne quis inde decideret, quod qui neglexisset, altero ex tali casu mortuo, homicidii poenam incurrebat. Deut. XXII. 8.

Supellex. XVII. Praecipua Judaeorum maximeque necessaria supellex praeter vasa culinaria ciboque aut potui inservientia,

tia, constabat מטה aut ערש lecto, quem Judæi monent semper longitudine inter plagam meridionalem & septentrionalem esse constituendum, שלחן *mensa*, כסא *sella*, & מנורה *Lychnucho* 2 Reg. IV. 10. quæ tamen tractu temporis non solum multiplicata, sed & crescente luxu pedetentim majori sumptu splendidius parata fuit. Prov. VII. 16. Amos VI. 4.

XVIII. Plerique in ædibus quoque, ad privatum suum & familiæ usum, *balnea* habebant. 2 Sam. XI. 2. **Balnea.**

XIX. *Latrinæ* ordinario in spatio subdiali extra ædes constitutæ, aut saltem muro extrinsecus adstructæ sunt, idque semper ita, ut in illis considentes, faciem & tergum plagæ meridionali & septentrionali obvertant. **Latrinæ.**

XX. Reges & Magnates alias domus *æstivales* habebant, in quibus ab intensiori calore, alias *hyemales*, ubi a frigore securius commodiusque degerent, Jer. XXXVI. 22. coll. Amos III. 15. **Domus æstivales & Brumales.**

XXI. Ædes terræ Israeliticæ excepte urbe Hierosolyma, aliis ad tempus *elocari* a Dominis poterant. *Locationem* nonnulli a mense Nisan initium sumsisse volunt (II, VII. §. 14.) **Elocatio ædium.**

XXII.

Venditio. XXII. Vendere quoque easdem licebat, sed ita ut in Jubilaeo ad pristinum Dominum redirent (I. XXI. §. LII.) exceptis quae in urbibus Josuae tempore muro cinctis sitae, hae enim nisi intra annum redemptae essent, perpetuo dein emptori manebant.

Destructio aedium. XXIII. Domum autem destruere in terra Israelitica, locumque in hortum commutare Judaei nefas fuisse sciscunt, ne hac ratione terra devastaretur.

Horti aedibus juncti. XXIV. In aliis locis domibus saepe horti juncti erant, excepta urbe Hierosolyma. (II. I. §. XLII.) Horti autem intra muros siti, aeque ac balnea & columbaria, eodem loco ac domus reputabantur.

CAP.

CAP. V.

De Vestitu Hebræorum.

I.

Vestitus Judæis לבוש & מלבוש *Vestes* ipsæ בגדים vel שלמות aut שמלות & כלים appellantur. *Vestes.*

II. Hæ uti primum *pelliceæ* erant, ita nec earundem usum penitus inter Judæos evanuisse, ex Prophetis aliisque qui duriorem vitam agebant patet, (vid. Supr. l. II. §. VIII.) *Pelliceæ.*

III. Reges cum familia sua, aulici & Magnates nonnunquam serico utebantur, (quo referunt ἱμάτια μαλακὰ Matth. XI. 8.) vel purpura pro more Orientis amiciebantur, aut vestes auro exornatas, vel acupictas רקמות varii coloris gerebant. v. Dan. V. 7, 16. 29. Esther. VIII. 15. Prov. XXX. 22. Psal. XLV. 10, 14, 15. Idem aliquando Luxuriosiores imitabantur. Luc. XVI. 19. *Splendidiores.*

IV. Ordinaria autem vestium *materia* פשתה *linum* aut צמר *lana* erat, sed quæ simul jungere, opere quod שעטנז appellant, Legislator præterquam *Ordinariæ ex lino vel lana.*

quam in vestibus sacerdotalibus (I. X. §. XIII.) severe vetuit. Deut. XXII. 11.

Consuta aut texta. V. Non parabantur tantum ex variis panni lanei aut lini partibus, mediante acu consutis, sed & quædam aliquando integræ sine ulla sutura texebantur, quo pertinet tunica Christi ἄῤῥαφος Joh. XIX. 23. Idem in vestibus Sacerdotalibus locum habuisse volunt (I. X. §. XIII.) Præparatio autem vestium apud Veteres ordinario fœminarum aut sartorum officium erat. *conf.* Act. IX. v. 39.

Color. VI. *Color* maxime usitatus gratusque candidus (conf. Eccles. IX. 8.) ut contra niger funestus & exosus erat. Puerorum virginumque maxime nobiliorum vestimenta aliquando varii coloris fuisse, ex Gen. XXXVII. 3. & 2 Sam. XIII. 18. colligunt.

Vestium discrimen. VII. Judæi plerumque plures habebant vestes, ordinarias quibus quotidie, & præstantiores quibus Sabbatho, diebus festis aut in aliis solemnitatibus utebantur.

Vestes Virorum & Fœminarum. VIII. Aliæ quoque a *Viris*, aliæ a *fœminis* gerebantur, quæ uti ipsius sexus discrimen faciebant, ita easdem permutare, Deus non sine ratione diserte prohibuit. Deut. XXII. 5.

IX. Non

IX. Non autem vestes omni tempore omnibusque in locis semper eædem fuisse videntur, quemadmodum nec omnium in sacris diserta satis mentio occurrit. *Non semper vestes eadem.*

X. Judæi Virorum octodecim numerant, quibus ordinario usi fuerint, quasque urgente necessitate etiam in Sabbatho efferre licuerit. Sunt hæ 1. *pallium* superius, 2. *vestis* farta materia molli & lana vitis, 3. *cingulum* latum, quo vestis hæc constringitur, 4. *vestis angusta* & brevis, 5. *indusium*, 6. *cingulum* carni circumdatum, 7. *galea* in capite, 8. *tiara*, 9, 10. duo *calcei*, 11, 12. duo *tibialia*, 13, 14. duæ *chirothecæ*, 15, 16. duo *pepla* ad abstergendum 17. *velum minus*, & 18. *collare*. *XVIII. Vestes Virorum.*

XI. *Pallium* מעיל aut סרבל dictum, erat vestis latior, quatuor potissimum plagulis constans, quod supra reliquas a nobilioribus honestioribusque gerebatur, tantæque amplitudinis erat, ut facies illi aliquando, quin & integrum corpus, involvi posset. 1 Reg. XIX. 13. Dan. III. 21. *Pallium.*

XII. Vestis farta lana & materia molli, est *tunica* כתנת χιτῶν & מד dicta, manicis instructa. Hanc honoratiores ad talos usque dependentem gere- *Tunica.*

gerebant quæ στολὴ & ποδήρης dicitur, quamque fastuosiores quoque affectabant. Marc. XII. 30. Luc. XX. 46.

Cingulum. XIII. *Cingulum* Judæi duplex gerebant, alterum latius, quo tunica hæc constringebatur, alterum quod sub indusio carnem ipsam e regione umbilici ambiebat, quo, ut Judæi dicunt, cor a pudendis discernebatur, quodque gerere summæ necessitatis esse statuunt.

Vestis angusta &c. XIV. *Vestis angusta & brevis* videtur subuculæ instar, sub tunica & super indusio gestata fuisse.

Indusium. XV. *Indusium* חלוק immediate tangebat cutem, eratque ordinario ex lino, quod quidam in lecto exuere solebant. Distinguendum autem est ab illo quod sponsus & sponsa sibi mutuo mittebant, inque jejuniis gravioribus supra reliquas vestes induebant, & in quo tandem sepeliebantur, v. infr. cap. ult. §. IV.

Galea & Cidaris. XVI. *Tegumentum capitis* quoque duplex erat, כובע *galea*, figura Romanorum pileo respondens, & מצנפת aut צניף *cidaris* seu *fascia* longior, pileo huic circumvolvi solita. Hodie uti solent pileo ex panno parato & latiori margine instructo, quem Schabbas Deckel appellant.

XVII.

XVII. *Pedes* muniebantur vel nudis *soleis*, plantæ subligatis, vel *calceis* נְעָלִים pedem cingentibus, utraque corrigiis firmari solebant Marc. VI. 9. Act. XII. 8. Solutio corrigiorum & calceorum exutio, indutio aut portatio vilissimum mancipiorum ministerium erat, Matth. III. 11. Marc. I. 7. (conf. P. III. c. III. §. XXV.) *Soleæ & Calcei.*

XVIII. *Tibialibus* בתי שוקים tibiæ & femora, *chirothecis* בתי ידים manus & brachia usque ad cubitum, muniri solebant. *Tibialia & Chirothecæ.*

XIX. *Duo pepla* שני רדידים ex balteo pendere solebant, ad abstergendas nares & manus post lotionem; *velo minori* טלית קטון caput & humeri tegebantur: *collari* סודר שבצואר collum circumdabatur, duabus extremitatibus antrorsum dependentibus. *Pepla, velum minus, collare.*

XX. Præter hæc nonnulla Judæi quoque religionis causa gerunt, quo præcipue ציצית *peniculamenta* & תְּפִלִּין *phylacteria* pertinent. *Vestes sacræ.*

XXI. ציצית appellantur *τὰ κράσπεδα* *fimbriæ* seu *peniculamenta* ad quatuor angulos vestimenti, quorum singula quatuor filis hiacynthinis, nunc ordinario albis, per foramen transmissis, com- *Zizis.*

plicatis, certisque nodis instructis, constant.

Tallis geminum. XXII. Hodie Judæi illa extremitatibus vestis טלית *Tallis* annectunt. Hanc geminam habent, alteram breviorem טלית קטן *Tallis minus* dictam, duabus plagulis super humeris colligatis constantem, quam capite per mediam aperturam exserto, sub reliquis vestibus gerunt, ita ut peniculamenta quodammodo propendeant, & conspici queant: alteram טלית גדול *Tallis majus* appellatam, quæ & ipsa ex duabus partibus quadratis in medio consutis componitur. Hæc precaturi caput obvolvunt.

Phylacteria capitis. XXIII. תפילין *Phylacteria* gemina quoque sunt, של ראש *capitis* & של יד *manus*. *Phylacteria capitis* constant theca coriacea quatuor cavitatibus instructa, quibus quatuor dicta biblica Exod. XIII. 1-10. & 11-17. Deut. VI. 4-9. & XI. 13. 21. totidem schedulis membranaceis nitide inscripta, includuntur, & loro coriaceo ab utraque parte dependente.

Phylacteria manus. XXIV. *Phylacteria manus* ex theca unius cavitatis, cui eadem dicta uni schedulæ membranaceæ distincte inscripta immittuntur, & loro longiori coriaceo, componuntur.

XXV.

XXV. Priora capiti applicant, ita ut theca fronti insistat, loris in illa parte ubi caput ambiunt nodo constrictis, ceterum autem antrorsum super pectus libere dependentibus: posteriora manui sinistræ, ita ut theca brachio, ubi maxime carnosum est, incumbat, & lorum aliquoties circa brachium, manum & tres medios digitos circumductum, inde porro defluat. *Utrorumque usus.*

XXVI. Tam fimbrias quam lora *divinæ institutionis* esse satis certum est, Num. XV. 37. Deut. XXII. 12. unde & vix dubitari potest Servatorem utraque gestasse, vid. Matth. IX. 20, 21. XIV. 36. & Luc. VIII. 44. quamvis tamen & vix ambigi queat, quoad formam & alias circumstantias multa a Magistris propius determinata esse, quemadmodum & Pharisæi fimbrias solito longiores fecerunt & Phylacteria dilatarunt, quem hypocriticum fastum notat Servator Matth. XXIII. 5. *Divina horum Institutio.*

XXVII. Antiquitus videntur Judæi his ordinario in publicum prodiisse, cum maxime autem *Tallis majus* & *phylacteria*, tantum precum tempore induunt, solum *Tallis minus* semper sub vestibus gerunt quamdiu vigilant, dor- *Usus antiquus & hodiernus.*

mire enim in ullis horum omnium non licet.

Viris proprie competunt. XXVIII. Induebantur autem his proprie tantum *Viri*, fœminis tamen si velint Phylacteriorum quoque usum concedunt.

Vestitus fœminarum. XXIX. Præcipuus *fæminarum vestitus* constabat, *indusio*, *tunica laxiori*, *epomide*, *femoralibus*, *calceis* elegantioribus, *vitta*, *palla* s. *peplo*. Cant. V. 3-7. Jes. III. 22, 23, 24. Genes. XXIV. 65. Ruth. III. 15.

Monilia. XXX. Tam Viri quam fœminæ præcipue nobiliores & ditiores jam inde ab antiquissimis temporibus *monilia* aurea gerebant, quo pertinent, *torques* collo circumdata Genes. XLI. 42. Prov. I. 9. *annuli* digitorum. Exod. XXXV. 22. Jac. II. 2. & in primis Virorum *annulus signatorius* Gen. XXXVIII. 18. Fœminarum *inaures*, & *annuli narium*, *periscelides*, *compedes*, *frontalia*, *lunulæ de collo* pendentes &c. in quibus nimium luxum reprehendit Propheta, Jes. III. 18. seqq.

Habitus corporis, Caput opertum. XXXI. Ad habitum corporis quod attinet tam Viri quam Fœminæ semper *operto capite* incedebant, nec vel in salutationibus, vel precibus illud aperiebant, imo in fœminis maritatis, id

id usque adeo necessarium erat, ut nullam ipsis corporis partem nudam nullosque inprimis crines ostendere liceret aut etiamnum liceat, quem in finem velum habebant capiti impositum, quo facit, Gen. XX. 16. & ἡ ἐξουσία ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς. 1 Cor. XI. 10. Virgines tamen crines eleganter comptos, plexos, & nonnunquam per humeros dependentes gerebant v. Cant. IV. 1. VII. 5.

XXXII. Præcipuus Virorum honor in *barba* erat, quam quinque angulis instructam sollicite alebant: Hac semet mutuo exosculantes prehendebant, 2 Sam. XX. 9. Eandem alteri abradere summæ ignominiæ loco habebatur ib. X. 4, 5. Angulos tam barbæ corrumpere quam capillorum detondere lex ipsa vetuit. Lev. XIX. 29. *Barba.*

XXXIII. Vestes *in Viam sternere* pedibusque incedentis submittere, cultus subjectionisque testificatio 2 Reg. IX. 13. & Matth. XXI. 8. *novas* alteri *dare* amoris singularisque favoris signum erat. Genes. XLV. 22. Jud. XIV. 12. seqq. 2 Reg. V. 5-22. Alteri autem vestes eripere inhumanum habebatur, unde ne pignoris quidem loco Deus id viduæ fieri voluit, paupe- *Vestium substratio.*

ribus autem ante occasum solem easdem restitui jussit. Exod. XXII. 26. Deut. XXIV. 13, 17.

Earundem scissio. XXXIV. *Scissio vestimentorum* etsi variis de causis, non tamen aliis nisi tristioribus & cum vehementiori animi commotione conjunctis fiebat, unde ad luctum proprie pertinet (vid. infr. XIV. §. XXVII.)

Nudis pedibus incedere. XXXV. *Nudis pedibus* incedere, nisi id ex paupertate, aut aliis causis fieret, reverentiæ Exod. III. 5. Jos. V. 5. aut luctus quoque signum erat, quare de his aliisque luctus circumstantiis, nec non vestibus lugubribus, infra cap. ult. agetur. *Calcei traditio* proximo facta, ritus erat in assertatione & permutatione ad contractum confirmandum usitatus, Ruth. IV. 7.

CAP.

CAP. VI.

De Cibo & Potu &c.

I.

Usus cibi & potus antiquissimis temporibus maxime simplex fuit. *Cibus & potus.*

II. Ante diluvium κρεοφάγιαν illicitam fuisse, hominesque solis frugibus agri vesci solitos, ex prima cibi assignatione, carnis concessione Noacho demum facta, aliisque rationibus, plus quam probabile fit Gen. I. 29. & IX. 3. Ad potum quoque non nisi aqua & lacte usi videntur. *Ante diluvium.*

III. Præcipuus omnium ciborum לחם *panis* est, unde omnes reliqui hoc nomine sæpius comprehenduntur. 2 Sam. IX. 7-10. Hic parabatur ordinario ex *tritico*, Psal. LXXXI. 17. CXLVII. 14. & in usum tenuiorum ex *hordeo* Jud. VII. 13. 2 Reg. IV. 42. & Joh. VI. 9. nonnunquam etiam, præcipue in casibus extraordinariis, ex *fabis*, *lentibus*, *milio* & *spelta* Ezech. IV. 9. *Manna* Deus singulari miraculo in deserto eundem in finem cœlitus concessit. Exod. XVI. 4. seqq. Psalm. LXXVIII. 24. CV. 40. *Panis.*

Comminutio granorum. IV. Ad parandum panem prius grana contundebantur in *mortario*, vel in *molis* comminuebantur Num. XI. 8. *Molæ* רחים constabant gemino lapide superiori, qui רכב. ὄνος, *meta*, & inferiori qui שכב μύλη, τράπεζα, *catillus* dicitur.

Molarum varia genera. V. Erant autem molæ vel *manuariæ* s. *trusatiles* רחים של יד vel *jumentariæ* & præcipue *asinariæ* unde μύλον ὀνικὸν dictum volunt. Matth. XVIII. 6. Priores antiquiores sunt, ad quas circumagendas viliorum hominum, servorum & præcipue ancillarum opera utebantur. Jud. XVI. 21. Matth. XXIV. 41. coll. Exod. XI. 5.

Præparatio panis. VI. *Farina* dein cibrabatur, tum affusa aqua (non lacte aut butyro) depsebatur, & addito plerumque fermento in placentas aut alias figuras formabatur. Tandem sic paratus panis supra *prunis* Jes. XLIV. 19. vel (ut nonnulli volunt) inter *ignitos lapides* 1 Reg. XVI. 6. aut in *furno* coquebatur Lev. XXI. 26. Hos. VII. 4. Præparatio autem panis, ordinario opus fœminarum Lev. l. c. 1 Sam. XXVIII. 24. aliquando, præcipue in panibus festi Azymorum, virorum erat. Quin & tractu temporis *pistores* orti sunt, qui

plu-

pluribus eum in finem operam suam præbebant. Hos. IX. 4-6. Jes. XXXVII. 21.

VII. Quoties nova massa subigebatur a mulieribus vel pistoribus, pars quædam חלה *placenta* dicta, ad reliquam massam sanctificandam (Rom. XI. 6.) separanda & sacerdotibus danda erat. Num. XV. 18. Quantitas ejus non in Lege sed a magistris determinata est: in privatis ædibus pars XXIV, sed XLVIII si pistor panem præpararet. Hodie ubi sacerdotes non supersunt, placentam hanc comburunt, aliquando etiam servant, ut orto forte incendio certis insignita characteribus in ignem conjiciatur. *Separatio Challæ.*

VIII. Reliquo proventu agri fructibusque arborum ad esum aptis, pro arbitrio sive crudis, sive coctis, sive antea siccatis utebantur, illis tantum exceptis, quos Lex ad templum deferri, aut sacerdotibus atque Levitis dari, aut pauperibus distribui vel relinqui jussit. *Fructus agri.*

IX. Præcipuum autem nutrimentum, post diluvium præbuerunt *animalia*, quorum usum tamen Legislator ad sola *munda* restrinxit. Lev. XI. 2, 47, Act. X, 14. Hæc erant ex *quadrupe-* *Animalia munda & immunda.*

drupedibus, quæ *ruminabant* & *fissas ungulas* habebant Lev. XI. 3. Deut. XIV. 6. qualia Judæi *decem*, *tria* domestica, & *septem* fera numerant, ex *piscibus* qui *pinnas* & *squamas* habebant Lev. XI. 9. Deut. XIV. 9. ex *avibus* omnes, exceptis quas Legislator diserte locc. citt. v. 13. seqq. & 12. seqq. vetuit: quarum Judæi XXIV numerant, ex reptilibus autem alis instructis quatuor *locustarum* genera, cum totidem ut Judæi monent eorundem generum speciebus, Lev. l. c. com. 22. Reliqua *reptilia* omnia & super ventre incedentia esu interdicta erant. Lev. XI. 41, 42, 43.

Maxime immundum suis. X. Nullum autem animal Judæis immundius *sue* habebatur, & etiamnum habetur: ita ut, licet Lex ejus tantum esum, ut & mortui contactum vetuerit, ipsi tamen nec vivum alant, imo vix nomen ferant.

Munda dabant lac, butyrum, caseos. XI. Varium autem animalia munda, ad cibum præbebant usum: Ex quadrupedibus domesticis enim habebant, חלב *lac*, quo vel crudo vel cocto vescebantur, & unde *cremorem*, *butyrum* & *caseos* conficiebant Deut. XXXII. 14. Jud. V. 25. 1. Sam. XVII. 18. & 2 Sam. XVII. 29.

XII.

XII. Aves *ova* ביצים dabant, quibus ex omnibus mundis ſine diſcrimine uti licebat. *Aves ova.*

XIII. Carnem autem nullius animalis comedere fas erat, niſi legitime mactatum eſſet. *Mactatio* שחיטה judæis monentibus non niſi a Viro ſuæ gentis, artis hujus ſatis perito, & a Rabbino publico teſtimonio ornato, & quidem ſumma cura atque circumſpectione peragitur, ita ut poſtquam quadrupedum pedes colligati, cultro acutiſſimæ aciei ſed mucrone deſtituto, jugulum & fauces, avium vero guttur una ſectione abſcindantur, tum inſtituta בדיקה *inquiſitione*, pecudum inteſtina, & præcipue pulmones examinentur, majoribus quoque arteriæ & venæ eximantur. *Sanguinem* quem ſummo ſtudio eliciunt, cumulo cineris exceptum, eodem dein obtegunt, Lev. XVII. 13. *adipem* quoque omnem removent, quo æque ac ſanguine veſci minime licet ib. III. 17. Piſces mundi a quocunque etiam mactati, una cum ſanguine ſuo ad eſum legitimi ſunt. *Mactatio animalium.*

XIV. *Armos poſteriores* pecudum Judæi ob גיד הנשה *nervum luxationis*, non comedunt. Gen. XXXI. 32. ſed Chriſtianis vendunt, nonnulli tamen nervum *Armi poſteriores & dona ſacerdotalia.*

vum hunc eximere norunt. Antiquitus חזרוע *armus* dexter הלחיים *Maxilla* & הקיבה *venter* omnium mactatarum pecudum, ſacerdotibus dari debebant (I. X. §. XXVI.) ſed cum Lex hæc ad terram Canaan & cultum templi reſtricta eſſet, cum maxime illa ceſſet. Deut. XVIII. 3, 5.

Pecudem ſimul cum fœtu mactare nefas. XV. Non licebat Judæis pecudem ullam una cum fœtu ſuo eodem die mactare Lev. XXII. 28. nec hoedum coquere in lacte matris Exod. XXIII. 19. XXXIV. 26. nec ex avibus matrem pullis aut ovis incubantem una cum illis tollere. Deut. XXII. 6.

Præparatio carnis. XVI. Quoties Judæi carnis rite mactatæ partes, ad eſum præparare volunt, illas integra prius hora aquæ immittunt, tum ſale undique fricant & ſuper aſſere aut menſa deponunt, tandemque iterum aqua abluunt.

Vaſa. XVII. Nova *vaſa* tam præparationi, quam uſui cibi & potus inſervientia, quæ ignem ferre poſſunt, in ignem mittenda, reliqua aquæ immergenda & probe abluenda eſſe ſciſcunt.

Diſtincta ad carnes & lac. XVIII. Eadem *gemma* habere debent, altera *carni*, altera *lacti & butyro*, *caſeo* & quæcunque ex lacte parantur, ut & *piſcibus* inſervientia, neque enim hæc

hæc una cum carne coquere, aut ſimul vel brevi ante aut poſt eandem comedere fas eſſe ducunt.

XIX. *Melle* Judæi quoque haud raro veſcebantur Jud. XIV. 9. 1 Sam. XIV. 29. Præcipue autem illo & *lacte* nutriebantur *infantes* conf. Jeſ. VII. 15. *Mellis uſus.*

XX. Ad *potum* utebantur ordinario *aqua pura*, aut *vino* יין quod admodum generoſum, rubri maxime coloris, Prov. XXIII. 3. vites ſuppeditabant, aqua plerumque diluto, aut תירוש *muſto* Deut. VII. 13. Jud. IX. 13. *Potus Aqua & Vinum.*

XXI. *Vino* in ſacris ſæpius jungitur שכר Lev. X. 9. Num. VI. 3. σίκερα *ſicera*, quam vocem quidam de omni *potu inebriante*, alii de *vino novo*, alii de eo quod ex *tritico*, *melle* aut *palmis* paratur, accipiunt. *Sicera.*

XXII. Non licet Judæis ullo facile *cibo* aut *potu* a *Chriſtianis*, aut aliis *gentibus* præparato, uti, excepto butyro, quemadmodum nec eorundem vaſis culinariis, cultris &c. Inprimis Chriſtianorum *Vinum* illis interdictum eſt, quod נסך appellare conſueverunt. *Cibi & potus gentium Judæis illiciti.*

XXIII. Mane *jentaculum* ſumere Judæi ſalubre credunt. Præter illud autem gemina ut quondam utuntur cœna. *Jentaculum & cœna gemina.*

XXIV.

Tempus comedendi. XXIV. *Prandii tempus* ordinarium statuitur hora quinta seu nostra undecima, *Cœna* vespertina post occasum solem sumi solebat.

Mundities in cibis requisita. XXV. Tam in sternenda mensa quam curandis apponendisque cibis, summam præcipue *munditiem* commendant.

Lotio ante cibum &c. XXVI. Antequam quis ad mensam accedat, non ventris tantum *exonerationem*, sed & sollicitam manuum *lotionem* requirunt, v. Matth. XV. 2, 20. Marc. VII. 2. seqq. dein ut ipsi mensæ panis & sal imponatur.

Accubitus ad mensam. XXVII. Non assidebant Veteres saltem tempore Servatoris & diu ante mensæ, sed *accumbebant* in lectulis circa mensam stratis Ezech. XXIII. 41. Matth. VIII. 11. IX. 10. Luc. VII. 36. cum maxime autem Judæi morem in regionibus ubi vivunt, usitatum, ordinario sequi solent.

Benedictio panis & potus. XXVIII. Post accubitum Pater familias panem, antea jam incisum, benedictione consecrat fractumque reliquis apponit, circa vinum cerevisiam aut hydromeli, benedictio a singulis, ubi prima vice bibunt, fieri solet. Simili ratione peculiares cibos, quibus non quotidie vescuntur, imo omnia

quæ

quæ guſtant etiam extra menſam, excepta aqua, benedictione conſecrant. Ad recitandam autem rite ſuper menſa benedictionem, ad minimum tres ſimul edere debent, ceteroquin unusquisque pro ſe benedicit.

XXIX. Pane conſecrato fractoque recitatur a Patrefamilias Pſalmus XXIII omnibus hic æque ac ad alias benedictiones Amen reſpondentibus, tum reliqui cibi apponuntur. *Appoſitio & uſus reliquorum ciborum.*

XXX. In menſa Judæi requirunt *temperantiam*, *moleſtiam*, *colloquia de lege Dei* inſtituta, humanæque *vanitatis meditationem*. *Mores in menſa requiſiti.*

XXXI. Cibo ſumpto, ex eorundem ſententia, *cultri* & *ſal* ante benedictionem tollendi, *fruſtula* autem *panis* in menſa relinquenda, quæ vero ex illo inter edendum deciderunt, congerenda, ne pedibus conculcentur, tum *manus* & *os* in polubrum eluenda, tandem ſumto *poculo* כוס של ברכת המזון *benedictionis cibi* a Patre familias gratiæ agendæ. *Finis cœnæ.*

XXXII. A *conviviis* ברות & משתות Rabb. סעודות crebrioribus licet abſtinendum eſſe Judæorum Magiſtri moneant, omni tamen tempore illa non in extraordinariis tantum ſolemnitatibus *Convivia.*

bus (I. XX. §. XL. & III. I. §. XXII) sed & ad mutuam amicitiam colendam in usu fuerunt. Celebrabantur autem præcipue tempore *vespertino*.

Invitatio Convivarum. XXXIII. *Invitabantur* convivæ ad solemniores epulas sive per *ancillas*, sive per *servos*, idque bis, primum justo tempore ante, tum secunda vice postquam omnia jam rite præparata erat. Prov. IX. 1, 2. Matth. XXII. 3. sqq. & Luc. XIV. 17.

Exceptio hospitum. XXXIV. Advenientes hospites blanda *salutatione*, *osculis* aliisque amoris testificationibus, quam humanissime excipiebantur.

Mensæ singulæ & communis. XXXV. Antiquitus singulis convivis *peculiarem mensam* positam fuisse, Judæi testantur, dein ad communem omnes accumbere cœperunt.

Lotio pedum & unctio capitis. XXXVI. Accumbentium *pedes aqua* ablui, tum eorum *capita oleo* delibuta reddi solebant. Amos VI. 6. Ps. XXIII. 5. Conf. & Luc. VII. 37. &c. 44. &c. & Joh. XIII. 4. seqq. Nonnunquam iidem quoque coronas gestabant. conf. Jes. XXVIII. 1.

Consecratio cibi & potus. XXXVII. In conviviis vel Pater familias, vel alius ipso honoratior, aut viator, si adsit, cibos non solum sed & potum, pronunciatis *benedictionibus consecrare* solebat.

XXXVIII. Cuique convivarum ſua *portio* panis & cibi, quin & *poculo* ad *menſuram* dabantur. 1 Sam. I. 5. 2 Sam. VI. 19. coll. Jer. XXV. 15. & Pſ. XI. 7. *Portio conviviis data.*

XXXIX. Nonnunquam ſuper menſa præcipue apud luxurioſiores etiam *concentus muſicus* audiebatur. Amos VI. 5. *Concentus Muſicus.*

XL. Ad menſam miniſtrabant plerumque *ſervi* idque *veſtibus ſuccinctis* Luc. XII. 37. XVII. 8. quibus aliquam ſtatim de omnibus cibis particulam dandam eſſe, Judæi ſciſcunt. *Servi miniſtrantes.*

XLI. Poſtquam quies epulis data, ab eodem, a quo antea, recitabatur *benedictio*, quæ pro convivantium numero variabat. Tum quoque ſuaveolentibus lignis, vaſculo prunis repleto, injectis, *ſuffitus* adolebatur, quod Rabb. הִתְגַּמֵּר appellant. *Benedictio post menſam & ſuffimentum.*

XLII. Inter edendum meminiſſe oportet *pauperum*, unde non ſolum ordinario, ex ſtatutis Judæorum, Patrifamilias diutius reliquis ad menſam permanendum, quo illis aliquid impertiri poſſit, ſed & antiquitus jam, ſolemnioribus conviviis actis, portiones iisdem mitti ſolebant. Neh. VIII. 11. *Munificentia erga Pauperes.*

CAP. VII.

De Vita Judæorum privata mutuisque erga se invicem Charitatis officiis.

I.

Vita privata.

In *vita privata* Judæis omnibus id negotii datum, ut quisque pro conditione sua, sedulo rem suam agat, & Patres Matresque familias domui suæ rite præsint.

Excitatio domesticorum.

II. Eum in finem uti illos postremo cubitum ire, ita primum surgere, & *mulierem* quidem *Virum*, alterutrum autem *filios*, postquam בני מצוה *filii præcepti* facti, *excitare* debere sciscunt.

Tempus surgendi.

III. *Surgendum* autem ita esse dicunt, ut ipsi diem non dies ipsos excitet, imo laudabile admodum ducunt ante lucem se toro levare, (conf. Thren. II. 19. & Prov. XXXI. 15.) & cantu Psalmorum precibusque noctem cum die conjungere. In specie a XV mensis Ab usque ad festum Pentecostes, tempore antelucano, a festo autem hoc

hoc usque ad XV Ab, de die ſurgere jubent.

IV. Iidem monent ne quis *nudus* ſurgat aut in lecto ſe in pedes erigat, ſed induſio ad minimum tectus, non tarde ſed alacriter lectum relinquat, tum veſtibus decenter amictus, cubiculo בהכנעה ובכפיפת קומה *cum incurvatione & ſtatura inclinata* ob excidium Hieroſolymæ & templi, exeat, quin & pios integro tempore matutino eandem ob cauſam *lugere* & utriusque reſtitutionem calidis votis a Deo expoſcere volunt. *Cautelæ hic obſervandæ.*

V. Poſtquam *oneri naturæ* ſatisfactum, manus primum, dein os & facies probe *lavari* & *abſtergi* debent, ſubjuncta ſingularis benedictionis pronunciatione. *Mundatio matutina.*

VI. Hinc *preces* matutinæ, ante ullum guſtatum cibum aut ulla negotia, domi fundendæ, vel Synagogæ, ubi illæ habentur, eum in finem adeundæ ſunt (L. XVII. §. VIII. IX. & XX. §. XVIII.) *Preces.*

VII. Dum Viri in Synagoga ſunt, mulieribus incumbit *ædes verrere* & purgare, ut mariti redeuntes omnia munda inveniant, qui poſtquam primum nonnihil operæ legis ſtudio impenderunt, ſumto *jentaculo, negotia* ſua aggre- *Negotia Antemeridiana.*

Nn 2 diun-

diuntur, hisque peractis hora consueta (III. VI. §. XXIV.) *prandium* celebratur.

Pomeridiana. VIII. Post prandium iterum *studiis* incumbendum, *somnus* quoque hoc tempore sed brevior, necessitate flagitante conceditur, tum *negotia* iterum curantur, *preces vespertinæ* funduntur (I. XVII. §. IX. & XX. §. XX.) sumtaque *cœna cubitum* itur.

Thalamus purus. IX. *Thalamus* ante omnia debet esse purus, eaque ratione constitutus, ut caput & pedes decumbentis meridionali & septentrionali, non orientali & occidentali plagæ obvertantur.

Crebræ lotiones. X. In omnibus præterea rebus summa inter Judæos *mundities* requiritur, unde & præter *lotionem* manuum matutinam, plures alias variis occasionibus necessarias numerant, ut post ventris exonerationem, reditum ex balneo, unguium resectionem, calceorum exutionem, pedum tactum &c.

Salutatio. XI. In mutuis occursibus jam antiquitus Judæi semet vocibus שלום עליך *pax super te sit!* salutare, in discessu autem verbis לך לשלום *abi in pace* dimittere solebant Jud. XX. 20. ib. XVIII. 6. & 1 Sam. XX. 42. *Oscula* quoque hac occasione sibi figebant. Gen. XXIX. 11. XXXI. 28. 1 Reg. XIX. 20. quæ hic æque ac

ac alias præcipua tenerioris amicitiæ ſigna habebantur.

XII. Ubi *iter* longius ineundum eſt ſolent Judæi convivium סעודת פרידה *Seüdas pereda* dictum adornare, quo ſibi mutuo valedicunt, quod & antiquioribus temporibus jam in uſu fuiſſe videtur. *Peregrinantium diſceſſus.*

XIII. *Profecturus* ex quo ædibus egreſſus, intra horam illæ everri non ſolent. Ipſemet autem poſtquam ad quartam milliaris partem progreſſus eſt, facie ad urbem ſuam converſa, Dei auxilium pro felici itinere & reditu incolumi certe formula implorat, quod & in itineribus unius milliaris obſervatur. Angelorum quoque præſidium idem ſibi expetit. De telonio in via non defraudando, ut & quomodo quis in occurſu cum Chriſtianis, aut ubi in latrones inciderit, ſemet gerere debeat, multo quoque hac occaſione Judæi monent. *Ritus in itinere obſervandi.*

XIV. Solebant Veteres Judæi iter ingreſſuri *baculo, pera & calceis*, inſtructi eſſe Gen. XXXII. 10. Matth. X. 9, 10. quibus eruditi aliquando *Librum legis* addebant. Ubi autem cum familia aut mercibus proficiſcebantur, *aſinis & camelis* vehebantur. Geneſ. XXIV. 61. XLII. 26. Exod. XL. 20. *Supellex viatorum.*

XV. Sæpiſſime quoque inita cum aliis *Societates.*

peregrinantium. societate, majori agmine plures simul viam inibant, uti etiamnum in plerisque Orientis regionibus obtinet, qualem cohortem قروانی *Caravanam* appellant.

Diversoria. XVI. Nulla ejusmodi quondam inter Judæos, ut hodie in nostris regionibus habebant *diversoria*, sed pro more adhuc dum in Oriente recepto, ædificia majora hinc inde structa videntur, in quæ peregrinantes, necessaria secum portantes, divertere possent. v. Luc. II. 7.

Hospitalitas. XVII. Alias quoque hospitalitatis jura inter illos obtinebant. Imo singularis pietatis habebatur advenas quoscunque tecto excipere. Gen. XVIII. 3. Hebr. XIII. 2. A qua pietate uti antiquitus ante omnes Abrahamus, ita dein *Essæi* maxime celebrati sunt. Nullibi illa magis vigebat quam Hierosolymis in festis majoribus, imo & alias ibidem hospitalitatem, linteo extrinsecus ædibus appenso, significatam tradunt.

Officia charitatis hospitibus exhibenda. XVIII. Hospitibus atque advenis non solum tectum concedebant, sed & sæpe pedes abluebant, quin & ipsis æque ac jumentis eorum cibum & potum præbebant. Gen. XVIII. 4, 5. Jud. XIX. 20, 21.

Mutua conjunctio XIX. Quod eo minus mirum in gente, quam Deus ipse arctissimis amicitiæ le-

legibus etiam in communi vita conjungere voluit. *Israelitarum.*

XX. Huc pertinent præter communia illa officia ipsis Decalogi tabulis contenta, peculiaria præcepta quamplurima, quibus in vita communi alter alterius damnum avertere, aut commoda promovere obstrictus erat, ut de *muto non maledicendo, offendiculo cæco non ponendo*, aut eodem in *errorem non adducendo* Lev. XIX. 14. Deut. XXVII. 18. *Vidua, orphanis* aut *Peregrino injuria non afficiendis* Exod. XXII. 22. Deut. XXVII. 19. *Mercenario non defraudando*, aut *mercede ejus per noctem non retinenda* Jer. XXII. 13. Lev. XIX. 13. *perditis proximi* etiam *hostis pecudibus* ad illum *reducendis* aut sub onere *sublevandis*, Exod. XXIII. 4, 5. Deut. XXII. 1. sq. &c. *Varia officia a Deo hunc in finem præscripta.*

XXI. Eodem spectabat munus גאל *Goëlis*, cujus quædam vestigia jam ante latam Legem reperiuntur Gen. XLVIII. 16. Job. XIX. 25. Ita autem appellabatur cognatus proximus, cujus officium erat, depauperati cognati avitum peculium, aut ipsum quoque soluto pretio redimere Lev. XXV. 25, 48, 49. conf. (III. III. §. IV.) De peculiari Goëlis officio, quo proximi, ab alio occisi, sanguinem ulcisci tenebatur, unde גאל הדם *Vindex sanguinis* dicitur, supra (II. V. §. XLVI.) actum. *Munus Goëlis.*

Mutuum sine fœnore dandum &c.

XXII. Ex hoc fonte quoque manarunt præcepta de jure anni Sabbathici & Jubilæi (I. XXI. §. L. LII.) de lenitate erga servos (III. II. §. X.) de *mutuo* indigenti Israelitæ dando *sine fœnore*, quod de gentibus solis sumere licebat Deut. XV. 8. de *debito non* cum sævitia, ab eo qui solvendo non erat, *exigendo* Deut. l. c. deque *veste viduæ* in pignus *non auferenda*, aut *aliorum* etiam post occasum solem *non retinenda* Exod. XXII. 25, 26. Deut. XXIV. 17. (III. V. §. XXXIII.)

Cura pauperum.

XXIII. Imo ut eo magis illis quibus res angustior prospiceretur, Deus vetuit ne אביון *mendicus* in populo esset Deut. XV. 4. eumque in finem jussit viduis & pauperibus pro virili succurrere, quin & decimas, & reliqua in agro relinquenda dona illis assignavit (I. XV. §. XXXIV.) Quemadmodum & Ecclesia Judaica omni tempore per Synagogæ ministros pro iisdem stipem colligi curavit (I. IX. §. VIII.) & privati aliis quoque occasionibus inprimis in conviviis erga eosdem se munificos præbere solebant. (III. VI. §. XLII.)

CAP.

CAP. VIII.

De Studiis & artibus liberalibus inter Judæos excultis.

I.

Occupationes quibus Judæi incumbebant, pro ingeniorum diſcrimine variæ erant, dum quidam ſe *ſtudiis* aut *liberalibus artibus*, alii *mercaturæ*, *opificiis*, *agriculturæ*, *reive pecuariæ* tradebant, nonnulli etiam utraque non infelici connubio jungebant. *Variæ Judæorum occupationes.*

II. *Studia* omni tempore in Oriente non ſolum a præſtantiſſimis ingeniis, ſed & in maxima dignitate conſtitutis, præcipue exculta fuerunt, nec Viri tantum, ſed & Fœminæ hoc nomine inter Judæos celebrantur. *Studia.*

III. Inter omnia ſtudia præcipuum erat, quod Legi divinæ impendebatur & Deum non tantum rite colere, ſed & Rempublicam prudenter moderari docebat, de quo abunde (Part. I. IV. & V.) dictum. Præter illud autem & alia dudum in hac gente maximo opere floruiſſe, exemplum Moſis, omni ſa- *Omnis generis.*

pientia Ægyptiorum imbuti Act. VII. 22. & aliorum qui in sacris Pandectis a varii generis scientiis laudantur, ut & luculentis speciminibus ibidem occurrentibus, satis patet.

Astrologia. IV. *Astrologia* motusque corporum cœlestium contemplatio, uti inter antiquissima Orientis studia merito numeratur, & non sine fundamento ab ejus peritia Abrahamus maxime celebratur, ita in ejusdem familia illam sedulo excultam, ex Jobi & amicorum colloquiis constat, nec minus dein a Judæis perpolitam, ex sollicitis Neomeniarum observationibus, subsecutoque tandem calculo astronomico manifestum est.

Historia naturalis. V. Quantum operæ *historiæ naturali* insumptum sit, quantique in eadem facti progressus, vel solius Salomonis exemplum docet. 1 Reg. IV. 33.

Chemia & Medicina. VI. *Chemiæ* peritissimum fuisse Mosen ex combustione Vituli aurei igne facta, ejusdemque in minutissimum pulverem redactione, multi colligunt Exod. XXXII. 20. & Deut. IX. 21. *Medicam* quoque artem jam antiquitus minime neglectam esse, infr. cap. XIII. videbimus.

Historia Civilis & Ecclesiastica. VII. Quam diligenter Memoria *Rerum* in *Orbe* & *Ecclesia* gestarum, tam in familia Patriarchali quam inter Judæos

dæos conservata fuerit, ex monumentis illis, ex quibus Moses historiam priorum temporum duce Spiritu in Sacras literas retulit, nec non ex *libro bellorum Domini* Num. XXI. 14. aliisque passim citatis scriptis historicis, manifestum est.

VIII. In studio *hieroglyphico*, quo Ægyptii maxime excelluerunt, ut & *allegorico*, *parabolico* atque *ænigmatico*, quantopere Judæi se exercuerint, ex typis sacris aliisque passim occurrentibus harum doctrinarum speciminibus Jud. IX. 8. sqq. & XIV. 14. satis constat. *Studium Hieroglyphicum, allegoricum &c.*

IX. *Poësis* vix inter alios populos, tam mature tamque solide, quam inter Judæos eorumque majores exculta est, cujus præter *Psalmos* sacros tot alii Hymni atque *cantica*, imo & libri metrice scripti, certissima documenta exhibent. Universa autem Poëseos hebraicæ ratio cum maxime fere deperdita est. *Poësis.*

X. Aliarum quoque gentium *linguas* ab iisdem neglectas non fuisse, tam ex versionibus Scripturæ Sacræ, quam ex earum cognitione, quam Judæi inter requisita membrorum Synedrii M. numerant, patet. *Studium Linguarum.*

XI. Hæc & alia studia non tantum a privatis exculta, sed & Prophetæ in Scholis suis juventutem quoque iisdem imbuisse, videntur. *Studia hæc in scholis Prophet. exculta.*

XII.

Libri. XII. Et licet nulli *libri* inde ab antiquioribus temporibus, præter ſacros ad nos pervenerint, quique pro talibus venditantur, omnes ſuppoſititii ſint, plurimos tamen alios in gente Judaica conſcriptos fuiſſe atque exſtitiſſe, indubium eſt. Eccleſ. XII. 12.

Bibliothecæ. XIII. Hinc nec dubitari poteſt, ad rei literariæ incrementum, *Bibliothecas* non privatas tantum, ſed & publicas adornatas fuiſſe, cujus moris ſerioribus temporibus, in Bibliothecis, quibusdam Synagogis jungi ſolitis, veſtigia ſervata ſunt.

Muſica. XIV. Artes quoque Liberales & inter illas inprimis *Muſicam* a Jubale jam ante Diluvium inventam Gen. IV. 21. Judæi ſedulo tractarunt, eamque tam vocalem quam inſtrumentalem: quæ non ſolum magnam externi cultus partem conſtiuit (I. XIX. §. VI.) ſed & extra illum in vita communi obtinuit 1 Sam. XVI. 16. & ab ipſis Prophetis ab excitandos motus Propheticos 2 Reg. III. 15. quin & a Mulieribus & Virginibus exculta fuit. Exod. XV. 20. Jud. XI. 34.

Architectura. XV. Architecturæ peritia iidem plerosque populos ſuperarunt: imprimis poſtquam Deus ipſe ad tabernaculum & templum ſtruendum non Moſen, Davidem

dem & Salomonem tantum, ſed & præcipuos Artifices & operum directores ſingulari ſapientia imbuit.

XVI. Licet pictura ob vetitum imaginum uſum, non adeo inter Judæos, quam alias gentes viguerit, non tamen penitus neglectam fuiſſe, ex templi ornamentis æque ac cultu idololatrico Ezech. XXIII. 14. patet. *Pictura.*

CAP. IX.

De *Mercatura, navigatione & opificiis.*

I.

Cum terra Canaan tam ratione proventuum quam ſitus, ad negotiationem exercendam commodiſſima eſſet, omni tempore incolæ ejus, haud levem illi impenderunt operam, ita ut inde & ipſum nomen כנען *Canaanis, inſtitori ſ. mercatori* datum velint Job. XL. 25. Hoſ. XII. 8. Prov. XXX. 24. *Mercatura Canaanis.*

II. Ju-

Judæorum. II. Judæi quoque mature ſatis eandem urſerunt, idque non tantum inter ſe, ſed & cum aliis populis tam vicinis *Ægyptiis*, *Cuſchitis*, *Sabæis*, *Tyriis*, Jeſ. XLV. 14. Ezech. XXVII. 17. quam remotioribus.

Tam terra quam mari III. Eum in finem, non ſolum jumentis, Camelis aut Aſinis merces deferebant aut repetebant, ſed & navibus, ſub auſpiciis Salomonis & aliorum Regum, maxime diſſitas regiones ut Ophiræ & Tarſis adibant. Prov. XXXI. 14. Pſ. CVII. 23.

Naves. IV. *Naves* in ſacris, variis inſigniuntur appellationibus, tam generalioribus quam ſpecialioribus, ut אני׳ צי׳ כלי׳ שיט׳ ספינה׳ צי אדיר׳ אני שיט׳ *ναῦς, πλοῖον, πλοιάριον*, quarum aliæ majores, aliæ minores, & vel remis vel vento mediantibus velis agebantur.

Partes. V. *Partes navium* ibidem memoratæ ſunt; *πρῶρα prora* Act. XXVII. 41. *πρύμνη puppis* ibid. תרן *malus* Jeſ. XXX. 17. שוטים & משוטים *remi* Ezech. XXVII. 6, 29. נס & *Αρτέμων velum* Jeſ. XXXIII. 23. & Act. XXVII. 40. חבלים *funes* ibid. *πηδάλιον gubernaculum*

um Jac. III. 4. qualia nonnullis bina erant. Act. XXVII. 40. His denique *παράσημον insigne*, Act. XXVIII. 11. aliaque navium *ornamenta*, quæ nonnulli per שכיות החמדה Jes. II. 16. intelligunt, addi possunt.

VI. Præcipua navigantium munia & nomina sunt: רב חבל Ναυκλῆρος, ὁ εὐθύνων *seu* κυβερνήτης *Gubernator* חבלים *seu* מלחים Ναύται, שטים *Remiges*. Quorum præsidio atque opera, mercatores aliique mari iter facientes, de loco in locum transibant. v. Jon. I. 6. Act. XXVII. 11. Jac. III. 4. Apoc. XVIII. 17. Ezech. XXVII. 8, 9, 26. seqq. ***Navigantes.***

VII. Instituebatur navigatio ante inventionem acus magneticæ, legendo littora, unde longius durare solebat, v. 1 Reg. X. 22. 2 Chron. IX. 21. ***Navigatio ipsa.***

VIII. *Merces* præcipuæ, quas extra terram mittebant, erant *triticum*, *mel*, *oleum*, & *opobalsamum* Ezech. XXVII. 17. Contra a Tyriis ad illos deferebantur *pisces* Neh. XIII. 16. aliaque, & ipsi a regionibus remotioribus aurum, argentum, pavones cum varii generis lignis petebant 1 Reg. X. 22. & 2 Chron. IX. 21. ***Merces.***

IX.

Mercium permutatio & venditio. IX. Exercebatur mercatura antiquissimis temporibus mercium permutatione, successu autem temporis, æs primum grave, dein signatum, eum in finem introductum est (II. VIII. §. XXVII. seqq.)

Mercaturæ abusus. X. Uti autem Judæi rebus retro labentibus mercatura ad turpem quæstum sunt abusi, ita ut & ipse cultus sacer & templum ea profanarentur Matth. XXI. 12. Joh. II. 14. seq. (conf. I. VIII. §. XI.) sic ex quo justo Dei judicio per universum terrarum orbem dispersi sunt, illi fere soli se ita consecrarunt, ut nulli inter omnes populos institoria arte atque fraudibus magis famosi inveniantur.

Opifices. XI. Plerique autem *opificia* tractabant, inprimis postquam multi aliis negotiis occupati, non possent amplius satis commode, aut nollent, ut antiquitus, sibimet ipsis necessaria parare.

Pistores. XII. Sic cum primum singuli pro se & familia sua panem coquerent, eundemque morem multi dein quoque retinerent, non pauci tamen & publice *Pistorum* munere aliis inservire cœperunt. Hos. IX. 4, 6. (III. c. V. §. VI.)

XIII.

XIII. Quidam *Caseis* conficiendis occupati erant, Josepho Τυροποιοὶ dicti, unde vallis in urbe Hierosolyma nomen accepit. v. infr. §. XXXVII. *Casearii.*

XIV. Alii *Cauponariam* exercebant & *popinas* instruebant, in quibus cibos cum vino vendebant, qualem Rabbini קפילא λάπηλον appellant. *Caupones.*

XV. Nonnulli *Siceram*, *cerevisiam* aut alium potum inebriantem factitium parabant, qualis Rabbinis סורני appellatur. *Zythopepta.*

XVI. Non pauci *piscibus* capiendis vendendisque panem quærebant דייגים Rabb: ציידים dicti, ex quorum numero multi Apostolorum fuerunt. Utebantur autem non solum *scapha* Rabb: דוגית sed & סיר דוגה aut חכה *homo*, חרם *sagena*, & *reti* מכמרת aut מצור Jes. XIX. 8. Amos IV. 2. Hab. I. 25. & Eccles. IX. 12. *Piscatores.*

XVII. Eadem ratione & vestes tractu temporis a certis opificibus paratæ, cui rei non solum mulieres & Virgines operam dabant (conf. III. V. §. V.) sed & Viri, unde in Talmude passim חייטים *Sartores* memorantur. *Sartores.*

XVIII. Quidam *vestes* aut *aulæa acupingebant*, qualem scriptura רוקם Exod. XXXV. 35. XXXVIII. 23. & *Acupictores.*

Oo opus

opus ipsum מעשה רוקם aut רקמה Exod. XVI. 36. Ezech. XVI. 10, 13. Psf. XLV. 15. vocat.

Sutores. XIX. Alii *calceos* conficiebant: Talis Rabbinis רצען aut סנדלר dicitur, a quo opificio satis celebres Rabbini denominantur.

Σκηνοποιοὶ. XX. Nonnulli *tabernacula* sive ex *pannis* laneis aut lineis, sive ex *pellibus* parabant, Σκηνοποιοὶ dicti Act. XVIII. 3. quam artem ipse Paulus exercuit.

Fabri. XXI. *Fabrilis ars* dudum quoque inter Judæos cognita fuit. Hæc quatenus circa metalla versatur ante diluvium jam a Tubal-Caino inventa est, Gen. IV. 22. Instrumenta hujus artis præcipua sunt כור *Catinus*, מפח *follis*, *Incus* Rabb. סדן (conf. Pers. سندان) פטיש & מקבת *malleus*, מלקחים Rabb. צבת *forceps*.

Aurarii & Argentarii. XXII. צורף *Aurifaber* aut ἀργυροκόπος Act. XIX. 24. auro atque argento igne conflando, purgando, & vasis, monilibus aliisque rebus inde parandis operam impendebat Jes. XL. 19. XLI. 7. cujus ignis aliaque utensilia metaphoricis locutionibus passim ansam dederunt. Malach. III. 2, 3.

Ærarii. XXIII. Huic eo rectius junguntur *Fabri ærarii* חרשי נשחת 1 Reg. VII. 14.

χαλ-

χαλκεῦς 2 Tim. IV. 14. Rabb. טורסיים quo magis utraque ars aliquando ab iisdem tractaretur. Exod. XXXI. 4.

XXIV. *Faber ferrarius* מסגר aut חרש ברזל Rabbinis נפח dictus, ferrum ad usus sive civiles & œconomicos sive militares parabat. 1 Sam. XIII. 19, 20. 2 Reg. XXIV. 14. Jes. XLIV. 12. *Ferrarii.*

XXV. *Fabri Lignarii* חרשי עץ Jes. XLIV. 13. operibus ex ligno parandis, intenti erant, quorum præcipua instrumenta sunt, משור & מגרה *Serra*, קרדום, גרזן aut מעצד *Securis*, *malleus* de quo supr. §. XXI. & *dolabrum* Rabb. רוקני Gr. ῥυκάνη & רהיטני dictum. Horum æque ac Ferrariorum insignis inter Judæos erat numerus, quos Nebucadnezar Babelem abduxit 2 Reg. XXIV. 14. Jer. XXIV. 1. *Lignarii.*

XXVI. His proximi sunt *lapicidæ* חצבי אבן 2 Reg. XII. 13. qui ex petris terræ Canaan aut Arabiæ, columnas aliosque lapides cædebant, quales stupendæ molis nec minoris artificii, ad Magnatum palatia adhibebantur. *Lapicidæ.*

XXVII. Alii lapides *coquebant*, aut ex illis ædificia erigebant גדרים aut חרשי קיר dicti 2 Reg. XII. 12. & 1 Chron. XIV. 1. *Coctores Lapidum, Murarii.*

Figuli. XXVIII. *Figuli* יוצרים aut יוצרי חרש vel פחרים κεραμεῖς ex luto pedibus probe calcato Jes. XLI. 25. super אבנים parabant *vasa testacea* Jerem. XVIII. 3. quorum ars, nec non vasa per eosdem parata locutionibus metaphoricis sæpe occasionem præbuerunt Jes. XLV. 9. Ps. II. 9. Rom. IX. 21.

Opifices ignobiliores. XXIX. Reliquis Opificibus nonnihil contemptiores habebantur *Aromatarii, Textores, Tonsores, Fullones, Venæsectores, Balnearii* & *Coriarii*, utpote ex quibus Judæi nec Regem nec Pontificem M. constitui potuisse testantur.

Aromatarii. XXX. *Aromatarii* רכלים (quæ vox tamen & generalius de omnibus negotiatoribus usurpatur) aromata præparabant, & vendebant, eumque in finem per urbes circumibant.

Textores. XXXI. *Textores* ארגים pannos aut lintea, quin & integras vestes, texebant; Instrumenta hujus opificii in sacris memorata præcipua sunt מנור ארגים *jugum textorium* & ארג *pannus* 1 Sam. XVII. 7. Job. VII. 6. In opere ipso מעשה ארג imprimis שתי וערב *Stamen* & *subtegmen* distinguitur. Lev. XIII. 48. seqq.

Tonsores. XXXII. *Tonsores* גלבים Ezech. V. 1. Rabb. ספרים appellati barbam & capillos

pillos tondebant, unde illis תער novacula l. c. coll. Pſalm. LII. 4. & Jeſ. VII. 20. & apud Rabbinos *forfex* זוג של כפרים tribuitur.

XXXIII. *Fullones* כבסים aut מכבסים lintea aut veſtimenta purgabant, quem in finem נתר *nitro* & בורית *Borith* utebantur Jer. II. 22. quo alluditur. Mal. III. 2. *Fullones.*

XXXIV. *Venæſectores* Rabbinis גרעים aliis venam ope *ſcalpelli* quod מסמר הגרע appellant, aperiendo opem ferebant. De his decem res Judæi in Talmude memorant. *Venæſectores.*

XXXV. *Balnearii* iisdem בלנים aut בלנאי Gr. βαλανεῖς dicti, publica balnea adornabant, ubi Viris & Mulieribus ſeorſim lavatum euntibus, vel ipſi vel per miniſtros aut miniſtras inſerviebant, & בלנרי *lintea balneatoria* utrique ſexui propria præbebant. *Balnearii.*

XXXVI. *Coriarii* βυρσεῖς Act. IX. 43. Rabb. בורסין aut עבדנין pellibus macerandis, purgandis, corioque præparando operam dabant. Diſtinguunt Judæi inter בורסי גדול & בורסי קטן *Coriarium magnum & parvum*; Iidem illorum officinam בורסקי appellant. *Coriarii.*

XXXVII. Plerique Opificum videntur una habitaſſe ſive in ipſis urbibus, *Habitationes opificum.*

bus, ſive pro opificiorum conditione extra illas, unde חוץ אופים *plateæ* ſeu *vici piſtorum* in urbe Hieroſolyma Jerem. XXXVII. 21. & vallis Τυροποιῶν, apud Joſephum, extra eandem autem שדה כבס *agri fullonis*, 2 Reg. XVIII. 17. Jeſ. VII. 3. XXXVI. 2. fit mentio, & *officinas coriariorum* ad minimum L cubit. ab urbe removendas Judæi ſciſcunt: quo facit domus Simonis Coriarii ad mare. Act. X. 32.

Fora & tabernæ.

XXXVIII. *Iidem* æque ac *Mercatores* certa *fora* שוקים & *tabernas* חניות habuerunt, ubi merces ſuas venum exponerent. Hinc apud Rabbinos סדקי *forum frumentarium*, אטלין *cornarium*, דורמוס *forum magnum vendendis quæ ad victum faciunt deſtinatum*, aliaque plura paſſim memorantur. In talibus foris quoque mercenarii ſtabant exſpectantes a quibus conducerentur. Matth. XX. 3.

Occluſio tabernarum & quies ab opificio.

XXXIX. *Veſpera ſabbathi* & dierum *feſtorum* mature ſatis, dato eum in finem tuba ſigno, *tabernæ claudi* debebant (I. XX. §. XXIV.) nec opificibus pridie diei feſti laborare permittebatur, præterquam in Judæa, ubi id ad mediam noctem usque ſartoribus, tonſoribus & fullonibus conceſſum.

CAP.

CAP. X.

De Cultura agrorum, horto-rum &c.

I.

Primæ mortalium inde a mundo condito occupationes in *colendo agro* & *paſcendis pecudibus* conſiſtebant. Gen. III. 23. & IV. 2. *Agriculturæ Antiquitas.*

II. *Agricultura* עבדת אדמה מלאכת השדה & Rabbin. פלחנות ארעא dicta, poſt lapſum per maledictionem terræ incumbentem, moleſtiſſima quidem reddita eſt Gen. III. 17. in Canaane tamen, ob fertile ſoli ingenium, facilius quam in multis aliis regionibus exercebatur. *Ejusdem conditio.*

III. Ad dignoſcenda ſingulornm peculia, agri *limitibus*, ſeu *lapidibus* terminalibus diſtincti erant, quos dimovere Lex ſub maledictionis fulmine vetat. Deut. XIX. 14. XVII. 17. *Limites agrorum.*

IV. Alia ratione dividebantur in *partes* Hebr. חלקות & חלקות השדה dictas 2 Sam. XIV, 13, 31. & XXIII. 11. Secundum menſuram diſtribuebantur *Eorum diviſio.*

quoque in *jugera*, quale מענה & צמד 1 Sam. XIV. 14. dictum volunt.

Discrimen. V. Judæi distinguunt *agrum* in שדה לבן *patentem* & שדה אילן *arboribus consitum*.

Agrorum præparatio. VI. Uti *agri pascui* minorem, ita *arva* majorem culturam requirebant. Huc pertinet *eruderatio* Jes. V. 2. *purgatio* a spinis & vepribus sive per *evulsionem* sive per *combustionem* Jer. IV. 3. Hos. X. 12. & *stercoratio* Rabb. זבול dicta. Præparatus hac ratione, præcipue novus ager, ניר *novale* dicitur.

Aratio. VII. Præcipua præparationis pars consistebat in *aratione* חרישה quæ in Canaane æque ac pleroque Oriente ordinario *bobus* 1 Reg. XIX. 19. Job. I. 14. Amos VI. 12, nonnunquam & asinis peragebatur Jes. XXX. 24. & XXXII. 20. utrosque una jungere lex vetat. Deut. XXII, 10.

Aratrum. VIII. Præcipuæ *aratri* partes, sive in Sacris sive apud Rabbinos memoratæ, sunt עבות *temo* בורך *Buris* מחרשת *vomer* 1 Sam. XIII. 20. חרב *Gladius* & יצול *Stiva*.

Occatio & terræ complanatio. IX. Post arationem nonnunquam glebæ *occando* שדד comminuebantur & superficies terræ *æquabatur* Jes. XXVIII. 24, 25. Hos. X. 11.

X. His

X. His peractis sequebatur *sementis* זריעה qua semen in agrum projiciebatur, & terræ committebatur, quod pro variis circumstantiis aut ferendorum discrimine, vocibus הפיץ, שום זרק, aut משך זרע, Jes. XXVIII. 25. Amos IX. 13. Ps. CXXVI. 6. indigitatur. Sparsum semen *occando* aut *lirando* terra obtegi solebat. *Sementis.*

XI. *Semina* זרעונים dicta, Judæi ad tres species referunt. Sunt hæ תבואה *frumentum* cujus quinque numerantur genera, *triticum*, *spelta*, *hordeum &c.* קטנות *legumina*, ut *fabæ*, *lentes &c.* & זרעוני גינה *semina hortensia*, quæ ultima ad duas iterum classes rediguntur, מיני זרעים quibus integri agri conserebantur, ut *linum* & *sinapi*, & מיני ירקות quæ areolatim in hortis colebantur, ut *rapæ*, *cepæ &c.* *Semina.*

XII. Probe autem observandum, ne diversa semina eodem in loco simul sererentur. Lev. XIX. 19. Secus qui faciebat flagellationis pœnam, ex sententia Judæorum incurrebat. Hunc in finem facta primo mensis Adar proclamatione, unumquemque in agrum exiisse, & nata forte heterogenea evulsisse, quinto decimo vero Magistratus per emissos legatos inquiri curasse vo- *Heterogenea non una serenda.*

 lunt,

lunt. Iidem tamen legem hanc varie limitant.

Tempus sementis. XIII. *Tempus sementis* Lev. XXVI. 5. erat a dimidio Tisri usque ad dimidium kisleu (II. VII. §. XVI.)

Rigatio agri. XIV. Ad incrementum satorum nihil magis necessarium erat, quam *pluvia* מטר justo tempore & mensura. Hanc scriptura geminam facit יורה *primam* & מלקוש *serotinam* Deut. XI. 14. Jer. V. 24. Illa ordinario mense Marchesvan cadebat, si si deficeret, precibus & jejuniis a Deo flagitabatur (I. XII. §. LIII.) hæc mense Abib, Joël. II. 23. Sæpe quoque agri siticulosi hominum opera rigabantur.

Sarritio. XV. Peracta sementi, crescentibus satis, sequens cura erat *sarritionis*, qua Zizaniæ frugibus permixtæ extrahebantur, Matth. XIII. 28. seqq.

Messis. XVI. Frugibus ad maturitatem perductis ἔρχεται ὁ θερισμὸς *venit messis* Joh. IV. 35. quæ in Canaane a dimidio Nisan ad dimidium Sivan protendebatur, & ab hordeo initium sumens in tritico desinebat.

Quomodo peracta. XVII. Demessio graminis & nonnullarum frugum fiebat falce הרמש Rabb. מגל aut קציר מגל δρεπάνῳ, aliæ *cultris* lunatis resecabantur, quæ-

dam

dam ut imprimis legumina evellebantur.

XVIII. Ut gramen demessum solique expositum quo exsiccaretur, tandem in cumulos congerebatur, ita frumentum in manipulos colligabatur inque acervos componebatur, donec ad trituram aptum esset Gen. XXXVII. 7. Ps. CXXIX. 7. Job. V. 26. *Congestio demessi.*

XIX. *Tritura* peragebatur in *area* גרן quæ plerumque in agro erat, idque ita ut spicis ordine dispositis vel boum superinductorum pedibus, vel mediante *tribula dentata* חרוץ aut מורג חרוץ super iisdem circumacta, vel rotis *plaustri*, quod *Plostellum Phœnicum* appellant, grana exterererentur. Deut. XXV. 4. Jes. XXI. 10. Jer. LI. 33. 2 Sam. XXIV. 22. Jes. XLI. 15. & ibid. XXVIII. 27. Legumina & alia semina debiliora *baculo* aut *virga* excutiebantur, vid. Jes. loc. ult. Idem in frumento nonnunquam locum habuisse nonnulli ex Jud. VI. 11. & Ruth. II. 17. colligunt. *Tritura.*

XX. Absoluta trituratione ope *ventilabri* excussa grana a palea separabantur Matth. III. 15. quod in sacro codice זרה Jer. IV. 11. Ezech. V. 10. Rabbinis מרה audit. *Ventilatio.*

XXI.

Illatio in horrea. XXI. Tandem politæ fruges domum devehebantur, & in אסמים aut מאבוסים τὰ ταμεῖα aut τὰς ἀποθήκας recondebantur. Deut. XXVIII. 8. Matth. III. 12. & XIII. 30.

Horti. XXII. Præter fruges in agris quoque arbores plantabantur, cum autem illis præcipue horti destinati essent, quin & in iisdem nonnullæ quoque fruges colerentur, paucis quoque horti. Hebræorum nobis lustrandi erunt.

Horti. XXIII. *Hortus* Hebr. גן Gr. κῆπος generalioribus vocibus appellatur omnis locus, in quo sata aut plantata majori cura coluntur quam in agro.

Aperti l. Clausi. XXIV. Erant hi antiquitus vel *aperti*, vel *macerie* ad fures & vim externam arcendam cincti.

Hortulani. XXV. Colebantur autem vel ab ipsis *Dominis*, quales Judæi גנאים appellant, vel ab aliis, quibus pro certa redituum parte committebantur aut elocabantur, quales אריסים opusque illorum אריסות vocant. v. Cant. VIII. 11. 12. Matth. XXI. 33. Nonnunquam & ad opera diurna quidam mercede conducebantur, Matth. XX. 1. seqq.

Fontes hortorum. XXVI. Nihil in hortis gratius aut ad fertilitatem promovendam aptius

vivo

vivo fonte, unde aqua non solum simul ad plures, sed & singulorum partes ductis canalibus derivabatur, Cant. IV. 15. Jes. LVIII. 11. Jer. XXXI. 12. defe-ctus autem fontium puteis crebrisque fossis compensabatur.

XXVII. Divisi erant horti in *areolas* ערגות Ezech. XVII. 7. ut eo majori ordine atque elegantia singula illic coli possent. *Areolæ.*

XXVIII. Colebantur in hortis *plantæ* varii generis, *flores*, *olera* cum *aromatibus* aliisque seminibus (conf. supr. §. XI.) aut *arbores*, idque vel simul, observata tamen Lege de כלאים heterogeneis non una serendis, Lev. XIX. 19. vel singula seorsim. *Res in hortis cultæ.*

XXIX. Nec ad usum tantum, sed & oblectationem illos habebant. Præcipue Reges & Magnates in his magnificentiam suam ostendebant. Talium hortorum, qui floribus præcipue & leguminibus nutriendis destinatus est Rabb. בוסתנא (conf. Arab. بستان) qui arboribus פרדס Eccles. II. 5. (Arab. & Pers. فردوس) dicitur. *Horti Magnatum.*

XXX. Nonnulli horti, a quibusdam florum aut leguminum speciebus illic præcipue excultis, peculiares accipiebant appellationes, unde apud Judæos *Horti florum & Leguminum.*

גנות

גנות ורדים *horti rosarum* memorantur, & apud Jesaiam I. 8. מקשה *cucumerarii* mentio fit.

Arboreta. XXXI. Nullibi autem id magis locum habebat quam in *arboribus*. Hæ enim tam infrugiferæ quam frugiferæ, æque ac *frutices* sive ad ornatum sive ad usum non in agris tantum aut sylvis, sed & hortis, vel mixtim vel secundum species suas colebantur, quarum præcipuæ in sacris memoratæ sunt תפוח *Malus*, *Citria* quam Judæi אתתוג vocant, & per עץ הדר Levit. XXIII. 40. indigitari volunt, רמון *malus punica*, תמר *Palma*, תאנה *Ficus*, זית *Olea*, גפן *vitis*, בשמים *Balsami frutices*, אגוזים *Nuces*.

Arborum plantatio. XXXII. *Plantabantur* arbores apto *ordine* sive *æquali serie* sive *alternatim*, ita ut inter illas certa ambulacra relinquerentur, & ad easdem omni ex parte commode appropinquari posset.

Propagatio. XXXIII. *Propagabantur* autem non tantum ex nucleis aut stolonibus sed & insitione aut ablactatione ulterius perficiebantur. Rom. XI. 17, 19. Ubi tamen ex lege de כלאים nec diversas arborum species inter se, nec olus arbori aut arbori olus jungere fas erat.

XXXIV.

XXXIV. Fertilitatem arborum promovebant, illas *stercorando*, terram *fodiendo*, *evellendo* surculos, ramos inutiles *resecando*, nonnunquam & *folia avellendo*, *cineres adspergendo*, *fumigando &c.* conf. Luc. XIII. 8. Joh. XV. 2. *Promotio fertilitatis.*

XXXV. Infrugiferas aut fructus excutientes, ut Judæi testantur, *colore rubro notabant* & *lapidibus obruebant*, tandem autem remediis nil proficientibus *succidebant* igne comburendas, Matth. III. 10. VII. 19. *Infrugiferæ arbores.*

XXXVI. Appropinquante pedetentim maturitatis tempore, *custodes* constituebantur, qui in *turribus*, *tuguriolis* aut *casis* fructibus invigilarent Jes. I. 8. & V. 1. Postquam autem maturitatem attigerant, non sine insigni lætitia & solemnitate *collectio* & *vindemia* instituebatur. *Custodia & Collectio fructuum.*

XXXVII. In hortis & vineis, non solum *ædes* ad commorationem aut oblectationem habebant, sed & *torcularia* ubi *oleum* exprimebatur, & uvis inter lætos plausus calcatis *vinum* parabatur. Joel. II. 24. coll. Job. XXIX. 6. & Matth. XXVI. 36. Jerem. XXV. 30. XLVIII. 33. *Ædes & torcularia.*

XXXVIII. Eodem tempore a colonis fructus Dominis persolvebantur *Præputium arbor. &c.*

Matth.

Matth. XXII. 34. De *præputio* in quo arbores tribus prioribus annis relinquendæ, & de jure plantæ quarti anni, ut & de primitiis, primitivis & decimis, tam ex frugibus agri quam fructibus arborum persolvendis, nec non de donis, pauperibus in agro relinquendis, ex professo supr. P. I. Cap. XV. actum est.

CAP. XI.

De Re Pecuaria.

I.

Res pecuaria. Res *pecuaria*, quam ab Abele jam cœptam, Jabal porro excoluit Gen. IV. 2. & 20. omni tempore inter Judæorum majores & deinceps in hac gente, præcipue ob uberrimam terræ a Deo concessæ conditionem, maxime viguit Gen. XLVI. 32, 34. Num. XXXII. 1, 4.

Pastores. II. Hanc non de plebe tantum homines, sed & honoratiores ipsique principes aliquando tractabant, a vita pastoritia רעים dicti, quod nomen ad ipsos quoque Reges & Principes imprimis ob curam illorum qui ipsis suberant, transiit. Jes. XLIV. 28.

III.

III. Verſabatur autem tam circa *majores* quam *minores pecudes*, quas Palæſtina omnis generis producebat, in quarum poſſeſſione præcipua divitiarum pars quondam conſiſtebat. Gen. XIII. 2. 2 Sam. XI. 2. ***Pecora varii generis.***

IV. *Majores* erant potiſſimum שורים & בקרים *Boves*, גמלים *Cameli*, חמורים & אתונות *Aſini*, פרדים *Muli*, סוסים *Equi*: *Minores* צאן vel שה *Oves* & צביים *Capræ*. ***Majora & Minora.***

V. *Boum* integra alebant *armenta* עדרי בקר non ſolum ut lacte & carne veſcerentur (III. VI. §. XI. XIII.) ſed & ut iisdem tam ad *agriculturam* (III. X. §. VII. & XIX.) quam ad *rem vehicularum* uterentur, Num. VIII. 3. ſeqq. & 2 Sam. VI. 6. ***Boves.***

VI. *Cameli portandis oneribus* aut *hominibus*, præcipue in longioribus itineribus inſerviebant. Gen. XXIV. 16. XXXI. 17. Jeſ. XXX. 6. Horum *juniores* בכרים Jeſ. LX. 6. & Jer. II. 23. *celeriores* כרכרות *Dromedarii* dicti, Jeſ. LXVI. 20. ***Cameli.***

VII. *Aſinis* quoque tam ad *agriculturam* (III. X. §. VII) quam ad *ferendas ſarcinas* utebantur Gen. XLII. 26. Nehem. XIII. 15. imprimis autem iisdem *vehi* non ſolum ignobiliores, ſed & honeſtio- ***Aſini.***

res ipsique Principes solebant, Numer. XXII. 21, 22. Jud. V. 10. 2 Sam. XVI. 2. coll. Zach. IX. 9.

Muli. VIII. Hunc in finem quoque *Mulos* (quos ab Ana inventos multi ex Gen. XXXVI. 24. statuunt) utriusque sexus præcipue alebant, quibus & ipsi Reges utebantur. 2 Sam. XXIII. 29. 1 Reg. I. 33, 38.

Equi. IX. Horum autem & asinorum eo frequentior, quo rarior *Equorum* erat usus, quorum non adeo terra Canaan quam vicinæ regiones, & præcipue Ægyptus ferax erat, Deut. XVII. 10. Jes. XXXI. 1. quibusque in bello maxime utebantur (II. X. §. X.)

Equitatio. X. Uti omnibus his animalibus ad inequitandum *ephippium* מרכב vel ad ferenda onera *clitellas* כר Rabb. עכיטא Gen. XXXI. 34. & Lev. XV. 9. insternere, ita eadem *freno* מתג aut *capistro* רסן regere & *virgis* impellere solebant, Ps. XXXII. 8. Prov. XXVI. 3.

Oves & Capræ. XI. Minorum pecudum *caprarum oviumque greges* tam lactis quam lanæ, vellerum, carnisque causa nutriebant.

Loca pascua. XII. Armenta boum & asinorum cum gregibus minorum pecudum in *solitudines* aliaque loca pascua emittebantur, ex quibus præcipue celebrantur

tur *Basan*, *Gilead*, *Carmel* & *Saron* Gen. XXXVI. 24. Deut. XXXII. 14. 1 Sam. XVII. 15, 28. 1 Chron. XXVII. 29. Mich. VII. 14.

XIII. *Eductio* fiebat, ut Judæi monent, circa festum Paschatis, manebant autem illic per totam æstatem usque ad pluviam primam, quæ in XVII mensis Marchesvan incidebat. *Tempus educendi pecoris.*

XIV. His aderant *Pastores*, qui vel ipsi *Domini*, vel alii *μισθωτοὶ mercenarii* Joh. X. 12. erant. Inter eosdem varii dabantur ordines, præcipuus שר מקנה Genes. XLVII. 6. & אביר הרועים 1 Sam. XXI. 7. Gr. *ἀρχιποίμην* 1 Petr. V. 4. infimus Rabbinis כרזיל appellabatur. *Pastorum varii ordines.*

XV. Pastores in *tuguriis* משכנות & אהלי רועים Cant. I. 8. Jes. XXXVIII. 12. degentes. *virga* שבט *pedo* מקל (bubulci *stimulo* מלמר, cui דרבן *κέντρον* infixum) tum quoque *pera*, nonnunquam & *funda* atque *lapidibus* armati erant, non solum ad pecudes ducendas & aberrantes revocandas, sed & contra fures ferasque defendendas, Lev. XXVII. 32. Jud. III. 31. 1 Sam. XIII. 21. coll. Actor. IX. 5. 1 Sam. XVII. 40. *Tuguria & instrumenta Pastorum.*

Cura pecoris. XVI. Iidem non de die tantum earum sollicitam curam gerebant, primo mane eas usque ad vesperam pastum, bis vero de die aquatum, tum ipso meridie ad quietem sub umbra capiendam ducentes, sed & postquam sub occasum solis in גדרות *septa* coactæ, de nocte excubias agebant. Gen. XXIX. 7. XXXI. 40. Ps. XXIII. 1, 2. Cant. I. 7. Luc. II. 8. idque eo magis quo magis in certis circumstantiis, ad restitutionem furto ablati aut discerpti tenerentur. Exod. XXII. 10. seqq. conf. Gen. XXXI. 39.

Tonsura pecudum. XVII. Ad lanam a pecudibus minoribus accipiendam tondebantur illæ a גוזים, quibus hac occasione lautum convivium parari solebat 1 Sam. XXV. 11, 36. Tonsæ autem probe lavabantur. Cant. IV. 2. & VI. 6.

Reductio tempore hyberno. XVIII. Tempore primæ pluviæ armente & greges domum reducebantur inque *stabulis* & *caulis* 2 Chron. XXXII. 20. per hyemem alebantur.

Venditio & Jugulatio pecudum. XIX. De *primogenitis* animalium Deo offerendis ut & *decimis* ex bobus ovibus & capris supr. I. XIII. §. XXX. & XXXII. actum: ante decimationem autem nulla animalia *vendi* aut *jugulari* solebant, licet id lege interdictum non esset.

XX.

XX. A *porcis* etsi summopere abhorrebant Judæi (III. VI. §. X.) integri tamen eorum greges in ipsa terra Canaan, sequioribus temporibus a gentibus alebantur. Matth. VIII. 30. Marc. V. 11. *Porci.*

XXI. *Canes* nutriebant quidem Judæi, verum non in ædibus: unde per plateas & imprimis de nocte horrendo ululatu extra loca habitata vagabantur. Ps. LIX. 7, 16. Eorundem ad custodiam gregum adhibitorum mentio fit. Job. XXX. 1. *Canes.*

XXII. *Volatilia* quoque varii generis & præcipue תרנגולין *gallos gallinasque* & יונים *columbas* alebant. *Volatilia.*

XXIII. Et Priores quidem ubicunque locorum, excepta tamen urbe Hierosolyma (II. I. §. XLII.) cui non obstat galli cantus ibidem auditus. Matth. XXVI. 34, 74. *Galli.*

XXIV. *Columbas* habebant in *columbariis* שובכין aut שובכות, quæ Judæi L passibus extra urbes removent. Has, pro more etiamnum in Oriente usitato, videntur & inter Judæos quidem assuefecisse, ut literas de loco in locum transferrent. *Columbæ.*

XXV. *Apes* דבורים quoque tam *mellis* quam ceræ causa fovebant in *Apes.*

alveariis, quale Rabb. חלתא & כוורת dicitur.

Nutritio animalium. XXVI. Iidem uti expedire credunt domi animalia nutrire, ita eorundem sedulam curam gerendam & inprimis antequam ipsi ad mensam accedant, cibaria illis præbenda esse sciscunt. De mactatione tam pecudum quam avium, ut & de utrorumque ad cibum usu, supra III. VI. & VIII. seqq. actum.

Conjunctio animal. heterog. interdicta. XXVII. Animalia heterogenea conjungere, ad fœtum producendum Lex severe vetuit Lev. XIX. 19. quod Judæi non de quadrupedibus tantum sed & avibus interpretantur.

CAP.

CAP. XII.

De Festivitatibus, ludis & exercitiis Judæorum.

I.

Tam dies festi cultui sacro dicati, quam alii in vita communi, quibus se hilares dare cum amicis volebant, aut qui certis prærogativis insignes erant, ut *nuptiales* (III. I. §. XIX. seqq.) *circumcisionis* & *ablactationis* liberorum (I. XXII. §. XI. & III. II. §. XIII. *geniales*, aut *inaugurationis* Regum, non ab ipsis solum, sed & eorum asseclis observati, Matth. XIV. 6. conf. Gen. XL. 20. solebant Judæis singulari festivitate transigi. *Dies festivi.*

II. Hunc in finem non tantum *convivia*, sed & omnis generis lætitiæ testificationes, *saltationes*, *concentus musici ludique* celebrabantur. Exod. XXXII. 6. *Lætitiæ testificatio.*

III. *Saltationes* vel ab ipsis festivantibus, inprimis Virginibus, vel aliis ad id conductis, ut spectatorum oculos oblectarent, & quidem sive *singulis* *Saltationes & Choreæ.*

ſive integris *choris*, peragebantur. Jud. XXI. 21. Matth. XIV. 6. Nonnunquam Viri inter ſaltandum accenſas faces projiciebant & recipiebant.

Muſica. IV. Ita quoque *Muſica* tam vocalis quam inſtrumentalis a maribus fæminisque ad demulcendas aures tractabatur Eccleſ. II. 8. conf. Jerem. XXX. 19. & XXXI. 4.

Ludi. V. Ludi in hoc populo quondam uſitati in ſacris ſpeciatim non recenſentur, ſed in Judæorum ſcriptis varia eorum genera, apud alios quoque populos uſitata, memorantur, ut צחוק האשקאקש *Schachicus* ſ. *Latrunculorum*, נרדשיר *Calculorum*, צחוק בכדור *Luſus Pilæ*, quo referunt Jeſ. XXII. 18. צחוק באגוזים ורמנים *luſus cum nucibus & malogranatis &c.* צחוק הקוביאות autem ſ. *alea* & צחוק הקלפים *chartæ luſoriæ*, ab ipſis Magiſtris improbantur.

Pueriles. VI. Infantes pro varia ætate, *avibus* cicuratis aut caveæ incluſis, vel funiculis quo minus avolare poſſent alligatis ſe oblectabant, conf. Job. XL. 24. Pueri quoque in foris *fidibus* ludebant. Matth. XI. 16, 17.

VII.

VII. Ludi *Theatrales* & *Gymnici* antiquitus inter Judæos non obtinuerunt, Jaſon tamen ad gentium æmulationem *Olympicos* & *Gladiatorios* introduxit 2 Macc. IV. 9, 12, 14. quin & Herodes M. Joſepho teſte, Cæſareæ, Hierichunti & Hieroſolymis *Theatra, Amphitheatra* & *Hippodromum* erexit, omnisque generis *quinquennalia ſpectacula* ingenti apparatu, maximisque ſumptibus inſtituit. *Theatrales & Gymnici.*

VIII. Nihilominus tamen juvenes certis exercitiis corporeis virium incrementum atque robur quærere, aut ad bellum & arma tractanda aptiores fieri ſtudebant, ut *ſublatione lapidum graviorum*, quo referunt Zach. XII. 3. *arcu* 1 Sam. XX. 20. ſeqq. *funda* Jud. XX. 16. &c. *Exercitia corporea.*

IX. Huc pertinet quoque *Venatio*, quæ non ſolum utilitatis, ſed & exercitii aut fortitudinis exſerendæ cauſa inſtituebatur, unde præter *aves* & *animalia* ad eſum apta, *feras* quoque noxias *Leones*, *Urſos* &c. venabantur. *Venatio.*

X. Hæc uti jam antiquiſſimis temporibus inter Orientis gentes, & in ipſa Patriarchali familia viguit Geneſ. X. 9. XXV. 28. & XXVII. 3, 5, 33. ita *Ejus Antiquitas.*

& dein inter Judæos porro locum obtinuit. Lev. XVII. 13.

Instrumenta. XI. Utebantur autem eum in finem *arcu* & *sagittis*, *retibus* & *laqueis*, quin & *canibus* venaticis ad feras insequendas, aliquando & *foveas* parabant, in quas, arte tectas, incauta animalia præcipitarentur. Gen. XXVII. 3. Eccles. IX. 12. Jes. XXIV. 17, 18. LI. 20. Prov. XXX. 31. 2 Sam. XXIII. 20.

CAP. XIII.

De Morbis, Medicina & morte.

I.

Transitus. Contemplati hactenus sumus privatam Judæorum inde a nativitate vitam, restat ut hujus quoque infirmitates & exitum perpendamus.

Infirmitates varii generis. II. Judæi infirmitates distinguere solent in מיחוש *leve & vulgare incommodum*, כאב *dolorem* intermittentem & redeuntem, qualis *odontalgia*, & חולי

חולי *morbum* graviorem. Erant autem morbi apud illos æque ac alios populos varii generis, externi, interni, endemici, epidemici, ordinarii atque extraordinarii.

III. Præcipui *Morbi Externi* in sacris memorati sunt, *Cæcitas*, *Surditas*, *Defectus loquelæ*, *Claudicatio*, Exod. IV. 11. Jes. XXXV. 6. Matth. IX. 32. XII. 22. XV. 30. *Arthritis* 2 Chron. XVI. 12. *Ulcera*, *Marisci*, *Scabiei* varia genera. Levit. XXI. 20. Deut. XXVIII. 27. *Morbi externi.*

IV. *Interni sunt*, *Febris* Matth. VIII. 15. *Angina* Rabb. אסכרא vel סרונכי dicta, qua nonnulli Ezechiam laborasse volunt 2 Reg. XX. 1 sqq. *Colica* cum ejectione viscerum nonnunquam conjuncta 2 Chron. XXI. 18, 19. *Gonorrhea*, *Hæmorrhagia* Lev. II. 2. sqq. Marc. V. 25. *Paralysis* Matth. IV. 24. VIII. 6. *Passio Lunatica* Matth. IV. 24. XVII. 15. *Obsessio mali Dæmonis*. Matth. VIII. 16, 28. qui duo posteriores præcipue circa tempora Servatoris frequentes fuerunt. Alios morbos quorum in Talmude passim mentio injicitur, non moramur. *Interni.*

V. Ad *Epidemicos* præcipue pertinet *Pestis* דבר, quæ, singulari Dei judicio immis- *Pestis.*

immissa, ingentem sæpe inter Judæos stragem edidit. Deut. XXVIII. 21. 2 Sam. XXVI. 15, Amos IV. 10.

Morbi extraordinarii. VI. Ad *Extraordinarios* referenda est *Lepra*, de qua vid. supr. (I.XIII. §.XXX. seqq.) *Morsus serpentum* ignitorum Num. XXI. 6. Σκοληκοβρωσία Herodis Act. XII. 23. &c.

Plures morbi simul juncti. VII. Nonnunquam plures morbi simul conjuncti erant Matth. IV. 24. XII. 22. quale quid & in morbo Jobi obtinuit, unde is ad unam certam classem referri nequit.

Medici. VIII. Ad opem ægrotis ferendam jam antiquitus רופא (Rabb. אסי dictus) in auxilium advocabatur Jer. VIII. 22. quo nomine tam *Medicus*, cui interiora curæ sunt, quam *Chirurgus* intelligebatur. Nonnunquam & Prophetæ munere hoc defungebantur. 2. Reg. XX. 7.

Remedia externa. IX. *Remedia externa* maximam partem in *Unctione* oleo aut balsamo facta consistebant Jerem. l. c. & LI. 8. quo multi etiam referunt Jac. V. 14. vulnera expressa & oleo delinita obligabantur Jes. I. 6. Luc. X. 34. ulceribus emollientia, ut ficus, imponebantur, 2 Reg. l. c. Venæ sectio quoque dudum inter Judæos in usu fuit, cui iidem

dem singularem benedictionem addi & subjungi jubent.

X. *Internis* licet dubio procul non plane caruerint, in sacris tamen illorum mentio non adeo occurrit: sed variæ eorundem species in Judæorum Pandectis præscribuntur. **Interna.**

XI. In nonnullis imprimis extraordinariis morbis Deus ipse vel immediate opem tulit vel extraordinaria aliquando media ordinavit Num. XXI. 9. 2 Reg. V. 10. seqq. Hinc piscinam Bethesdam quoque sanatricem vim accepisse multi contendunt. Joh. II. 2. seqq. **Extraordinaria.**

XII. Judæi decem res numerant, quæ ægrotum ad morbum reducant, sex quæ bonum signum præbeant, & totidem quæ eum sanitati restituant. Iidem Christianorum Medicis & Medicina per eosdem parata uti vetant, contra autem ad amuleta & superstitiosos characteres sæpe confugiunt. **Monela Judæorum.**

XIII. *Curationem* ægrotorum & quæ ad eam necessaria, ipso *Sabbatho* Judæi jam antiquitus permittebant (I. XX. §. XXVII.) Applicatis remediis subjungere solebant, *Surge a morbo tuo.* **Curatio Ægrotorum.**

XIV.

Preces pro Ægrotis. XIV. In periculosis morbis *preces* pro se in Synagogis fieri curant, *eleemosynas* pauperibus mittunt, **non**nunquam & pristinum *nomen* **mu**tant.

Visitatio Ægrotorum. XV. *Visitationem ægrotorum* inter præcipua pietatis exercitia numerant, conf. Matth. XXV. 36, 43. Eandem tamen *varie* limitant.

Officia sanitati restitutorum. XVI. Qui ex morbo sanitati restituitur, ad *gratias* Deo intra triduum in cœtu ad minimum decem ho*minum*, certis benedictionum formulis, agendas tenetur. Quondam in tali casu quoque sacrificia Deo offerri solebant. v. Ps. CXVI. 14, 18.

Cura animæ. XVII. Ingravescente morbo Rabbinus coram ægroto aliquot Psalmos legit, hicque peccatorum confessionem edit, eorundem veniam petit, inimicis ignoscit, benedictionem in filios, si quos habeat, pro more in Patriarchali familia jam usitato, pronunciat, aut si Parentes adhuc supersint, eandem ab illis accipit.

Dispositio ante mortem facta. XVIII. Inde ab antiquissimis temporibus quoque inter Judæos eorumque Majores consuetudo jam obtinuit, ut lethaliter decumbentes, de iis quæ post obitum observari vellent, mo-

nerent

nerent aut teſtamento diſponerent. Geneſ. XLVIII. 21, 22. & 2 Regum. XX. 1.

XIX. *Teſtamentum* צואה ,פורטיתא aut דיתיקי (διαθήκη) vel verbis nuncupatur, vel ſcripto conſignatur: Poſterius hoc Rabbinis שטר צואה dicitur. Ad legitimum autem teſtamentum Judæi requirunt, ut de *die* condatur, idoneisque *teſtibus* muniatur. *Teſtamentum.*

XX. Etſi quis ex mente Magiſtrorum hæredem bonorum ſuorum, quem vult, inſtituere poteſt, præteritis etiam propinquis, liberos tamen exhæredare, etiamſi non prout decet ſemet gerentes, non probant: nec exhæredationem ratam habent, niſi certus ſimul hæres, ex illis quibus jure naturali hæreditas competebat, inſtituatur. *Inſtitutio Hæredis & exhæredatio.*

XXI. Licet *Donatio inter vivos*, at certis circumſcripta limitibus, apud Judæos admittatur, teſtamentum tamen ratum non habetur niſi in *morte* Teſtatoris, ſed eo vivente דיתיקי מבמלת דיתיקי conf. Hebr. IX. 16, 17. *Donatio & ratificatio teſtamenti.*

XXII. Morti vicinum nunquam ſolum relinquunt, ſed curant ut aliquis ſem- *Cura morti propinquorum.*

ſemper lecto aſſiſtat, convocant quoque aliquos Viros, qui accenſis cereis preces ex libro prælegunt.

Cerimoniæ in morte obſervatæ.

XXIII. Eodem animam efflante *cereos* exſtinguunt, mortui oculos & os claudunt, quod jam antiquitus a proximis cognatis fiebat, Gen. XLVI. 4. corpus linteo involutum in terra ſtramini imponunt, vultum tegunt cereoque ad caput collocato pollicem ita incurvant, ut cum manu nomen שדי repræſentet. Omnem quoque in ædibus *aquam* effundunt, quia מלאך המות *Angelum mortis* in illa cultrum ſ. gladium abluiſſe credunt.

CAP.

CAP. XIV.

De

Funere, Sepultura & luctu.

I.

Cum *pernoctationem* cadaveris in terra Lex vetet Deut. XXI. 23. sine mora omnia adornabantur, ut eodem die, aut quamprimum id fieri posset, terræ mandaretur. *Præparatio funeris.*

II. Huc faciebat præcipue sedula totius corporis *ablutio*. Act. IX. 37. quam hodie aqua calida, cui flores Chamæmeli & rosæ siccæ additæ, peragunt, eidemque obstructionem omnium foraminum corporis subjungunt. *Lotio.*

III. Antiquitus inter Judæos, in funere Nobiliorum quoque *Pollinctura* seu *Unctio cadaveris* locum habuit, quæ in Ægypto, pro more illius terræ, interne visceribus exemtis fiebat, Gen. L. 2. in Canaane autem externe, ita ut corpus sindoni cum aromatibus involutum longiori fascia, caput autem sudario circumdaretur Matth. XXVII. 59. Luc. XXIII. 56. Joh. XIX. 39, 40. & XX. 6, 7. *Unctio.*

Hujus loco forſan eſt, quod cum maxime ovo cum vino probe agitato caput illinunt.

Indutio veſtium ſepulchralium &c. IV. Hodie corpori *linteum album* vilius, ex antiqua ut ferunt conſuetudine, circumponunt, cui dein *induſium* illud quod ſponſa ſponſo mittit, & quo in die expiationis utuntur, una cum *Tallis* ſuperinduunt, ſicque *ſandapilæ* immittunt, cui in funere Rabbini inſuper libros imponunt.

A quibus & ubi hæc facta. V. Omnia autem hæc officia *Viri Viris*, *Fœminæ Fœminis* exhibent & quidem vel in ipſis *ædibus* defuncti, vel demum in *cæmeterio*, quorſum eum in finem tum, ſuper tabula מטה dicta, deferri ſolet.

Sepultura. VI. *Sepultura* ex præſcripto divino Gen. III. 19. & Deut. XXI. 23. omni tempore apud Judæos in uſu fuit, crematione quibusdam fruſtra urgentibus, quæ non corpora ſed utenſilia ſpectabat.

In Canaane VII. Iidem ſemper impenſe quæſiverunt & etiamnum quærunt in terra *Canaan* ſepeliri, Gen. XLIX. 29, 30. & L. 24, 25. quod ubi non datur, per גלגול המתים tamen corpora continua volutatione eo devolvi credunt. Comparant ſibi quoque terram albam ex hac

hac regione, quam oculis mortui injiciunt.

VIII. *Sepulchra* קברות jam antiquitus extra loca habitata erant, Luc. VII. 12. (exceptis paucissimis in urbe Hierosolyma, vid. II. I. §. XLII.) & quidem plebejorum in loco quodam communi seu *cœmeterio*, Jer. XXVI. 23. & Matth. XXVII. 7. quod בית חוים vocant & ubi hodie vitulum, quem *vitulum Mosis*, *Kalb Mosis*, appellant, alere solent. Honoratiores sibi suæque familiæ propria habebant. Gen. XLIX. 29. 2 Sam. XVII. 23. & XXI. 14. quin & jam vivi illa in fundis aut hortis suis parabant. Matth. XXVII. 60. **Sepulchra.**

IX. Erant autem illa sæpissime *Rupi incisa* Jes. XXII. 16. & Matth. l. c. & quidem ita ut primum *area*, tum IV cubitis profundior *spelunca* esset, unde ab utraque perte plures *loculi* כוכים cadaveribus deponendis, derivabantur. **Rupi incisa.**

X. Ne transeuntes forte sepulchris pollueréntur, mos erat illa *calce superfusa notare* conf. Matth. XXIII. 27. Fiebat hoc ordinario XV mensis Adar. **Sepulchrorum dealbatio.**

XI. Omnibus itaque rite præparatis feretro funus ad locum sepulturæ deferebatur, comitantibus illud insigni numero non propinquis tantum, sed & **Deductio Funeris.**

 aliis

aliis loci incolis maribus æque ac fœminis Luc. VII. 12. Quam charitatem in *deductione* לויה defuncto exhibitam, non ultimo inter bona opera loco collocant.

Occlusio sepulchri & monumenta sepulchralia. XII. Corpore sepulchro illato, illud antiquitus vel terra, vel si rupi incisum esset, ingenti lapide obturabatur Matth. XXVII. 60. XXVIII. 2. Nobiliorum sepulchris splendidum nonnunquam *monumentum* נפש vel מצבה *columna* aut קיון *cippus* jungebatur. Gen. XXXV. 29. & 2 Reg. XXIII. 17.

Hodierni ritus. XIII. Hodie dum mortuus effertur, testam in illum conjicere solent. Postquam ad sepulchretum perventum est, benedictionem pronunciant, tum feretro deposito in nonnullis locis septies sepulchrum circumeunt, longa satis precatione, quæ הצור תמים incipit, Deum celebrant, sicque tandem corpus sepulchro immissum, postquam oculis testæ impositæ & capiti sacculus terra repletus substratus, superinjecta a proximis amicis omni, quæ egesta est, terra tumulatur.

Mortuus præcepti. XIV. Uti honesta sepultura semper maximi habita est, nec terra Sancta mortuo contaminari debuit, ita si quis forte peregrinus, pauper aut alius mortuus in via insepultus inveniretur, qualem

lem מת מצוה *Mortuum præcepti* appellant, primus in eum incidens, vel eo deficiente magiſtratus, legitimam illi ſepulturam præſtare tenebantur. Ab hoc officio nec Naziræus, nec Sacerdos aut ipſe Pontifex M. eximebatur.

XV. Contra autem inſepultum projici atque relinqui ſummæ ignominiæ ſingularisque judicii nota erat. Qualem *ſepulturam Aſini Scriptura* appellat. Jer. XXIII. 19. ***Sepultura aſini.***

XVI. De ſtatu mortuorum, quem עולם הנשמות appellant, Judæi vera falſis mixta multisque erroribus interpolata tradunt. Et animam quidem non ſtatim terram relinquere, ſed quamdiu corpus inſepultum eſt oberrare, imo poſtquam Angelus Mortis ſuper ſepulchro conſedit, eandem in corpus reverti, tum Angelum hunc, corpus ter catena ex parte ferrea ex parte ignea percutere volunt, ut membra ejus ſolvantur, oſſa diſſipentur, tandemque in pulverem & cinerem redigantur, quæ dein a bonis Angelis colligantur & ſepulchro reddantur, atque hanc חיבוט הקבר *percuſſionem ſepulchri* appellant. Quin & animam per ſeptem continuos a ſepultura dies, ad locum, ubi mortuus exſpiravit, reverti & corpus amiſ- ***Status mortuorum.***

ſum deflere aſſerunt, unde lectum denuo inſternere, ardentem lampadem & vas aqua plenum pone illum collocare, linteumque mundum appendere ſolent.

Triplex mortuorum ſtatus & locus. XVII. Licet antiquiores ſcriptura præeunte non niſi geminum mortuorum ſtatum, *beatitatis* in cœlo & *damnationis* in inferno agnoverint, Eccleſ. XII. 3, 7. Luc. XVI. 22, 33. XXIII. 43. Sequioris tamen ætatis Judæi triplicem excogitarunt, τῶν צדיקים גמורין *perfecte juſtorum* רשעים גמורין *perfecte impiorum* & בינונים *mediocrium.*

Cœlum. XVIII. *Juſtorum* animas ab angelis, quorum tres chori illis dum corpus linquunt obviam procedant, in cœlum transferri credunt. Horum cœleſtem conditionem ſub triplici phraſeologia deſcribunt בגן עדן *in Paradiſo* (conf. Luc. XXIII. 43. & 2 Cor. XII. 4.) תחת כסא כבוד *ſub ſolio gloriæ*, & בחיקו של אברהם *in ſinu Abrahæ* conf. Luc. XVI. 22.

Purgatorium. XIX. *Mediocribus* ſex ſuperiores regiones inferni aſſignant, quas גיהנם עליון *Gehennam ſuperiorem* appellant, XII menſibus variis pœnis purgentur, donec tandem cœtui juſtorum adſcribantur.

XX.

XX. *Impios* autem in ſeptimam infimamque Gehennæ manſionem גיהנם תחתון unde negant redire quenquam, detrudunt, ut ibi לדורי דורות æternum calore & frigore crucientur. *Gehennæ inferior.*

XXI. Ex ſententia de Purgatorio alius error de *precibus pro mortuis* natus. Has non ſolum filius pro Patre per undecim menſes recitata ſingulis diebus formula קדיש ſed & integra Eccleſia ſingulis ſabbathis ſolemni oratione, quæ זכרון נשמות *Memoriale animarum* appellatur, fundit. *Preces pro mortuis.*

XXII. Nonnulli contra *juſtos* defunctos *invocant*: quidam etiam hunc in finem, conſueto more exeundi ad monumenta ſepulchralia (infr. §. XLI.) abutuntur. Multi autem hanc invocationem plane damnant. *Invocatio mortuorum.*

XXIII. Uti nonnulli inter Judæos recentiores, multa Philoſophorum ethnicorum Dogmata, ita & Pythagoræ μετεμψύχωσιν adoptarunt, quam גלגול הנשמות appellant. *Reſurrectionem* mortuorum non ſolum Sadducæi plane negarunt (I. VI. §. VI.) ſed & alii improprie interpretati ſunt, plerique tamen illam proprie acceptam, pro fundamentali fidei Judaicæ articulo habent, quamvis in circumſtantiis ejus admodum diſſentiant. Μετεμψύχωσις *& reſurrectio.*

Judicium. XXIV. Iidem triplex *Judicium* statuunt, *prius* ad quod Deus semper in festo novi anni consideat, *alterum* statim in morte, & *tertium* atque *ultimum* post resurrectionem mortuorum, certo ad id a Deo constituto die, quem יום הדין הגדול appellant, habendum: quamvis tamen & hic in multis Rabbini inter se digladientur.

Doloris ob defunctos testificatio. XXV. Post illa quae circa defunctos ipsos consideranda erant, superest ut quo pacto hi quibus erepti erant, erga eosdem se gesserint, & *dolorem* ob eorundem decessum testati fuerint, tangamus. Quae omnia Judaei אניה seu אנינות *Mæroris* & אבל vel אבלות *Luctus* nomine comprehendunt.

Mæror. XXVI. *Mærorem* multi ad diem mortis, seu tempus inde a morte usque ad sepulturam determinant. Hic quidem praecipue in animo sedem habet, nihilominus tamen & externis signis demonstratur.

Scissio Vestimentorum. XXVII. Huc pertinet *scissio vestimentorum*, quae ordinario in casibus tristioribus, ut *audita blasphemia* 2 Reg. XIX. 1. Jes. XXXVII. 1. Matth. XXVI. 65. Act. XIV. 14. *singulari infortunio* sive proprio sive aliorum Gen. XLIV. 13. Jud. XI. 13. 1 Sam. IV. 12. 2 Reg. XI. 14. Esth. IV. 1.

dolore

dolore ob peccata admissa 1 Reg. XXI. 27. 2 Reg. XXII. 11, 19. Jer. XXXVI. 24. jejuniis (l. XVII. §. XVIII.) & *morte chariorum* obtinebat Gen. XXXVII. 29, 40. 2 Sam. I. 11. XIII. 31. 2 Reg. II. 12. Job. I. 20. Scindebantur autem ab anteriori parte, & quidem pro doloris gradibus vel omnes vel superior tantum Esdr. IX. 4. 2 Sam. XV. 19. Posterius Judæi ægroto exspirante a singulis adstantibus, prius a liberis peragi asserunt.

XXVIII. Eodem faciebant alia consueta doloris signa, ut *manuum elatio* aut *complosio*, *pectoris* aut *femoris percussio*, tum vero inprimis creberrimi *fletus & ejulatus*, inter quos verbis aut conceptis *næniis* קינות defuncti laudes extollebant Luc. VIII. 52. Actor. IX. 39. coll. Amos V. 16, 17. atque hoc est, quod Judæi הספד *Planctum* vocant. Cujus causa etiam æque ac quondam Romani מקננות *Præficas* mercede conducebant Jer. IX. 16. In funere Principum quoque peculiares *Threnodiæ* a Vatibus aut aliis Poëtis Musicisque conficiebantur. 2 Sam. I. 17. seqq. & 2 Chron. XXXV. 25. *Planctus & Næniæ.*

XXIX. Augebatur planctus tristi *tibiarum* חלילים ab αὐληταῖς inflatarum sono Matth. IX. 23. quarum ad minimum *Tibicines.*

 mum

mum duas etiam in pauperum funere adhibitas Judæi tradunt. His iidem nonnunquam *tympana* a fœminis pulſata jungunt.

Mœroris in ipſa ſepultura circumſtantiæ. XXX. Uti in funeris deductione omnia ad mœrorem comparata, ita & in ſepulchreto aut cœmeterio: unde illic monentibus Judæis nemo alterum ſalutat, ibidem propinquiores, ut Vir, mulier, filii & filiæ veſtes a ſuperiori parte deorſum ſcindunt, perſonis dignioribus ſermo funebris habetur, funere autem terræ mandato, ingenti ejulatu ſive in cœmeterio ſive in via domum verſus, ter inclinati recitantesque Pſalm. CIII. verſum 14. gramen evellunt, & ſubjungentes Pſ. LXXII. verſum 16. poſt tergum rejiciunt, tandemque in cœmeterio aut atrio Synagogæ, prævia certa oratione manus abluunt, pronunciantes verba Deut. XXI. 7, 8.

Luctus. XXXI. *Luctus* proprie ſic dictus incipiebat demum, ut nonnulli Judæorum tradunt, ex quo mortuus domo elatus, vel ut alii volunt, ex quo ſepulchrum obturatum.

Signa ejus. XXXII. Luctus præcipua ſigna erant *humi cubatio* Job. I. 20. *capilli paſſi, velatio capitis, & barbæ* 2 Sam. XIX. 5.

cum

cum abstinentia a variis rebus ceteroquin gratis de qua infr. §. XXXVII. sq. aliquando in casibus tristioribus lugentes quoque in cinere considebant eumque capiti inspergebant Job. II. 8. Jos. VII. 6. Thren. II. 1.

XXXIII. *Vestes lugubres* certi coloris quidem non habebant, sed plerumque *sordidioribus* utebantur, & ordinario easdem quas antea sciderant, retinebant. *Pullus* tamen vel saltem *obscurior* color hic præ ceteris adhibitus videtur Ps. XXXV. 14. Jer. XIV. 2. quod & in nonnullis locis etiamnum obtinet. *Viduas* quoque peculiari vestitu dignosci potuisse verosimile est Gen. XXVIII. 14. Judith. VIII. 5. & X. 2. Nonnuquam & ut in aliis tristioribus circumstantiis *saccum* accingebant. Genes. XXXVII. 34. (conf. I. XVII. §. XVIII.) ***Vestes.***

XXXIV. Cavendum autem erat ne in luctu *modum* excederent, aut *mores gentium* imitarentur, quod lex severe vetat, Lev. XIX. 27. & XXI. 5. huc alludit Paulus 1 Thess. IV. 13. ***Modus in his servandus.***

XXXV. *Personis*, quibus hactenus enumerata officia ex lege debentur, Judæi sex numerant, *Patrem*, *Matrem*, *Fratrem*, *Sororem*, *Filium* & *Filiam*, quibus, ex sententia Rabbinorum, ***Personæ quibus hæc officia debentur.***

Mari-

Maritum & *Uxorem* addunt. Intelligendum autem hoc eſt de illis, qui debitam ætatem attigerunt. Abortus enim, & quotquot non completis novem menſibus vivi in lucem eduntur, aut qui præterea abortibus ſimiles cenſentur, non lugent: nec plangunt niſi V aut VI annorum liberos, quin & lactantium ſepulturam ſine ullis fere cerimoniis peragunt. Quæ vero Patris aut Matris eadem & illorum eſt ratio, qui in ſimili erga plures relatione ſunt conſtituti, ut *Regum* & *Principum* (II. III. §. XXIII.)

Quinam non lugeantur?

XXXVI. Qui *ultimo ſupplicio* ex ſententia Regum *affecti*, hos luctu æque ac alios, ſed qui ex ſententia ſynedrii, ſolo mœrore proſequebantur: Qui ſibimet ipſis vim intulerant, illos nec lugebant nec plangebant. Epicuræos vero & Excommunicatos non luctu ſolum indignos pronunciant, ſed & illis mortuis contra omnia lætitiæ ſigna edenda eſſe aſſerunt.

Perſonæ ad hæc officia obligatæ.

XXXVII. Perſonæ ad hæc officia obligatæ erant, ut ex collatione §. XXXV. patet, *proximi cognati*: in funere Regum & Principum eadem ab *univerſo populo* obſervabantur (II. III. §. XXIII.) Aliquo ex *ſocietate* quadam mortuo, tota *ſocietas*

חבורה

חבורה moeret. A quibusdam tamen horum officiorum, quædam personæ, liberæ erant. Rex enim, ut multi Judæorum volunt, feretrum non sequebatur, idem quoque non faciebat Pont. M. cui nec licebat vestem lacerare, aut cæsariem nudare, ut nec ulli sacerdotum se contaminare mortuo, excepto mortuo præcepti, supr. §. XIV. & quod ad sacerdotes vulgares attinet, sex illis de quibus (I. X. §. XXIII.)

XXXVIII. *Duratio* horum officiorum mortuis exhibitorum varia erat: *Fletus & planctus* nonnunquam ultra diem mortis continuabantur, quem in finem aliquando & ad sepulchra dein exibant Joh. XI. 31. prior tamen non ultra tres nec posterior ultra septem dies, præterquam in morte Sapientum, ubi pro Sapientiæ laude brevius aut longius durabant, nullum autem eorum ultra XXX dies flebant, nec ultra XII. menses plangebant. Luctum Judæi ex lege ad unicum tantum diem, seu mortis & sepulturæ, determinatum esse tradunt, ex sententia autem Magistrorum, illum ad VII, imo ex parte ad XXX dies extendunt, præeunte scriptura, Gen. L. 10. & Deut. XXI. 13. *Duratio horum officiorum.*

XXXIX.

Luctus primi diei.

XXXIX. Et *primo* quidem *diei* id privum faciunt, quod lugenti non liceat *uti phylacteriis, & cibo proprio*, tum vero quod eidem considendum sit supra *lecto inverso*, quæ tamen lecti inversio hodie non adeo observatur. Cibo proprio autem cum uti non liceret, ab aliis is lugenti mittebatur.

Luctus hebdomadalis.

XL. *Septem diebus* eidem *undecim rebus* interdictum esse asserunt, quæ sunt 1. *Tonsura*, 2. *Lotio vestium*, 3. *Balneum*, 4. *Unctio*, 5. *Debitum conjugale*, 6. *Indutio calceorum*, 7. *Negotia*, 8. *Lectio libri Legis*, 9. *Erectio lecti*, 10. *Nudatio capitis*, 11. *Salutatio*.

Luctus menstruus.

XLI. *Triginta diebus* illi *quinque rebus* abstinendum statuunt 1. *Tonsura*, 2. *Politione vasorum*. 3. *Nuptiis*, 4. *Gaudio convivali*, 5. *Profectione* de loco in locum, mercaturæ exercendæ causa.

Luctus annuus.

XLII. Per XII menses denique liberi Luctum ob amissos Parentes continuabant, eumque in finem a *salutatione aliorum, gaudio convivali, signis lætitiæ* &c. sibi temperabant: iidem etiamnum per integrum annum domi ardentem cereum vel lampadem alunt, & in Synagoga circa introitum stant, tum quoque singulis annis diem quo parentes

tes ſepulti, jejunio, accenſo lumine, aliisque ritibus celebrant.

XLIII. Annuatim etiam *ſepulchra* Virorum quorundam Clarorum, & de univerſo populo bene meritorum, ad eorum memoriam grata mente recolendam *viſitabant*: Prophetarum (accedente imprimis hypocriſi) ſingulari cura *exornabant*, aut collapſa *inſtaurabant*. vid. Matth. XXIII. 29. quemadmodum & hodienum *diebus jejunii, nono menſis Ab & pridie expiationis*, cœmeteria ad preces illic fundendas adire conſueverunt. *Annua ſepulchrorum viſitatio.*

XLIV. Ut lugentes charitatis officia defunctis, ſic alii eadem viciſſim lugentibus, ipſos *conſolando*, præſtabant. Fiebat id jam in cœmeterio aut ſepulchreto poſt peractam ſepulturam, lugentibus ordine ad ſiniſtram conſolantium ſtantibus, his verbis תנוחמו מן השמים *Conſolatio vobis eveniat e cælo.* *Conſolatio lugentium in ſepulchreto.*

XLV. Poſtquam Lugens domum reverſus, ipſe primum *diſcumbebat*, perque ſeptem luctus dies continuo veniebant conſolantes, & juxta illum *in pavimento conſidebant*, non loquentes tamen, niſi poſtquam ipſe prius inciperet, conf. Job. II. 3. *In ædibus lugentium.*

XLVI. Si defunctus non haberet, *Subſtitu-*

I qui

tio lugentium. qui ipſum lugerent, *ſeptem viri* legitimi conſidebant eorum loco, per ſeptem dies luctus, & reliquus populus, ad ipſos conſolandi cauſa accedebat.

Concluſio. XLVII. Sic *mortui* mortuos ſuos ſepeliunt Matth. VIII. 22. ſepultos lugent, lugentesque ſe mutuo conſolantur, veræ interim luctus cauſæ, ſolatiique fontis plane ignari. Excitet eos tandem Benigniſſimum Numen ex morte peccati, Spiritumque gratiæ & ſupplicationem in illos effundat, quo intuentes in eum quem perfoderunt, *plangentesque* ſuper illo, ut ſuper unico filio, & *acerbiſſime mœrentes*, ut ſuper primogenito, promiſſam per Prophetas, ultimis temporibus, *conſolationem* conſequantur! Ezech. XXXVII. 1. ſqq. Zach. XII. 10. Jeſ. LXVI. 12. & Jer. XXXI. 13.

תם ונשלם
שבח לאל בורא
עולם

INDEX I.

LOCORUM SCRIPTURÆ S. ET LIBRORUM APOCRYPHORUM.

Cap.

Cap.

Cap.

Cap.

Cap.

Cap.

Cap.

Cap.

INDEX I.

Cap.

Cap.

Cap.

Cap.

Cap.

INDEX I.

Cap.

Cap.

INDEX II.

VERBORUM ET RERUM.

Annus

Ἀρχιτ-

Aurei

mane

Canaan

Castra-

Sacra-

Cyathi

Discess-

 qui-

E.

a qui-

Gradus

Ho-

quan-

K.

Mili-

Mor-

Pala

P.

Y y Πά-

Pa-

Digitized by Google

ejus,

 quo-

Præ-

ad-

Regni

munia

Sacer-

Senio-

Soli-

T.

atrius-

Tor-

Venter

Urbes







